





VE
RI
TAS

CURSUS PHILOSOPHICUS

AD MENTEM

DOCTORIS SUBTILIS

STUDIO ET LABORE

P. F. CHERUBINI AB ABBATIA S. SALVATORIS


Lect. Phil. in Collegio S. Antonii de Urbe

VOLUMEN I.

Pro manuscripto

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA SALLUSTIANA
Via S. Nicola da Tolentino, 4

1904


HARVARD COLLEGE
OCT 5 1920
LIBRARY

BEATAE VIRGINI MARIAE

DEIPARAE IMMACULATAE

DOCTORIQUE MARIANO

DICAT AUCTOR



BENEVOLO LECTORI

Hoc qualequumque est opus, praecipue adolescentibus franciscalibus offerimus, ut pressius Scholae nostrae vestigia premere valeant, cum non solius Doctoris Subtilis, sed etiam Seraphici et Irrefragabilis Halensis nostri sententias retulerimus.

Neque Thomisticae opiniones, recentioresque progressus in opere neglectui habentur, sed aequo, qui par est, respectui.

Pro *manuscripto* autem maluimus hoc opus prelo mandare, cum cuique sat facile pateat quantae sit difficultatis integrum Scoti philosophiae cursum nostris praesertim temporibus conficere.

Interim autem bonum sit incepisse.

Vale, benevole Lector, atque memento quaeso

AUCTORIS.

Romae ad S. Antonium Paduanum,
die 1a Septembris 1904.

CITATIONES EXPONUNTUR.

Quoniam taediosum foret loca discerpta a Doctore integre citare, ideo solum initium operis, a quo depromuntur, ponitur. Verum ut adolescentes contractas citationes legere valeant, praesertim si cupiant textum integrum et multoties extensum consulere, contracta exponuntur.

Gram. Spec.	Grammatica Speculativa.
Univ.	Super Universalia Porphyrii.
Praed.	» Prædicamenta.
Perih.	» Perihermenias.
Elench.	» Elenchorum.
Prior.	» Priorum.
Post.	» Posteriorum.
Physic.	» Physicorum.
I. vel II. etc.	Liber primus, vel secundus etc.
q. v. n. 2. etc.	Questio v. n. 2. etc.
De Anim.	De Anima.
De Rer. Princ.	De Rerum Principio.
De Pr. R. Princ.	De Primo Rerum Principio.
Theor.	Theorema.
Coll.	Collatio.
Tract. de Cog. Dei.	Tractatus de Cognitione Dei.
De Form.	De Formalitatibus.
Met. Text. c. s. n. l. vel numerus romanus sine l.	Metaphysica Textualis, caput, summa, numerus, liber.
Metaph. I. q.	Quæstiones subtilissimæ in Metaphysicam etc.
I. II. III. IV. D. q. n.	In primum, secundum etc. librum Sententiarum, Distinctio, quaestio, numerus.

Si in praefata ultima invenias *Paris.* innuitur scriptum Parisiense.
Quodl. idem est ac Quodlibetum.

PROLEGOMENA

Si etymologia nominis inspiciatur, PHILOSOPHIA ex graeco idiomate (φιλοσοφια) amorem sapientiae significat: « dicitur enim quod cum antiqui studio sapientiae insistentes sapientes vocarentur, Pythagoras interrogatus quid se profiteretur esse, noluit se nominare sapientem, ut antecessores sui, quia praesumptuosum hoc esse censebat, sed dixit se esse philosophum, idest, amatorem sapientiae. Nomen sapientiae in nomen philosophiae et nomen sapientis in nomen philosophi est mutatum » (*Met. Text.* l. I. c. II. n. 28.).

Pro definitione rei notandum antiquitus eos tantummodo philosophos dici qui de omnibus causas et rationes praebere poterant: quare philosophia tunc temporis potius universalis quam particularis scientia haberi quiverat; complectebatur enim logicam, metaphysicam et physicam, cui alios tractatus particulares subjiciebant de coelo, de mundo, de anima etc. Sola mathesis, quia magis evoluta, particulariter tradebatur, licet perfectum philosophum hac quoque scientia imbutum esse oporteret.

Quod antiquitus de mathesi accidit, hac ultima aetate de astronomia et de physica vel de multis naturalibus praecipue evenit; quae ita nunc perfectae sunt, ut ad sui plenam tractationem indigeant in particulares scientias

constitui. Hac de causa non eadem est recentium et antiquorum definitio philosophiae: hi sic eam tradebant: Scientia rerum divinarum atque humanarum: recentes vero: Scientia quae agit de supremis causis rerum. *Causarum* nomine designantur rationes formales vel principia rerum; quae hic *ultimae* vel *supremae* appellantur vel quia philosophia ultimum *quia* rerum investigat, ita ut ultro progredi non liceat; vel quia investigat naturali lumine rationis de Deo, de homine et de mundo, qui prima et suprema inter entia sunt; vel quia non quaslibet causas, sed solum eas, a quibus reliquae dependent, considerat. Hinc agit de Ente in genere, sub quo innumera continentur; de mundo in universum et de praecipuis mundanis; a quo tractatu pendent reliquae omnes scientiae naturales quondam in illo inclusae. Sub quo ultimo respectu neque ab hujusmodi tractatione est extranea anthropologia et theologia naturalis, quae de quodam objecto particulari, idest de homine et de Deo considerant: licet enim hi materialiter considerati ab universalitate illa philosophica recedant, tamen maxime universalizari possunt, si formaliter considerentur; quia ad hominem cuncta in mundo visibilia ordinantur pro quo facta sunt et cognitio Dei resolvitur in notionem causae primae, seu causae omnium causarum et sic universalissimae.

Quantae autem utilitatis et dignitatis sit philosophia patet ex ipsa jam tradita definitione; quia fundamentum maxime confert scientiae et dignitatem participat omnium quae in eo firmantur. Atqui philosophia est fundamentum omnium scientiarum: ergo etc. Minor ex eo clarescit, quia in singulis scientiis de quodam determinato ge-

nere entis pertractatur, cujus fundamentum est in universali. Haec utilitas et praestantia apparet etiam ex famulatu, qui dignissimae omnium scientiae, idest theologiae revelatae, a philosophia praebetur: ponit enim praeambula fidei, scilicet modum recte procedendi in scientiis et resistendi adversariis; affert similitudines aptissimas ad indirecte convinciendos incredulorum animos, vel ad removendam repugnantiam quae esse videtur prima facie in mysteriis et alia hujusmodi. Licet ergo ratione *objecti, certitudinis et finis* nobilior sit theologia, tamen haec multa philosophiae debet. Diximus theologiam esse nobiliorem ratione *objecti;* quia de *Deo* agit ex *principiis supernaturalibus;* secundo ratione *certitudinis,* quia innititur auctoritate Dei revelantis omnino infallibili; tandem ratione *finis,* quia nos ordinat ad supernaturalem beatitudinem: philosophia contra de Deo agit humana auctoritate innixa et solo lumine rationis; et finis ejus non est nisi speculatio veritatis et naturalis beatitudo (1).

Si inquiratur unde philosophia ortum habuerit, in promptu est responsio Doctoris ibidem n. 27.: « Per admirationem caeperunt homines philosophari nunc et primum, licet differenter quantum ad hoc; quia a principio erant mirantes pauca dubitativa, quae forte magis erant in promptu, ut eorum causae cognoscerentur; sed post, idest, ex cognitione minorum paulatim processerunt ad majora, dubitantes de majoribus, idest, quaerentes eorum causas, ut de passionibus lunae, puta de eclipsi et de his quae sunt circa solem et astra, puta de quantitate et de mo-

(1) Vide S. Th., p. 1. q. 1. a. 5. c. et Seraphicum, *Sent.* 1. a. 1. q. II. Prooem.

tibus ipsorum et de mundi generatione; nam mundum quidam dixerunt generatum a casu; quidam ab intellectu, ut Anaxagoras; quidam amore, ut Empedocles. Certum est autem quod qui dubitat et admiratur, ignorare dicitur; et propter hoc philosophus dicitur *philomythes*, idest, amator fabulae, quod est proprium poetarum; ideo comparatur philosophus poetae, quia uterque versatur circa admiranda; unde subdit (Aristoteles): fabula namque ex miris, idest, admirandis constituitur. Concludit ergo conclusionem intentam; quare, inquam, si ad ignorantiam fugiendam, quam arguit illa admiratio, philosophati sunt, palam quia propter notitiam, scilicet propter ipsum scire scientiam prosequuti sunt, idest, sequuti sunt quaerentes. »

Philosophia partitur in *theoreticam* et *practicam*: prima speculatur veritatem propter veritatem; secunda vero in ordine ad opus.

Utraque subdividitur: *theoretica* scilicet in *logicam* et *metaphysicam*, quarum prima de ente rationis, altera de ente reali disserit. *Methaphysica* adhuc dividitur in *generalem* et *particularem*, prout vel de ente universaliter inspecto, vel de quodam particulari genere entis loquitur: quae si de mundo agat, appellatur *cosmologia*, si de homine *anthropologia* vel *psycologia*, si de Deo *theologia*; cui additur *naturalis* ut distinguatur a scientia dogmatica.

Philosophia *practica*, quae communiter *moralis* vel *ethica* dicitur, dividitur in generalem et particularem secundum quod vel de moralitatis fundamentis, vel de moralibus in particulari sermonem instituit.

LOGICA MINOR.

Logica a λόγος, quod est *sermo*, definiri potest: *scientia rationem dirigens ne in suis operationibus errori subjiciatur.* A Doctore, q. I. n. 5. *Univ.* et alibi vocatur *scientia rationalis* eo quod de actu rationis in ea sermo directe instituatur. « Logica non est scientia *realis*, nec *sermocinalis*, quia nec sermonem, nec sermonis passionem considerat, nec suum subjectum sub ratione sermonis... Medium inter rem et sermonem vel vocem est conceptus: ergo sicut est aliqua scientia *per se de rebus*, aliqua *per se de vocibus*, ut grammatica, rhetorica, quae considerat passiones vocis, scilicet in quantum vocis, scilicet *congruum* et *ornatum*; ita potest aliqua scientia esse *per se de conceptu*; et haec est logica: unde per se habet dici *scientia rationalis*, non tantum quia traditur per rationem, sicut quaelibet alia scientia, sed cum hoc quod est de conceptibus formatis ab actu rationis. » sicut patet plenissime in syllogismo. *Praed.* q. I. n. 4.

Logica dividitur: I. in *naturalem* et *acquisitam*: prima est quaedam intellectus potestas qua naturaliter assentimur vero et a falso abhorremus, et sic de notitia noti progredimur ad ignota; artificialis ea dicitur quae tradi in scholis solet a magistris; II. in *docentem* et *utentem* (q. I. *Univ.*) prout vel tradit regulas generales ratiocinationis, vel his utitur in ipso actu rationis; III. in *actualem* et *habitualem* prout vel per modum habitus manet in mente, vel deducitur ad opus applicando leges.

Non pauca de logica in genere a doctoribus exponuntur; quae cum capi bene nondum a tyronibus queant, remittimus ad alteram partem, Logicam scilicet majorem: eo vel magis quod ad ea tractanda necessario ratiocinio utendum est, quod ab ipsis adhuc ignoratur. Ideo optimum ducimus ante alia breviter exponere quae syllogismum aliosque modos sciendi respiciunt et inde ab initio rursus aggredi logicam in his quae altiora sunt.

Prima pars Logica *minor*, altera vero *major* appellari solet a non paucis philosophis.

CAPUT I.

De notione et termino.

Logica, ut dictum est, dirigit actum rationis ne in scientiae comparatione mens errori subjiciatur: verum inter actus primarium locum tenet ratiocinium constans ex propositionibus; quae rursus conficiuntur ex notionibus vel terminis: quapropter non perfecte de ratiocinio judicare licebit, nisi perspecta habeantur omnia quae elementa ejusdem, scilicet propositiones et notiones respiciunt: ab his ergo tractatus initium sumet, imprimisque a notione et termino.

ARTICULUS I.

De notione.

Notio *est simplex apprehensio rei expers affirmationis et negationis.* Dicitur *simplex apprehensio* quia unico et simplici actu efformatur ab intellectu: additur *expers affirmationis* etc. quia per eam nihil de ullo subjecto prae-

dicatur. Ad quod sciendum non licere nobis conjungere vel dividere (id enim innuunt *affirmare* vel *negare*) subjectum et praedicatum, nisi praecesserit cognitio eorum quae affirmanda vel neganda sunt; quae *notiones* appellantur.

Notio dicitur etiam *idea* vel *conceptus;* cum aliqua tamen modificatione; quia *notio* non infert de se comparationem actus mentis cum objecto cognito et viceversa, sicut infertur in *idea* et *conceptu:* « Conceptum, ait Doctor, dico objectum actu intellectum, prout scilicet est in intellectu, non ut forma, sed ut actu cognitum. » *Theor.* IX. n. 3. Et Seraphicus: « Idea dicitur similitudo rei cognitae. » I. D. XXXV. q. 1.

Notio ex lege generali perinde dividitur ac terminus; cujus ideo partitiones postea afferendae hic quoque applicandae sunt. Verum earum quaedam ita notionum sunt propriae, ut non tam apte conveniant terminis et viceversa: quas hic apponimus, hujusmodi sunt relate ad notionem; quae solum terminos respiciunt, apponentur in sequenti articulo.

Notio dividitur: I. in CLARAM et OBSCURAM: *clara* ea dicitur quae objectum repraesentat prout est in se, v. g. homo prout animal rationale; *obscura* contra dicitur si objectum taliter non referat, v. g. notio quae de rebus est in pueris.

II. in DISTINCTAM et CONFUSAM; prima ea notio dicitur quae ita repraesentat rem, ut ab omni alia distinguat; si secus, confusa audit (*Theor.* X.).

III. in ADAEQUATAM et INADAEQUATAM secundum quod vel omnia complectitur quae sunt objecti, vel solum ex parte.

IV. in SIMPLICITER SIMPLICEM et NON SIMPLICITER SIMPLICEM: prima ita dicitur quia non est resolubilis in alias, v. g. notio entis; altera quia resolvi potest in plures conceptus, v. g. notio hominis in animal et rationale. (I. D. III. q. II. n. 21.).

V. in OBJECTIVAM et SUBJECTIVAM prout vel est repraesentativa rei seu objecti, vel consideratur tamquam mentis affectio, in qua residet sicut in subjecto.

ARTICULUS II.

De termino.

TERMINUS est ipsa *notio* verbis vel signis extrinsecus prolata; et definitur ab Aristotele (*Prior.* c. 10.): *extremum in quod resolvitur propositio:* v. g. si in sui elementa resolvatur enunciatio: *Deus est providus,* duo extrema *Deus* et *providus* resultabunt, etiam independenter a propositione significantia; cujus ideo jure *termini* dicuntur. De convenientia *notionis* et *termini* Doctor *Praed.* q. I. n. 4. habet quod idem significant et iisdem passionibus donantur, scilicet, complexionibus, incomplexionibus, divisionibus etc.

Terminus multipliciter dividitur:

I. in MENTALEM, in SCRIPTUM et in VOCALEM: primus est ipsa notio, de qua supra; et improprie vocatur *terminus,* ut patuit ex primis verbis articuli: *scriptus* est qui in charta, vel in aliqua alia materia imprimitur; *vocalis* qui voce vel ore profertur.

II. in SIGNIFICATIVUM, qui aliquid ex instituto refert, et in NON SIGNIFICATIVUM, qui nihil repraesentat, v.g. hostro, biltri etc.

III. in CATEGOREMATICUM et SYNCATEGOREMATICUM: primus per se solum significat, v. g. homo; alter tantum cum alio, v. g. omnes, quidam etc. scilicet vel homines, vel bestiae.

IV. in FINITUM et INFINITUM: hic indeterminate aliquid ponit, v. g. ***non homo,*** idest, aliquid praeter hominem; ille determinatum aliquid refert, v. g. philosophus.

V. in COMPLEXUM, qui plura praebet, v. g. vir prudens, respublica; et INCOMPLEXUM, qui unum tantum, v. g. ager, arbor.

VI. in CONCRETUM referens formam in subjecto existentem, v. g. album, et in ABSTRACTUM repraesentans eamdem formam ut praecisam a subjecto, v. g. albedo.

VII. in TERMINUM PRIMAE et SECUNDAE INTENTIONIS; primus refert res prout menti primo seu directe occurrunt; alter secundum quoddam esse rebus a logicis magis reflexe tributum, v. g. species, genus, praedicatum etc.

VIII. in TRANSCENDENTEM, qui excedit omnes categorias, v. g. ens, verum etc., et in NON TRANSCENDENTEM, qui et praedicamentalis audit; hic refert aliquid sub categoriis constitutum, v. g. substantia, homo.

IX. in UNIVERSALEM, PARTICULAREM, SINGULAREM et COLLECTIVUM; quorum primus est qui praedicatur de omnibus et singulis inferioribus: alter qui praedicatur solum de inferioribus in parte; v. g. aliqui homines: tertius unum tantum individuum refert, v. g. Plato, Socrates etc.: quartus multa significat non quidem divisim, sed simul sumpta, v. g. exercitus, civitas.

X. in UNIVOCUM, AEQUIVOCUM et ANALOGUM; dicitur *univocus* qui multa repraesentat et secundum idem nomen et secundum eamdem significationem; v. g. animal de

homine et bruto: dicitur *aequivocus* qui multa refert secundum idem nomen, sed diversa significatione; v. g. canis de bruto et stella: tandem *analogus* is appellatur qui multa significat, sed unum principaliter, alterum per ordinem ad principale, v. g. sanum, quod praecipue de corpore dicitur, sed ad medicinam etiam extenditur ob influxum ejus ad sanitatem corporis.

Nota. Divisiones de analogo et aequivoco, de vocali, et de significativo et non significativo, termino tantum conveniunt, quia notioni vel ideae repugnat esse aequivocam etc. ut patet prima facie.

ARTICULUS III.

De terminorum proprietatibus.

Terminorum *proprietates* quinque a philosophis enumerantur, quae sunt *suppositio, appellatio, ampliatio, restrictio, alienatio:* quorum breviter notitiam praebemus.

I. Suppositio *est usurpatio termini pro aliquo significato:* multiplex ipsa est: et imprimis *materialis* et *formalis:* dicitur primo modo quando terminus supponit pro seipso; v. g. qualitas est *vox:* dicitur altero modo quando terminus supponit pro re significata, v. g. homo est animal.

Formalis dividitur in *propriam* et *metaphoricam;* quarum prima habetur quando terminus sumitur in sua ordinaria significatione; altera vero quando sumitur in sensu translato; v. g. *Leo* de tribu Juda pro Christo.

Formalis propria subdividitur in *simplicem* et *personalem: simplex* est cum terminus pro suo immediato significato supponit; si supponat pro mediato, *personalis*

audit; exemplum pro prima habetur in termino *homo* prout abstrahitur ab inferioribus; nomina enim generaliter immediate sunt pro communi; exemplum pro secunda habetur in eodem termino *homo* sic in propositione dispositus, *homo* currit, scilicet hic vel ille homo, quia humanitas in se non currit.

Personalis alia est *discreta*, quae supponit pro re singulari, v. g. Socrates, Plato; alia est *communis* quae supponit pro inferioribus.

Communis tripliciter dividitur, idest in *distributivam, collectivam*, et *disjunctivam: distributiva* supponit pro omnibus et singulis inferioribus distributive sumptis, v. g. homo currit, idest Petrus, Paulus et sic de aliis hominibus: *collectiva* supponit pro multis, sed simul sumptis, v. g. civitas, populus etc.: *disjunctiva* supponit pro multis, tamen sub disjunctione, v. g. aliqui homines.

Distributiva rursus patitur divisionem in *completam, incompletam* et *accomodam*; prima ea est in qua nulla datur exceptio; v. g. omnis homo est substantia; et dicitur *pro singulis generum:* altera est quae supponit pro genere, vel pro aliquibus cujuslibet generis vel speciei; v. g. omne animal fuit in arca Noe; et dicitur *pro generibus singulorum: accomoda* ea vocatur quae exceptionem patitur; v. g. omnes homines in Adam peccaverunt, excepto tamen Christo et Virgine.

Tandem disjunctiva dividitur in *determinatam* et *confusam*, prout vel pro determinato supponit, v. g. aliquis homo currit, idest vel Petrus vel Paulus; vel supponit pro indeterminato, v. g. aliquis oculus necessarius est ad videndum, qui potest esse vel dexter vel sinister.

II. Appellatio *est applicatio unius significati ad si-*

gnificatum alterius, ut quando dicitur *homo sanus:* terminus applicatus dicitur *appellans,* is cui applicatur, dicitur *appellatus:* in exemplo *homo* appellatus est, *sanus* autem appellans. Appellatio duplex est, *materialis* et *formalis:* dicitur *materialis* cum appellans est extra rationem formalem appellati; si secus, *formalis* dicitur; exemplum primi, *medicus sonat;* exemplum secundi, *medicus sanat.*

III. Ampliatio *est extensio termini a minore ad majorem significationem;* quod quadrupliciter accidere potest: I. ad tempus praesens et praeteritum; v. g. disserens deambulabat, idest, qui disserit vel disserebat: II. ad praesens et futurum; v. g. vivens morietur, idest qui vivit, vel vivet: III. ad praesens, ad praeteritum et ad futurum; v. g. natus morietur, idest qui nascitur, natus est, vel nascetur: IV. ad praeteritum, praesens, futurum et possibile; v. g. homo est animal, idest, homo qui fuit, est, erit, et possibilis est, est animal.

IV. Restrictio *est coarctatio termini a majore ad minorem significationem;* v. g. homo *albus* currit, vel Eva est mater *omnium viventium,* idest, hominum, non vero brutorum.

V. Alienatio *est translatio termini a propria significatione ad metaphoricam, vel impropriam;* v. g. sol justitiae, vel homo pictus: Christus enim non est vere *sol,* neque figura hominis vere dici potest *homo.*

ARTICULUS IV.

De notione et termino logice consideratis.

Postquam egimus de notione et termino in se inspectis, quaenam ad logicam spectent et quanam sub ratione a logico considerentur, decernere oportet.

Quoad primum dicimus solos terminos universales supremos considerari a logicis. Pro quo sciendum non omnes terminos aeque se extendere; sed quidam magis, et quidam minus pro natura significatorum; ut videre est in *substantia* et in *homine:* eorum autem quidam dicuntur supremi, quia sub se multa complectuntur et sic magis quam ceteri universalitatem participant: sunt autem substantia, quantitas, qualitas, relatio, actio, passio, quando, ubi, situs et habitus. Logica igitur di his tantummodo agit. Ratio quia ipsa non est scientia hujus, vel illius rei, sed universalis; ideoque solum de universalibus curabit.

Quoad secundum praenota UNIVERSALE ex Doctore q. III. *Univ.* n. 11. et VII. *Met.* q. XVIII. n. 6. tripliciter dividi, scilicet, in metaphysicum, logicum et mixtum. — *Metaphysicum* est quaevis *natura communis considerata quatenus multis convenit;* vel, *id quod natum est esse in pluribus;* v. g. *homo* qui inest Petro, Paulo et ceteris hominibus. — Universale *logicum est eadem natura communis ab inferioribus abstracta et praedicabilis de illis* (1); vel considerata tamquam unum aptum praedicari de pluribus. — Universale *mixtum,* quod etiam *metaphysico-logicum* dicitur, quia compositum ex utroque, definitur: *id quod natum est inesse multis et praedicari de multis:* vel est universale consideratum simul in *esse* et in *praedicari.*

Declaratur magis doctrina exposita, cum maximae sit utilitati adolescentibus exacte distinguere opus logicum et opus metaphysicum, praecipue quando circa idem versantur.

Metaphysica per se considerat res prout sunt *in rerum*

(1) Dicitur in logica *praedicare* cum unum tribuitur alteri; v. g. homo est *animal.*

natura. Logica vero considerat conceptus qui a rebus vere sunt abstracti; *ideoque res considerat* secundum quoddam *esse ideale* fundatum in natura: « intellectus enim considerans (v. g.) naturam hominis unam in multis et de multis, ab aliqua proprietate reperta in natura sic considerata, movetur ad causandam intentionem et illam causatam tribuit illi naturae cujus est proprietas et a qua accipitur » (q. xi. *Univ.* n. 2.). Ratio igitur universalis logici est in ordine ad praedicandum de inferioribus, vel in considerando universale quasi unum ad plura ordinabile: « Ratio universalis, ait Doctor, est praedicari de pluribus per Arist. 1. *Perih.* » (ib. q. xv. n. 4.).

Ad universale *logicum* tria concurrant oportet, idest, abstractio, praecisio et comparatio. *Abstractio* est actio qua intellectus rem apprehendit, eam a notis individuantibus denudatam considerans: *praecisio* vero est actio qua intellectus naturam considerat veluti divisam ab inferioribus: *comparatio* tandem est actio ejusdem intellectus qua natura sic divisa ad inferiora comparatur. Etsi prima et altera operatio in universale influant, tamen vere et formaliter ipsum a tertia constituitur; et eruitur sufficienter ex dictis. Vide, si cupis, q. iii. *Univ.* n. 11. et *Paris.* i. D. xix. q. v. n. 10.

Universale *metaphysicum* dicitur notio vel, ut loquitur Doctor, intentio *prima*, quia primo ab intellectu efficitur: contra, universale *logicum* dicitur notio, vel intentio *secunda*, quia efficitur ab intellectu negotiando circa primam. vi. *Metaph.* q. iii. n. 15. et i. D. xxiii. n. 2. et 6.

Quoniam vero universalia in logica considerantur in ordine ad praedicandum de inferioribus, PRAEDICAMENTA appellantur, quae supra memoravimus denario numero;

et ex lege communi in propositione ordinata munere funguntur praedicati, ex quo sibi nomen sortiuntur et latius patent quam subiectum, cui attribuuntur.

Verum ut recte superiora de inferioribus praedicentur, oportet ut quidam modi noscantur a Porphyrio invecti et dispositi, qui PRAEDICABILIA vel CATEGOREMATA vel etiam simpliciter UNIVERSALIA appellantur; et docent rationem praedicationis, quomodo scilicet aliquid praedicatur de alio, ut genus, ut species, ut differentia, ut proprium, vel ut accidens; v. g. ad recte praedicandam animalitatem de homine (quae continetur in praedicamento substantiae) occurrit notio *generis* et dicitur animal de illo praedicari ut *genus*. Universa igitur tractatio logica de universalibus reducitur ad tractatum de praedicamentis et de praedicabilibus.

Quemadmodum autem duplex habetur universale, duplex item habetur tractatus de praedicamentis, logicus et metaphysicus (etsi melius in metaphysica haec vocentur *categoriae*); diversa tamen ratione agendi: « Logicus considerat omnia ut methaphysicus, sed modus alius considerationis, scilicet per quid reale et per intentionem secundam. » *Metaph.* VI. q. III. n. 15. Et *Praedic.* q. II. n. 2. « Praedicamenta dupliciter possunt considerari: uno modo inquantum sunt entia: alio modo inquantum considerantur a ratione, sive inquantum aliqua proprietas ab intellectu causata eis attribuitur. Primo modo de eis considerat metaphysicus; subiectum enim ejus est Ens inquantum Ens: secundo modo hic (in logica) de eis consideratur. »

ARTICULUS V.

De praedicabilibus.

Praedicabilia, ut dictum est, significant ordinarios modos praedicandi qui ad quinarium numerum reducuntur et sunt *genus, species, differentia specifica, proprium* et *accidens:* de quibus breviter. Verum ne ulla appareat causa difficultatis in horum definitione afferenda, in antecessum quid quidam termini sibi velint explicare oportet.

Praedicare in *quid* significat praedicare essentiam per modum essentiae; et hoc dupliciter contingit, idest, vel totaliter (*species*) vel partialiter (*genus*).

Praedicare in *quale* est praedicare per modum denominantis, quod item dupliciter accidit; vel enim praedicat subiecti essentiam, vel accidens: primo modo dicitur in *quale quid* (*differentia specifica*); altero modo simpliciter in *quale;* quod item partitur in quale *proprium* (*proprium*) et in quale *commune* (*accidens*). Vide *Univ.* q. XII. n. 5. et 6.

Quibus positis, en definitiones.

I. GENUS est illud universale quod de pluribus *specie* differentibus praedicatur in *quid* secundum essentiam *incompletam;* v. g. animal relate ad hominem et belluam. Dicitur *praedicari* ut notio logica distinguatur a metaphysica: additur de *pluribus* ut innuatur ratio formalis universalis: dicitur *specie differentibus,* quia genus sub se plures habet species: apponitur in *quid* quia genus ingreditur essentiam, non quidem totaliter, sed in parte communiori, quod innuitur per cetera.

Genus in supremum, medium et infimum discerpitur.

SUPREMUM dicitur quod alia genera *supra se non habet,*

ideoque numquam fieri potest species: talia sunt decem praedicamenta, quae propterea etiam suprema genera praedicandi appellari consueverunt.

Medium dicitur, genus quod *supra se et infra se* alia genera *habet;* v. g. corpus et vivens in praedicamento substantiae.

Infimum dicitur genus quod *infra se respuit* alia genera; v. g. in eodem praedicamento *animal.*

Nota 1° *genus* dici solum relate ad sua *inferiora*, non vero ad superiora, quia sic *species* evaderet; v. g. *animal* relatum ad *rationale* genus est, relatum autem ad vivens est species vel differentia.

Nota 2° genus ad speciem vel refertur immediate, v. g. animal ad rationale, vel mediate, v. g. vivens ad hominem: in prima hypothesi dicitur *proximum*, in altera *remotum*. Vide ibid. a q. xiv.

II. Species illud universale audit quod praedicatur de pluribus *solo numero* differentibus in *quid* secundum essentiam *completam;* v. g. animal rationale de homine. In definitione cuncta patent, si excipiantur ea verba *solo numero differentibus*, quae sic intelligenda sunt: cum species complectatur totam rei essentiam, ea de quibus praedicatur, non possunt differre in principiis essentialibus, secus non forent illius speciei: superest ideo ut solo numero differant. Si autem inveniuntur quaedam species, v. g. animal relate ad vivens, quarum inferiora in essentialibus differunt, id accidit ex eo quia notio non consideratur amplius ut species, sed ut genus. Ceterum definitio praecipue in specie infima clarissime manifestatur.

Species perinde ac genus partitur in supremam, mediam et infimam; cujus divisionis ratio ex dictis de genere

satis patet, ad eaque remittimus: itemque facile videri potest quomodo praeter infimam, aliae genus efficiantur. De hoc si alia cupis videas ibid. a q. XXI.

III. DIFFERENTIA *specifica* est illud universale quod de pluribus praedicatur in *quale quid*. Dicta est non *differentia* in genere, sed *specifica*, ut distinguatur ab accidentali; illa enim ingreditur essentiam. Praeter *quid* additum est *quale*, quia differentia exprimit qualis sit essentia rei: sic v. g. si inquiratur *quid* sit homo, optime responderi potest esse animal: si ultro adhuc inquiratur, non dicitur *quid animal* (non enim interrogatur de animalitatis essentia), sed *quale* animal, rationale scilicet. Ibid. q. XXIII. n. 2.

IV. PROPRIUM est illud universale quod de pluribus praedicatur in *quale necessarium* et *reciprocum*. Cum ad *quale* non addatur *quid*, clare colligitur proprium non ingredi essentiam: verum ab ea dimanat; ideoque necessitatem essentiae quodammodo sequitur: et quoniam principia rerum essentialia differunt, differre necesse est etiam proprietates ab ea promanantes: unde bene unum infert aliud, in quo sita est ratio reciprocationis; et sic recte dicitur: homo est risibilis — risibile est homo.

Proprium aliud convenit *soli speciei*, sed *non omni;* v. g. esse geometram: aliud convenit *toti speciei*, sed *non soli;* v. g. esse bipedem: aliud convenit *toti et soli*, sed *non semper;* v. g. canescere: aliud convenit *omni, soli et semper;* v. g. esse risibile in homine. Logicus solum de hoc ultimo considerat. Vide ibi a q. XXX.

V. ACCIDENS est illud universale quod praedicatur de pluribus in *quale contingens*. Differt a proprio, quia hoc intrinsecus advenit, vel melius ab essentia profluit; accidens autem ab extrinseco. Vide ibi a q. XXXIV.

ARTICULUS VI.

De coordinatione universalium.

Praedicamenta, ut vidimus, sunt notiones, vel genera suprema quae sub se multas continent species: hae autem constituuntur per differentias superadditas; quae magis vel minus determinant, quo magis vel minus earum numerus augetur; v. g. substantia determinari potest per octo generales differentias, quae sunt *corporea* et *incorporea, animata* et *inanimata, sensitiva* et *insensitiva, rationalis* et *irrationalis:* si tantum primae duae addantur, determinatur utique; non tamen ita sicut in additione omnium.

ARTICULUS VII.

De complexu et ambitu notionum.

Ad rectam et plenam praedicamentorum notitiam non parum confert cognitio *complexus* et *ambitus* notionum, quae etiam *comprehensio* et *extensio* audiunt.

Complexus notas complectitur quibus notio aliqua constat; ambitus vero numerum eorum de quibus ipsa notio praedicari potest; v. g. complexus hominis substantiam, vivens, sentiens et rationale complectitur; ambitus vero est omnis et solus homo.

Ambitus et complexus in qualibet notione praedicamentali inveniuntur et sunt rationis inversae, idest, quo major est complexus eo minor ambitus, et vicissim. Videatur in exemplo *hominis* et *substantiae:* homo enim maxime patet in complexu, verum in ambitu ad mini-

mum coarctatur; contra accidit in substantia, ut facile quisque videt. Ratio huius, quia per notas superadditas notio magis et magis restringitur; ideoque ratio majoris vel minoris ambitus a numero pendet notarum quibus notio afficitur. Ex eo etiam patet quod logici docent, scilicet, in specie inferiori omnia contineri quae in superiori continentur, non vero e contra; nota enim inferior vel necessario supponit superiores, vel in se eas virtualiter continet: quod non est de superiori relate ad inferiores.

ARTICULUS VIII.

De praedicamentis.

Decem esse praedicamenta superius diximus, quae sunt substantia, quantitas, qualitas, relatio, actio, passio, ubi, quando, situs et habitus.

I. Substantia definitur *ens quod est in se et per se,* scilicet quod non indiget subjecto cui inhaereat.

Dupliciter a Philosopho et a Doctore q. x. ii. *Praed.* dividitur, in *primam* et *secundam: prima* est substantia prout invenitur in rerum natura; et definitur ab Aristotele, *hoc aliquid,* vel omne ens in se quod potest esse hoc aliquid: *secunda* est substantia prout in sui abstractione consideratur, ut dictum est de secundis intentionibus. Quaenam autem sint species in quas discerpitur hoc praedicamentum, vidimus superius.

Substantiae opponitur accidens quod est fundamentum ceterarum categoriarum (hae enim semper aliquod accidens complectuntur) et definitur *ens cui convenit esse in alio tamquam in subjecto.*

II. Quantitas est illud *accidens quo subjectum efficitur quantum et in partes divisibile;* v. g. lignum per quantitatem efficitur bipedale, breve, longum etc. etc.

Ex Philosopho et Doctore q. xvii. *Praed.* dividitur in *continuam* et *discretam. Continua* ea est cujus partes communi vinculo copulantur, ita ut terminus unius simul sit initium alterius etc., v. g. in linea et superficie. Si partes sejunctae sunt, nec communi vinculo nectuntur, *discreta* dicitur; v. g. in numeris.

Utraque subdivitur: continua in *permanentem* et *successivam;* discreta in *numerum* et *orationem.* Dicitur *permanens* cuius partes simul sunt, nec fluunt; v. g. linea: secus dicitur *successiva;* v. g. tempus et motus. *Numerus* dicitur quantitas dimetiens substantiam enumerando; dicitur *oratio* quantitas dimetiens partes sermonis; v. g. poeta.

Permanens adhuc in *lineam, superficiem* et *corpus* patitur dividi: *linea* facit extensionem solum in longitudinem; *superficies* in longitudinem et latitudinem simul; *corpus* vero simul in longitudinem, latitudinem et profunditatem seu altitudinem. Hic corpus non physice accipiendum est, sed *mathematice,* scilicet, pro quantitate his lineis clausa.

III. Qualitas est illud *accidens rem, quam afficit, per se reddens qualem,* v. g. albam, doctam etc.

Hujus quatuor species assignantur a Philosopho, quae sunt *habitus* et *dispositio, potentia* et *impotentia, passio* et *passibilis qualitas, figura* et *forma.*

Habitus est ea qualitas acquisita per quam res bene vel male disponitur et difficulter a subjecto est amovibilis; v. g. virtus radicata et scientia: si faciliter amo-

veri potest *dispositio* audit; v. g. virtus in sui initio, opinio etc. (*Praed.* q. xxxvi. n. 4. et 5.).

Potentia est qualitas congenita qua subjectum bene disponitur ad operandum ea quae sunt ipsius; v. g. propensio ad faciliter philosophandum quae erat in Platone. *Impotentia* ex opposito se habet (*Praed.* ibid. n. 7. et ii. D. xvi. n. 22.).

Passio est qualitas adventitia per breve tempus manens in subjecto quod extrinsece afficit; v. g. pallor ex subito timore ortus: dicitur *passibilis qualitas* si diutius perseverat; v. g. pallor ex aegritudine in facie causatus (ibid. *Praed.* n. 9.).

Forma est qualitas resultans ex apta dispositione partium qua corpus dicitur speciosum vel deforme: talis est symmetria quae corpora viventia comitatur. *Figura* dicitur eadem qualitas resultans in genere ex terminatione quantitatis; v. g. quae terminat lapidem etc. (ib. n. 11.).

IV. Relatio ex Doctore q. xxv. *Praed.* n. 3. est *habitudo unius ad aliud;* vel illud accidens quo unum constituitur ad alterum; v. g. illud per quod pater refertur ad filium et vicissim.

Variae assignantur species relationis, quae sic dividi possunt: alia est relatio *realis,* alia *rationis; realis* dividitur in *praedicamentalem* et *transcendentem;* praedicamentalis in *intrinsecus advenientem* et *extrinsecus advenientem;* intrinsecus adveniens in *mutuam* et *non mutuam;* mutua denique in relationem *aequiparantiae* et *disquiparantiae;* quarum omnium en breviter descriptio.

Relatio est *realis* quae in natura fundamentum sui vere habet; v. g. relatio inter patrem et filium: dicitur vero *logica* quae fit per mentis operationem cum nullo

vel solum levi in re fundamento; v. g. relatio substantiae ad sui inferiora.

Relatio dicitur *praedicamentalis* quando realiter distinguitur a suo fundamento; v. g. relatio albedinis ab ipsa albedine; secus si distinguatur sola ratione, *transcendens* evadit; v. g. relatio creaturae ad Creatorem.

Relatio *intrinsecus adveniens* ea est, quae, posito fundamento, statim habetur; videas exemplum hujus in relatione causae ad effectum; causa enim tunc est quando simul est effectus: *extrinsecus adveniens* e contra ea relatio est, quae non statim sequitur ac fundamentum est positum; v. g. posita palea et igne, non statim habetur relatio, cum praeterea requiratur admotio horum reciproca tanquam conditio *sine qua non.* Ad hanc speciem ex sententia Doctoris (*Quodlib.* XI, n. 13. et alibi) reducuntur sex ultimae categoriae; de quo specialius in altera parte Logicae.

Mutua dicitur relatio cui in altero extremo respondet correlatio: si haec desit, relatio est *non mutua;* v. g. relatio scibilis ad mentem; etsi enim mentis ad scibile sit relatio, non tamen illius ad mentem.

Tandem relatio *aequiparantiae* est quae intercedit inter duo ejusdem rationis; v. g. similitudo inter duos patres: dicitur *disquiparantiae* si fiat inter duo rationis diversae; v. g. inter patrem et filium.

Ad clariorem hujus praedicamenti notitiam notandum in relatione praeter ipsam inveniri *fundamentum, terminum* et *subjectum.* Relatio est ipsum *accidens* quo unum ad alterum dicitur: huic respondet *correlatio* qua terminus ad subjectum refertur: v. g. filiatio est correlatio paternitatis. *Fundamentum* illud dicitur quod est in causa cur relatio fiat; v. g. generatio relate ad relationem inter

patrem et filium. *Terminus* est illud in quo relatio terminatur; v. g. filius in praefato exemplo. *Subjectum* vero id est, cui relatio inhaeret; v. g. homo cui inest paternitas. Videas I. D. XXXI, n. 2.

V.-VI. ACTIO est *illud accidens quo aliquid dicitur agere;* scilicet, non est vis activa, nec effectus ab ea productus, sed *motus* effectum producens. PASSIO vero dicitur *accidens quod est receptio actionis.*

Actio dividitur in immanentem et transeuntem: *immanens* dicitur quae manet in subjecto a quo originem ducit; v. g. intellectio: dicitur *transiens* quae nata est modificari extraneum a se objectum; v. g. actio chirurgica.

Passio dividi potest in *proprie* et *late* sumptam, prout scilicet vel proprie in ea habetur *pati;* v. g. in calefactione passiva; vel solum *late* et *metaphorice;* v. g. in receptione intellectionis ex parte intellectus.

VII. UBI dicitur *illud accidens quod rem in loco determinat;* v. g. Petrum in cathedra.

Dividitur in *circumscriptivum* et *definitivum.* Tunc *ubi* dicitur circumscribere rem quando partes locati respondent partibus loci, ita ut res sit in loco per modum loci: et hoc de solis corporibus verificatur. Dicitur vero rem definire quando res est in loco sine ulla commensuratione et sic non per modum loci; et hoc substantiis spiritualibus convenit; quae licet careant extensione partium, tamen, cum ubique esse repugnet et nihilominus in aliquo *ubi* exigant esse, ab eo solum definiri patiuntur.

VIII. QUANDO est *accidens quo res dicitur esse in tempore vel in aliquo instanti suae durationis.* Dividitur in *successivum* et *permanens:* primum fluit; v. g. tempus: alterum stat; v. g. aevum.

IX. Situs est ***accidens dicens dispositionem corporis in aliquo ubi;*** v. g. an sit sedens vel jacens etc. Situs alius est ***naturalis,*** alius ***violentus:*** primus dicitur qui est naturali rei dispositioni congruus; v. g. lapidi in valle: dicitur ***violentus*** qui est contra inclinationem naturae; v. g. lapidis in aere.

X. Habitus « est habitudo media inter habentem et adiacentia corpori, quae habentur per illum habitum: » (*Praed.* q. XLIV. n. 8.) seu ***denominatio quaedam extrinseca resiliens ex circumadiacentia vestimentorum*** vel eorum quae vices gerunt vestimentorum vel quasi vestimentorum. Dividitur in ***indumentum*** et ***ornamentum,*** secundum quod adiacentia vel sunt ad induendum simpliciter, vel etiam ad ornandum, v. g. annulum, armillae etc.

CAPUT II.

De judicio et propositione.

Altera mentis operatio ea est quae judicium et propositio appellatur. Ratio ordinis igitur expostulat ut tractatum de notionibus et terminis statim tractatus sequatur de secunda mentis operatione. Verum quoniam oratio tamquam genus est relate ad propositionem et syllogismum, ideo de ea pauca praemittimus.

ARTICULUS I.

De oratione.

Oratio ex Philosopho *Perih.* c. IV. definitur: vox ex instituto significans, cujus partes separatae significant

aliquid, non ut affirmatio et negatio, sed ut dictio. Ea verba *ex instituto significans* munere generis in definitione funguntur, cum id commune habeat oratio cum terminis, significare aliquid ex conventione hominum. Alia verba *cujus partes separatae significant* locum tenent differentiae specificae et distinguunt orationem a termino, cujus partes divisae nullius sunt significationis: v. g. partes hujus orationis — Deus est creans omnia — si separentur, significant ut termini: verum si termini ipsi dividantur, nihil omnino referunt, ut patet.

Orationis praecipuae partes sunt *nomen* et *verbum:* ceterae quae a grammaticis assignantur potiusquam partes, modificationes nominis et verbi habendae sunt, vel notae ad ornamentum et facilitatem sermonis invectae. Ad *nomen* reducitur adjectivum et pronomen: adverbia reducuntur partim ad *verbum,* et partim ad *nomen: interjectiones* sunt naturales affectiones naturaliter expressae, quae implicite continent propositiones: articuli, praepositiones et conjunctiones sunt ad ornamentum et facilitatem sermonis. Videas q. XIX. n. 3. I. *Prior.*

NOMEN ex Aristotele et Doctore *Perih.* I. q. V. definitur: « vox significativa secundum placitum sine tempore, cujus nulla pars separata est significativa. » Definitio in cunctis patet, si ea verba excipiantur *sine tempore:* id autem significat *nomen* referre rem absolute et independenter a quavis relatione temporis: v. g. homo animal rationale significat absque ullo respectu ad tempus.

Difficultas quoad ea nomina oriri potest quae tempus significant; v. g. mensis, dies, coena etc. Verum notandum aliud esse *significare* tempus, aliud *consignificare:* primum importat referre tempus uti est res; alterum referre rem

simul et tempus; v. g. *manduco,* idest pono *nunc* actionem *comedendi.* Item notandum aliud esse consignificare *per se,* aliud consignificare *per accidens.* Primum, idest significare tempus, uti est res, potest esse *nominis,* cum revera tempus sit res: alterum, scilicet consignificare per se, est proprium solius *verbi:* tertium, idest, consignificare *per accidens* potest esse nominis; et tunc accidit quando res significata per nomen complexa est, idest, multa significans per modum quasi propositionis; v. g. *coena* significat actionem *comedendi vespere,* quae secus pluribus terminis exprimenda foret.

Ex dictis satis facilis evadit definitio VERBI a Philosopho et a Doctore tradita: « Verbum est quod consignificat tempus. » Oper. sec. *Perih.* q. VI. et I. D. XII. q. I. n. 13.

Oratio multimodis dividitur; et imprimis in *perfectam* et *imperfectam:* prima sensum completum habet, v. g. amo Deum: altera incompletum; v. g. Quos ego... Perfecta subdividitur in *enunciativam* et *non enunciativam;* prima aliquid absolute profert; v. g. Plato multa didicit: secunda non sic; v. g. Deus faxit. Non enunciativa tandem partitur in *deprecativam;* v. g. miserere mei; in *imperativam;* v. g. reple ollam; in *prohibitivam;* v. g. ne id facias; in *interrogativam;* v. g. vidistine? et in *optativam:* v. g. utinam valeres.

ARTICULUS II.

De judicio.

JUDICIUM est *operatio qua mens componit et dividit affirmando vel negando:* efficitur autem postquam mens quibusdam notionibus potita est; quas si convenire conspicit, componit affirmando; si secus, dividit negando:

« intellectum componere et dividere non est, nisi intellectum judicare ita esse in re, vel ita non esse. » Op. sec. *Perih.* q. III. n. 3. In judicio igitur occurrunt et *visio* notionum et *comparatio* harum et *visio convenientiae et discrepantiae* et tandem *affirmatio vel negatio;* in qua ultima ratio formalis judicii sita est, cum solum in ea compositio vera vel divisio accidat.

Judicium verbis prolatum dicitur PROPOSITIO; inter quae eadem convenientia interest, quam vidimus inter notionem et terminum esse: multa igitur, imo fere omnia habent communia, quae exponentur in sequentibus articulis, ubi de propositione sermo erit. Verum quemadmodum alibi diximus de simplicibus quaedam proprius convenire notioni et quaedam termino, ita de complexis dicimus quaedam proprius convenire judiciis: haec autem divisionem respiciunt, quam statim apponimus.

Judicium dividitur in analyticum, seu a priori, et in syntheticum, seu a posteriori: quorum utrumque in immediatum et mediatum discerpitur. Judicium dicitur *analyticum* quando praedicatum est de essentia subjecti, vel ab ea dimanans; et hoc nomine appellatur, quia ex consideratione seu analysi subjecti videmus praedicatum ipsi subjecto inesse; v. g. ex analysi *totius* et *partis* manifeste apparet hujus judicii veritas, *totum est majus sua parte. Syntheticum* est judicium in quo ope experientiae videmus praedicatum subjecto convenire; v. g. *ignis comburit.* Horum veritas vel immediate patet, comparatione instituta, vel non: in prima hypothesi judicium dicitur *immediatum;* in altera *mediatum:* pro primo sunt exempla superius allata; pro secundo sit immortalitas, quae asseritur de anima ex ipsa sua spiritualitate.

Nota. Judicia analytica dicuntur non solum a priori, sed etiam necessaria, vel in materia necessaria, absoluta, pura, rationalia et metaphysica: judicia synthetica praeterquam quod dicuntur a posteriori, audiunt etiam contingentia, seu in materia contingenti, hypothetica, empirica et physica.

ARTICULUS III

De propositione in genere.

Propositio *est oratio affirmativa vel negativa alicujus de aliquo.* Cum autem quoad substantiam haec conveniat cum definitione judicii, ex dictis in articulo praecedenti facile patet.

Tria in enunciatione inveniuntur, quae tamquam ipsius elementa jure habentur; scilicet *subjectum* et *praedicatum* cum *copula. Subjectum* est id de quo aliquid enunciatur; id autem quod subjecto tribuitur, *praedicatum* dicitur: nota vero qua haec uniuntur, appellatur *copula:* duo prima elementa vocantur quoque *extrema* propositionis; nota componens vel mediante particula *non* dividens, *nota* compositionis audit. Vide vi. *Metaph.* q. iii. n. 13.

Non semper tamen haec tria elementa explicite occurrunt in propositione; sed aliquando, imo saepius, implicite. « In omni praedicatione, ait Doctor *Metaph. Text.* l. v. c. vii. n. 66. ponitur verbum essendi implicite, vel explicite; nam si ibi ponitur aliquod verbum, illud resolvitur per participium et per *est;* unde idem est dicere homo est convalescens, quod homo convalescit, et sic de aliis. »

Verbum *est* quod hic copulae munere fungitur, non

adhibetur in sensu existendi, sed inhaerendi; dicendo enim *Plato est sapiens* non innuitur Platonem existere et in sui existentia habere sapientiam; sed simpliciter sapientiam ei inesse.

Propositio in qua subjectum solum cum verbo adhibetur, a scholasticis vocari solet propositio *de secundo adjacente;* v. g. Socrates loquitur: si vero explicite tria elementa contineat, appellatur propositio *de tertio adjacente;* v. g. Deus est verax.

Etsi *enunciatio* et *propositio* pro eodem usurpentur, nihilominus quandam praeseferunt differentiam; quia primo modo nominatur quando solitaria invenitur, vel quomodoquumque extra syllogismum; altero modo quando in syllogismo praemissas constituit; in inferendo vero dicitur *conclusio, consequens, illatio* etc.

Pro coronide articuli notamus in propositione inveniri 1. *formam* quae nexum praedicati cum subjecto respicit; 2. *materiam* quae ex elementis ipsius propositionis constituitur; 3. *quantitatem* quae ex duplici capite oriri potest vel ex *unitate* et *multiplicitate* terminorum; v. g. si plura subjecta, vel praedicata habeantur; vel ex *extensione* subjecti; v. g. an singulare, vel universale sit etc.; 4. tandem *qualitatem* seu affirmationem, vel negationem.

Cum autem de forma et de materia sufficienter superius dictum sit, breviter de quantitate et qualitate hic agamus oportet.

ARTICULUS IV.

De divisione propositionis ex parte quantitatis.

QUANTITAS in propositione, ut dictum est, vel ex multiplicitate terminorum, vel ex extensione elementorum

repeti potest. Si primum propositio dividitur in *unam* et *multiplicem:* una rursus *in unam simpliciter* et *in unam per accidens.* Si secundum, habetur partitio in *universalem, particularem, singularem* et *indefinitam.*

Una ea propositio dicitur, in qua unicum subjectum cum unico praedicato invenitur; v. g. Petrus legit. *Multiplex* vero dicitur ea in qua multiplex est subjectum, vel praedicatum, vel utrumque simul; v. g. Socrates philosophatur et ambulat; vel, Socrates et Plato disputant; vel, Socrates et Plato disputant et deambulant.

Propositio dicitur *una simpliciter* si nullimode unicum subjectum et praedicatum ejus modificationem patitur; si vero hanc modificationem patiatur ex parte alterutrius absque adjectione novae copulae, *non simpliciter simplex,* vel *una per accidens* dicitur: cujus exemplum habetur in hac propositione, *animal rationale mortale philosophatur:* (II. *Perih.* q. IX. n. 4), *rationale* enim et *mortale* non sunt nova subjecta, sed aliquid explicans et determinans *animal.*

A recentibus invecta est *propositio complexa,* quae ab his definitur: propositio cujus subjecto et praedicato alia propositio additur. Si propositio addita referat passionem, seu proprietatem, vel aliquid essentiale, complexa dicitur *una;* et vocatur principalis ea pars quae subjectum vel praedicatum continet affectum ab altera parte quae dicitur *incidens restrictiva; incidens* quidem, quia additur principali; *restrictiva,* quia determinat essentialia; talis est propositio: homo est animal quod ratione pollet. Si vero propositio addita referat aliquod extra essentiam, vel rei passiones, complexa vocatur *multiplex;* et ea quae principali apponitur *incidens explicativa* dicitur, quia explicat qualitates subjecti vel praedicati: talis est pro-

positio: homo, qui est philosophus, laudatur. Ratio hujus unitatis et multiplicitatis in complexis ex eo deducitur quia *restrictiva* per modum unius se habet cum principali, cum non referat novum elementum: quod certe non accidit in *explicativa*.

Si quantitas propositionis ex extensione elementorum attendatur, propositio dividitur in *universalem, particularem, singularem* et *indefinitam*. Est autem *universalis*, cujus subjectum universaliter sumitur; v. g. omnes homines sunt mortales: est *particularis*, quando subjectum particulariter usurpatur; v. g. aliqui homines eminentes sunt virtute: *singularis* dicitur, cum subjectum propositionis est aliquod individuum determinatum, v. g. Petrus loquitur: denique dicitur *indefinita*, cujus subjectum in extensione non determinatur; v. g. homines decipiuntur: hic enim non determinatur de numero hominum, an scilicet omnes, vel solum aliqui deceptione capiantur.

Tamen bene haec ultima determinata in ambitu reddi potest, addendo notas universalitatem vel particularitatem innuentes, idest, *omnes, aliqui* etc., quae propositioni apponuntur secundum hanc regulam: si praedicatum est de essentia subjecti, vel ab eo ut passio promanet, propositio evadit *universalis*, quia hujusmodi in cunctis inveniuntur ad eamdem speciem, vel ad idem genus pertinentibus: quando autem praedicatum est essentiae extraneum, neque ab ea dimanans, propositio evadit *particularis*, quia accidens adesse et abesse potest; ideoque non in omnibus et ab omnibus.

ARTICULUS V.

De divisione propositionis ex parte qualitatis.

Ex parte qualitatis propositio multipliciter partitur: nam vel in ea invenitur aliqua particula et modus, vel non: in secunda hypothesi *categorica* dicitur et dividitur in *affirmantem, negantem* et *indefinitam*: in primo casu dividitur in *modalem, hypotheticam* et *exponibilem*; de quibus singillatim hic et in sequentibus articulis. Quod autem optime haec distinctio (scilicet inter categoricas et alias modo vel alia quavis particula affectas) inducta sit, patet ex eo, quia « semper propositio denominanda est a *copula,* per quam fit unio extremorum illius propositionis. Verbi gratia in hypotheticis hypothetica denominantur a *conjunctione*, per quam uniuntur categoricae. Item propositio categorica denominatur de *inesse* a verbo est etc. » I. *Prior.* q. XXV. n. 2.

Propositio dicitur AFFIRMANS quae componit aliquod praedicatum cum aliquo subjecto; v. g. homo currit: dicitur NEGATIVA quae negando praedicatum aliquod removet a subjecto; v. g. homo non est Deus (videas I. *Post.* q. III. n. 4): dicitur INFINITA si constet ex aliquo termino infinito; v. g. non homo currit; vel homo est non Deus.

NOTANDA. I. Propositio affirmans et negans in *complexu* et *ambitu* sunt *rationis inversae;* quia praedicatum affirmantis sumitur secundum totum suum complexum, non vero secundum totum suum ambitum: contra, praedicatum negantis; v. g. si dicatur, *homo est rationalis, rationale* praedicatur secundum omnes notas ad rationalitatem requisitas; tamen homo non explet totam ratio-

nalitatem; ideoque haec de eo non praedicatur secundum totum ambitum; et praefata propositio sic recte reddi potest: *homo est aliquod rationale.* Si contra dicatur, *homo non est bellua,* absolute negatur possibilitas inveniendi vel unam belluam quae sit homo, licet quasdam brutorum notas non repugnet homini inesse, v. g. esse animal, vivens etc.

II. Quoad *infinitam* notamus eam tum *affirmationis,* tum *negationis* esse participem, et sic *mediam* quodammodo esse inter praememoratas; quia etsi in copula sit affirmatio, tamen in aliquo est negatio: vel, ut cum Doctore loquamur (*Perih.* op. sec. q. iv. n. 9.) haec est determinate negativa quoad terminum cui praeponitur negatio; est vero indeterminate affirmans quoad terminum quem ponit indeterminate: v. g. in hac propositione, *Petrus est non currens,* negatur quidem esse currentem de Petro, tamen aliquid indeterminate ponitur praeter esse currentem. « Dico igitur quod nomen infinitum non ponit aliquid, ita quod in intellectu suo essentiali aliquod ens includatur secundum naturam; includit tamen aliquid indeterminatum ad ens naturae et ens intelligibile; sicut dicendo *non homo* quidquid potest intelligi sub negatione hominis, potest dici *non homo* » (ibi). Animadvertit insuper *ens* et *aliquid* non posse in infinita converti, quia extra ea nihil omnino est.

III. Nota tandem diversam rationem infinitatis ex parte materiae, de qua in praecedenti articulo, et infinitatis ex parte formae, de qua hic actum est.

ARTICULUS VI.

De propositione modali.

Propositio MODALIS dicitur quae non solum praedicatum, sed etiam *modum* convenientiae et discrepantiae illius cum subjecto continet; v. g. Plato *contingenter* disputat. Non igitur quaelibet propositio *modificabilis*, modalis dicitur, quia, ut videbimus, in hac hypothesi, nulla propositio extra ambitum modalitatis inveniretur; sed ea sola sic dicitur quae modum explicite habet. I. *Prior.* q. XXV. n. 4.

Ad hujus rei majorem claritatem distingue modos; quidam enim *praedicatum* tantum modificant; quidam vero *unionem* elementorum: ex quo ad invicem differunt; v. g. si dicatur, *Socrates sapienter loquitur, sapienter* non copulam modificat sed *loquitur;* et propositio sic redditur: *Socrates est sapienter loquens;* contra si dicatur, *Socrates contingenter loquitur, contingenter* dicit modum quo « *loquitur* » Socrati *unitur*. Alia differentia inter hujusmodi modos in eo sita est, quod primi sunt particulares ex lege generali, alteri vero semper de se communes. Logica autem cum sit scientia universalis, nonnisi de his ultimis considerat, in quibus modus est modificatio copulae. Ibi q. XXVI. n. 4.

Modi logicales quatuor tantum sunt, idest *contingenter* et *necessario, possibiliter* et *impossibiliter*. CONTINGENTER adhibetur pro his in quibus praedicatum adesse vel abesse a subjecto potest: NECESSARIO quando praedicatum est passio vel pars subjecti: POSSIBILE respicit futurum non necessarium: IMPOSSIBILE vero id quod non

potest esse. Dicuntur autem *generales*, quia unus vel alter convenit cuilibet propositioni.

In propositione modali et *modus* invenitur et *dictum*: DICTUM est propositio ipsa categoria manens ex separatione notae modificantis: nota modificans, MODUS appellatur.

Modalis propositio dividitur in *affirmantem* et *negantem*, in *universalem* et *particularem*. Verum non ab eodem haec desumit, a quo propositio categorica.

Dicitur enim modalis *affirmans*, si modus sit affirmans, nullo habito respectu ad propositionem: dicitur autem *negans* si modus ipse neget: v. g. affirmans est haec modalis *necesse est hominem non esse belluam*, licet propositio neget: contra, negans est si dicat *impossibile est hominem esse angelum*.

Universalis dicitur quando continet *necesse est et impossibile est; particularis* vero si continet *contingens est, possibile est*. Ratio horum est quia *modus* est per modum rationis formalis in hujusmodi propositionibus; a quo etiam affectiones, vel passiones ejus deduci debent.

De secundo, seu de universalitate etc. notamus *necesse* et *impossibile* respicere essentialia, vel quasi essentialia et ea quae essentiae contrariantur: essentialia sunt communia: ergo et modi etc. Contra *contingens* et *possibile* accidens includit, vel accidentalem existentiam substantiae: accidens autem non exigit esse in omnibus: hinc si dicatur *possibile est omnes homines esse albos*, propositio non est universalis ratione modi, quia non dicitur actu omnibus hominibus albedo convenire. Imo nec universalis esset, si diceretur *contingens est omnes homines actu esse albos*, etiam praesupposita veritate ex parte dicti; quia

id per accidens accideret, et omni instanti modificationem veritas pati posset: quod certe repugnat universalitati.

ARTICULUS VII.

De propositione hypothetica.

Propositio dicitur *hypothetica* ex aliqua hypothesi quam continet. Componitur autem ex pluribus categoricis in unam convenientibus, mediante aliqua particula quae hypothesim innuit (I. *Prior.* q. v. n. 9.), v. g. si dies est, lux est. Etsi hypothetica quandam multiplicitatem praeseferat, tamen formaliter est una, quia multa quae in ea inveniuntur, non significat *disparate,* sed *unitive;* v. g. dicendo *si est homo, est animal,* non dicitur unum et alterum divisim, sed tantum *esse animal* dependenter ab *homine. Paris.* IV. D. VIII. q. II. n. 6.

Hypothetica triplex est, alia *connexa,* alia *conjuncta* et alia *disjuncta.*

Connexa, seu *conditionalis* dicitur cujus partes connectuntur per particulam *si, si quidem, si non;* v. g. si dies est, lux est. Categorica cui particula conditionalis unitur, dicitur *antecedens,* altera *consequens,* quia a primo profluere intelligitur. Ad hujus veritatem nexus inter partes requiritur cum dependentia consequentis ab antecedente: si secus, non vera foret propositio, licet partes verae forent; v. g. si diceretur de homine, *si est animal, ratione pollet.*

Conjuncta dicitur hypothetica in qua partes nectuntur per particulam *non, haud,* etc., v. g. non est mortuus Plato? vivit. Ad veritatem hujus requiritur totalis oppo-

sitio inter partes, ita ut una absque medio excludatur ab altera, sicut patet in exemplo.

Disjuncta ea est in qua partes copulantur per particulam *aut, vel,* etc., v. g. aut vivit, aut mortuus est Plato. Pro veritate hujus necessario requiritur, sicut in conjuncta, vera partium oppositio; vel integra partium enumeratio, si de his agatur, quae medium patiuntur: exemplum pro prima: *aut vivit, aut mortuus est Plato:* pro secunda: *triangulum aut est rectangulum, aut acutangulum, aut obtusangulum.*

Quidam inter hypotheticas reponunt etiam propositionem *causalem,* in qua includitur suae veritatis ratio; v. g. tu es improbus, quia Deum blasphemas. Verum in ea deest vera hypothesis, quia esse improbum non dicitur sub conditione, sed absolute cum determinatione rationis improbitatis.

ARTICULUS VIII.

De propositione exponibili.

Propositio EXPONIBILIS, ut nomine innuitur, dicitur quae expositione indiget: neque enim omnia semper brevi possunt significari, quin expositio aliqua necessaria sit. Haec videtur esse *una,* si materialiter consideretur; verum si formaliter inspiciatur *multiplex* est, cum plura significet: et vocatur *exponens* ea in quam resolvitur; *exposita* vero ea quae per resolutionem declaratur; v. g. *tu es Deus solus,* est exposita, si sic redditur *tu es Deus et non est alius Deus;* quae quatenus est declarativa *exponens* dicitur. De exponibili loquens Doctor I. *Prior.* q. v. n. 9. ait: « Exponentibus et expositae correspondet idem con-

ceptus in mente et ideo in tali consequentia infertur idem per idem. »

Exponibilis in *exclusivam, exceptivam, comparativam* et *reduplicativam* dividitur.

Est *exclusiva* quando sibi annexam habet aliquam ex his particulis *solum, tantum* etc., quae exclusionem inferunt; v. g. solus Deus est infallibilis. Si exclusiva se teneat ex parte subjecti, dicitur *exclusiva subjecti;* si ex parte praedicati, dicitur *exclusiva predicati.* Idem teneas de reliquis etiam exponibilibus.

Exponibilis *exceptiva* dicitur si afficiatur particula exceptiva; v. g. *nisi, si non* etc., v. g. imperitus, nisi quod ipse agit, rectum putat: idest: imperitus rectum putat quod ipse agit; e contra, non rectum putat quod alius agit. *Nota* quod si particula exceptiva in exclusivam convertatur, propositio haec exponibilis convertitur in exclusivam: quare levis inter eas differentia adest.

Comparativa exponibilis est quae particula aliqua comparativa constat; v. g. *magis, minus* etc., v. g. qui me tradidit tibi, majus peccatum habet; idest, tu peccatum habes, sed peccatum eorum, qui me tibi tradiderunt, est majus etc.

Exponibilis *reduplicativa* sibi unitam habet particulam reduplicativam, idest, *inquantum, ut, quatenus, secundum quod* etc., v. g. homo, quatenus homo, est capax ratiocinii; quae sic resolvitur; homo est capax ratiocinii et id ei convenit ex ratione formali hominis.

Reduplicatio ex Doctore *Quodl.* III. n. 7. dupliciter sumitur, idest, *specifice* et *reduplicative.* Dicitur *specifice* quando per eam solum designatur qua significatione terminus assumitur, vel, ut Doctor loquitur, quando notat

rationem accipiendi illud quod determinatur per ipsam; v. g. omne ens, quatenus est in Deo, Deus est. Dicitur *reduplicative* quando « proprie importat causalitatem respectu inhaerentiae praedicati » (ibi); idest quando exprimit rationem formalem inhaerentiae praedicati cum subiecto; v. g. homo, inquantum animal, est sensiens. Vide et I. *Prior.* q. XXXV. n. 2.

ARTICULUS IX.

De oppositione propositionum.

Oppositio propositionum ex Phil. 1. *Perih.* c. 4. est *affirmatio et negatio ejusdem de eodem non aequivoce:* scilicet in oppositione duae propositiones necessario requiruntur, in quibus idem sit subjectum et idem praedicatum, et quorum significatio non sumatur aequivoce, sed univoce, variata sola qualitate; quia una affirmans, altera negans sit oportet; v. g. omne animal est sensile — nullum animal est sensile. Contra, ratione aequivocationis non sunt oppositae hae propositiones: omnis canis latrat — aliquis canis non latrat, quia *canis non latrans* potest non esse idem cum subjecto primae propositionis.

A philosophis quatuor assignantur *species oppositionis;* quae sunt oppositio contraria, contradictoria, subcontraria et subalterna.

Contrarietatis oppositio est duarum propositionum universalium repugnantia; v. g. omnis homo est justus — nullus homo est justus. Si propositiones sint ambae particulares, oppositio *subcontraria* appellatur; v. g. aliquis homo est justus — aliquis homo non est justus. *Con-*

tradictoria habetur inter istiusmodi propositiones, quarum una est universalis, altera vero particularis; v. g. omnis homo est justus — aliquis homo non est justus. Dicitur tandem ***subalterna*** quando oppositio inter duas propositiones solum in quantitate sita est; v. g. ***omnis*** homo est justus — *aliquis* homo est justus.

Verum haec ultima nonnisi late reponi potest inter oppositas, quia deest ei primum quod ad veram oppositionem requiritur, idest, affirmatio simul et negatio.

Aliquando in oppositione pro subjecto invenitur aliquid singulare; v. g. omnis homo est justus — *Socrates* non est justus: et tunc propositio sumitur quasi universalis relate ad oppositionem et sic explicari potest: omne id quod est Socrates: parit ideo contrarietatem, sicut in exemplo exposita est.

Pro veritate et falsitate hujusmodi propositionum dicimus:

I. Contrarias non posse evadere ambas veras; sed vel unam falsam et alteram veram, vel utramque falsam: primum accidit cum praedicatur essentiale, vel essentiali repugnans; alterum cum praedicatur accidens: exemplum primae contrarietatis: omnis homo est rationalis — nullus homo est rationalis; exemplum secundae: omnis homo est justus — nullus homo est justus. Ratio primi, de impossibilitate veritatis ex utraque parte; quia una totaliter negat, quod altera similiter affirmat: jam vero idem non potest simul esse et non esse. Ratio secundi, de veritate ex una tantum parte quando agitur de essentialibus etc.: quia essentiale, vel repugnans essentiali adest, vel abest omnibus: non autem simul affirmatio, vel negatio ejusdem; ergo vel sola negatio, vel sola affirmatio. Ratio tertii, de

falsitate ex utraque parte etc.; quia accidens non invenitur in omnibus.

II. Subcontrarias vel ambas esse veras; vel unam veram et alteram falsam; non tamen utramque falsam. Primum accidit in accidentalibus; secundum in necessariis. Ratio primi; quia accidens *adest,* vel *abest,* idest in quibusdam invenitur, in quibusdam deest. Ratio secundi, quia essentiale vel cunctis repugnat, vel a cunctis exigitur absque exceptione: in casu autem exceptio daretur. Ratio tertii desumitur ex eodem principio contradictionis *non potest idem simul esse* etc.

III. Contradictorias non posse esse ambas veras, nec ambas falsas, sed unam veram et falsam alteram. Ratio deducitur ex dictis.

IV. Subalternas circa essentialia evadere ambas vel veras, vel falsas; circa accidentalia unam tantum affici veritate. Ratio patet.

Pro modalibus oppositio sic exponitur: sunt contrariae *impossibile est et necesse est;* sunt contradictoriae *impossibile est et possibile est;* vel, *necesse est et possibile est non esse:* sunt subcontrariae, *possibile est esse et possibile est non esse:* sunt subalternae *necesse est et possibile est;* vel, *impossibile est* et *possibile est non esse.*

ARTICULUS X.

De conversione propositionum.

Conversio propositionum ex Doctore I. *Prior.* q. XII. n. 2. *est facere de subjecto praedicatum et de praedicato subjectum cum necessitate consequentiae.* Scilicet in conversione transfertur locus terminorum, quia subjectum

convertitur in praedicatum et viceversa: non mutatur tamen qualitas propositionum, nec ambitus terminorum: affirmans ergo convertitur in affirmantem; quae non sumuntur secundum totum ambitum, coarctari indigent etc. Quibus regulis servatis, propositio conversa eadem manet; quod innuitur per ea definitionis verba *cum necessitate consequentiae;* v. g. *nullus homo est planta*, convertitur: *nulla planta est homo.*

Propositio quae datur convertenda, dicitur *conversa;* ea per quam convertitur, *convertens* appellatur.

Nota tamen quod conversio non respicit propositiones prout sunt *oppositae,* sed *in se.*

Item *nota* aliquando propositionem convertibilem mutare quantitatem et de universali fieri particularem: et id accidit quando praedicatum latius patet quam subjectum. Ut videatur autem quando modificatio necessaria est, sequentes traduntur regulae. Quas ut rectius intelligas, scias a logicis qualitatem et quantitatem propositionum vocalibus sic designari: propositionem generalem affirmantem per *A;* generalem negantem per *E;* particularem affirmantem per *I;* particularem negantem per *O.*

Asserit *A,* negat *E,* verum generaliter ambo,
Asserit *I,* negat *O,* sed particulariter ambo.

Quibus positis, en regulae quae his versiculis continentur:

Simpliciter fEcI convertitur, EvA per accid.
AstO per contrap. sic fit conversio tota.

Propositiones *E* et *I* quae in *feci* inveniuntur, seu universalis negativa et particularis affirmativa ex lege generali semper *simpliciter* convertuntur; idest mutandus est locus terminorum, non autem quantitas propositionis;

v. g. *nullus homo est planta,* convertitur *nulla planta est homo;* vel *aliquis homo est justus,* convertitur *aliquis justus est homo.*

E et *A* quae sunt in *eva,* seu universalis negativa et universalis affirmans convertuntur per accidens, idest mutanda est quantitas propositionis, ita ut de universali fiat particularis, v. g. *omnis homo est rationalis,* convertitur *aliquod rationale est homo:* verum in *A* semper (nisi praedicatum exprimatur per notas coarctantes ejus ambitum ad ambitum subjecti; v. g. omnis homo est animal rationale); in *E* vero in quibusdam tantummodo casibus, de quibus vide Doctorem ibid. n. 4.

A et *O,* quae sunt in *asto,* seu propositio universalis affirmans et particularis negans convertuntur per contrappositionem, idest, termini subjectum et praedicatum signantes in conversione fiunt infiniti; v. g. *omnis homo est rationalis* convertitur per contrappositionem *aliquod non rationale est non homo*: id autem licet liberum sit quoad *A,* necessarium est quoad *O.*

Recolligendo igitur leges generales dicimus *E* et *I* converti simpliciter; *A,* per accidens; *O* per contrappositionem.

Ratio pro *E* sic a Doctore affertur: « Propositio universalis negativa virtute signi universalis significat praedicatum pro quolibet suo supposito removeri a subjecto.... igitur sicut unum potest removeri a reliquo, ita e converso » (ibi n. 4.): esse autem hanc regulam universalem ita demonstrat I. *Perih.* q. XII. n. 6.: « Ad veram conversionem requiritur quod convertens capiat de virtute conversae quantum est possibile, transpositis terminis; sed non est ita si convertatur universalis negativa in parti-

cularem negativam, quia in transpositis terminis potest plus capere; tenet tamen consequentia per mediam conversionem simplicem: » ita v. g. si diceretur *nullus homo est planta,* planta sumitur secundum totum ambitum: ergo etiam in facta conversione: quod non accideret si per accidens converteretur.

Ratio pro *A* est, quia praedicatum generaliter in se latius patet quam subjectum: in conversione igitur coarctari indiget; v. g. omnis homo est rationalis, convertitur: *aliquod rationale* est homo; non autem *omne rationale* est homo. Vide ibidem *Prior.* q. XIV. n. 4. et I. D. XXI. n. 6. etiam exceptiones subtiliores allatas a Doctore.

Ratio pro *I* facile ex dictis apparet. Si vis, videas ibid. *Prior.* q. XIII.

Ratio pro *O,* est quia non potest converti *per accidens,* cum sit particularis; non *simpliciter,* cum saepius consequentia formalis desit; v. g. *animal* non infert necessario *hominem;* ideo si propositio convertenda sic exponeretur: *aliquod animal non est homo,* haberetur *aliquis homo non est animal:* superest igitur ut convertatur solum per contrappositionem. Ibi q. XV.

Verum conversio per *contrappositionem* a Doctore ibid q. XV. n. 5. merito rejicitur; primo quia in ea non manent iidem termini; secundo quia in ea non invenitur formalis consequentia. Primum patet; nam si convertatur haec propositio *omnis homo est rationalis,* hujusmodi evaderet: *omnis non rationalis,* scilicet quodlibet aliud a rationali, *est non homo,* idest aliud quodquumque ab homine. Secundum procedit a primo.

Tractatus de conversione propositionum utilis est non solum quia perficit notitiam de natura et passionibus

propositionis, sed etiam inservit pro reductione syllogismorum; de quo alibi. I. D. XXI. n. 6. et I. *Prior.* q. XXVI. n. 6.

ARTICULUS XI.

De aequipollentia propositionum.

Aequipollentia propositionum est quaedam aequivalentia duarum propositionum oppositarum ratione alicujus particulae negativae adjunctae; vel, est *duarum propositionum oppositarum reductio ad eumdem sensum.* Declaratur: si uni ex oppositis propositionibus, v. g. *A* et *E*, apponatur particula *negans*, ita alteratur ut idem significet cum sua opposita; cui ideo efficitur aequipollens: videatur hoc exemplo: omnis homo est justus — nullus homo est justus: si in *A* ponatur *non*, sic propositio redditur: omnis homo non est justus; quae est *E*.

Aequipollentia differt, ut patet, a conversione, quia haec terminos transfert; illa vero minime: conversio respicit propositionem in se; aequipollentia vero in ordine ad suam oppositam.

Verum particula addenda in aequipollentia non est pro lubito ponenda, neque in quibuslibet oppositionis speciebus similiter; sed haec servanda est lex: in *contradictoriis* particula *praeponitur* signo syncategorematico *nullus, omnis, aliquis* etc. etc., v. g. nullus homo est justus -- aliquis homo est justus: si ante *E* ponatur *non*, propositio ita evadit: *nonnullus* homo est justus, idest, aliquis etc. quae est *I*. In *contrariis* et *subcontrariis* particula *praeponitur* verbo, vel postponitur subjecto: v. g. omnis homo est justus — nullus homo est justus: si particula ponatur post subjectum propositionis *A*, habetur *omnis*

homo non est justus; scilicet, nullus homo est justus. In *subalternis* particula et *praeponitur* et *postponitur;* scilicet praeponitur signo syncategorematico et postponitur subjecto; v. g. omnis homo est justus — aliquis homo est justus: *A* sic efficitur aequipollens *I, non aliquis homo non est justus: non* primum dum modificatur *omnis* ad significandum *aliquis,* simul cum altera negativa concurrit ad affirmandum, quia duae negationes affirmant.

Regulae superius traditae hoc versiculo exprimuntur:

PRAE *contradic.* POST *contra,* PRAE, POSTQUE *subalter.*

Scilicet in *contradictoriis* negatio *prae*ponitur; in *contrariis post*ponitur; in *subalternis* et *prae*ponitur et *post*ponitur.

Nota. Si ante copulam naturaliter sit negatio, particula praeponenda postponitur copulae; v. g. haec propositio: aliquis homo non est justus, ut reddatur aequipollens *I* sic exprimitur: aliquis homo non est non justus.

Ut aequipollentia facilior evadat adolescentibus, subjicimus tabulam sequentem.

CONTRADICTORIAE	Non omnis	aequipollet	Aliquis non.
	Nonnullus et non nemo	»	Aliquis.
	Non aliquis	»	Nullus.
CONTRARIAE	Omnis non	aequipollet	Nullus.
	Nullus non	»	Omnis.
	Aliquis non	»	Non omnis.
SUBALTERNAE	Non omnis non	aequipollet	Aliquis.
	Non nullus non	»	Aliquis non.
	Non aliquis non	»	Omnis.

ARTICULUS XII.

De modalium conversione et aequipollentia.

Conversio *modalium* eodem modo perficitur sicut conversio propositionum de *inesse.* Tamen observa quod non convertitur *modus,* sed *dictum,* scilicet propositio affecta modo: quare generalis affirmans converti exigit in particularem pariter affirmantem etc. etc., v. g. *necesse est omnem hominem esse animal,* convertitur: *necesse est aliquod animal esse hominem.*

Idem est dicendum de aequipollentia. Verum particula *non* quae addi solet, est praeponenda, vel postponenda *modo,* non *dicto;* v. g. *necesse est hominem esse animal,* fit aequipollens suae contrariae, sic: *necesse est hominem non esse animal,* quae est eadem suae contrariae: *impossibile est hominem esse animal.* Aliud exemplum in contradictoriis: impossibile est hominem esse plantam — possibile est hominem esse plantam: primae redditur aequipollens altera, sic: non est possibile hominem esse plantam.

ARTICULUS XIII.

De definitione.

« Definitio est oratio indicans quid est esse rei » ex Doctore I. D. xxv. n. 3. et ex I. *Topic.* Philosophi. *Oratio,* utpote commune aliquid, est genus quod definitioni coarctatum primum inter orationes occupat locum post syllogismum: reliqua differentiam specificam designant, quae sita est in significanda essentia rei.

In definitione ex I. D. II. q. II. n. 2. et I. *Prior.* q. v. n. 4.

definitum a *definitione* ipsa distinguendum est: alias in demonstratione potissima, in qua medium est definitio rei, esset petitio principii; eademque foret cognitio confusa, quae importatur per nomen, et cognitio clara quae datur per definitionem; quae omnia patet esse falsa.

Multipliciter definitio partitur. Et imprimis in definitionem *nominis* et *rei* ex *Prior.* ibi n. 5. Definitio *nominis* est illa « quae exprimit explicite significationem implicitam termini definiti: » videas id in nominali definitione philosophiae. Dupliciter haec dari potest, vel per *etymologiam,* ut in exemplo allato; vel *explicando explicite* significationem termini, non vero rei; v. g. definitio sylgismi sic tradita: discursus mentis a notioribus ad minus nota; quia syllogismus significat *discursum.* Definitio *rei* est ea quae refert essentiam definiti. Ad primam accedit *descriptio* quae simul cum vel sine notis essentialibus extranea essentiae refert; utpote de homine esse providum, sagacem, progressus et perfectionis capacem, ad Deum tamquam in finem ordinatum etc. etc. Definitio nominis et descriptio ut recta evadat, requiritur ex Doctore ibidem: 1. quod sit *convertibilis* cum definito et descripto; 2. quod sit sine *nugatione,* quae indigna est philosopho; v. g. si fieret pluribus verbis idem significantibus; 3. quod *exprimat explicite* quod per nomen significatur.

Definitio rei dupliciter haberi potest: « quia quaedam exprimit quid res est per verum genus et differentias formales sine alicujus extraneae conditionis. Et voco extraneam conditionem, puta quod definitio non exprimat a quo res est, in quo est, cujus gratia fit, aut aliquam hujusmodi conditionem; sed solum debet exprimere quid res

est: et talis definitio datur solum de substantia composita. Secunda est definitio *quid rei* quae non solum exprimit *quid res est,* sed cum hoc explicat aliquam extraneam conditionem, ut, verbi gratia, definitio accidentis, si sit bona, debet exprimere subjectum. » Haec a Doctore q. VIII. *Praed.* n. 7. vocatur cum *additamento.*

Rursus definitio simpliciter quidditativa partitur in *metaphysicam* et *physicam:* prima ea est quae conceptibus metaphysicis conficitur, idest *genere* et *differentia:* v. g. definitio hominis per *animal rationale.* Altera ea est quae per *causas physicas* traditur; v. g. eadem definitio hominis per corpus organicum et animam rationalem.

Facile constat tum physicam, tum metaphysicam re convenire et differre solum in modo: insuper notandum *definitionem virtualiter continere omnia subjecti,* cum ab essentia per eam expressa, omnia quae in subjecto consideratione digna sunt, promanent. *Quodl.* VII. n. 7.

Ut definitio recte conficiatur, sequentes a logicis traduntur REGULAE:

Reg. 1ª In definitione necessario *genus proximum* et *differentia specifica* contineri debet. Ratio est, quia hae totam rei essentiam exprimunt. Deficeret hinc definitio a sua perfectione, si traderetur per genus remotum, cum hoc unam, vel alteram notam rei essentiam afficientem despiceret; et saepius per eam plura possent innui quae longe differunt inter sese; v. g. si definiretur homo *vivens rationale;* angelus enim quoque vivit et rationalis est. Deficeret etiam si traderetur absque differentia, quia nobilior pars rei cognoscenda deesset. IV. D. XI. q. III. n. 47. 48. et I. *Post.* q. XXIV.

Reg. 2ª Definitio *soli rei definitae* conveniat. Ratio est,

quia essentiae rerum differunt, nec una alteri communis est: cum autem definitio essentiam praebeat, varia sit oportet pro varietate rerum.

Reg. 3ª Definitio *reciprocari* exigit cum definito; v. g. homo est animal rationale; reciprocatur: animal rationale est homo. Ratio patet.

Reg. 4ª Definitio *clarior* evadere debet suo definito: traditur enim ad explicite et facile manifestandum quod est quasi involutum in definito.

Reg. 5ª Definitio *nec plures, nec pauciores notas* contineat, quam necessariae sunt ad simplicem et nudam essentiam rei exhibendam: alias in primo casu non possent distingui notae essentiales a superfluis et extraneis; in altero integra enumeratio notarum deesset, sicut dictum est in prima regula tradenda.

Reg. 6ª Definitio *non fiat terminis negantibus;* quia illius est manifestare *quid res sit,* minime vero *quid non sit.* Excipitur tamen si definitum sit aliquid *negativi,* vel *privativi,* v. g. nihilum, caecitas etc.; vel etsi *aliquod positivi* ponat, tamen ita hoc excedit captum intellectus nostri, ut nonnisi per negationem sui oppositi perveniamus ad ejus notionem; v. g. si definienda sit substantia spiritualis, suprema Dei virtus etc.

Reg. 7ª Definitio *circulum* evitet: quo peccatur quando res definitur per id, quod per rem ipsam definiri exigit: v. g. si definiretur dies spatium viginti quatuor horarum, et hora, vigesima quarta pars diei.

Regulae, quas tradidimus, definitionem in se inspectam moderantur. Verum Doctor IV. D. I. q. II. n. 2. etc. requisita quaedam affert ex parte *definiti,* quae breviter hic apponuntur.

1um Obiectum esse debet *ens reale,* non vero ens purum rationis; quia hoc caret essentia, ideoque et fundamento super quo definitio extruitur.

2um Debet esse *ens per se,* non vero per accidens; quia hoc revera multiplex est, et multiplicem exigit definitionem.

3um Debet *resolvi in plures conceptus formales,* quia definitio exigit tum genus, tum differentiam, quorum quodlibet formaliter non est idem.

4um Debet esse aliquid *universale,* quia essentia, quae exprimitur per definitionem, aliquid commune est speciei.

5um Debet esse aliquid *univocum,* quia aequivocum et analogum duo vel plura diversa refert.

ARTICULUS XIV.

De divisione.

In divisione invenitur *divisum,* quod *totum* dicitur, et *partitio* totius quae dicitur *divisio. Totum* ex Doctore q. XVI. *Univ.* n. 16. definitur « cujus nihil est extra, idest, cui nihil deest requisitum ad ipsum. »

Divisio est distributio totius in partes quibus constat: quae partes *membra dividentia,* vel *divisionis* vocantur.

Licet *definitio* et *divisio* differant, non tamen multoties penes essentiam, sed penes modum procedendi; definitio enim rei essentiam modo composito manifestat; e contra, divisio modo disjuncto; v. g. definitio hominis totum praedicamentum substantiae complectitur usque ad rationalitatem per modum unius, ideoque modo composito: si autem hoc praedicamentum resolvatur in suas

species, modo disjuncto proceditur. Verum divisio non semper est de essentialibus et in hoc etiam a definitione discordat.

Divisio et totum eodem modo partiuntur; quare partitiones divisionis hic afferendae *toti* etiam applicandae erunt. Divisio alia est *potentialis*, alia *realis* seu *actualis*, alia *accidentalis* et alia *per congeriem*.

Dicitur *potentialis* distributio totius in partes potentiales, seu universalis in partes inferiores; v. g. divisio substantiae in suas species: universale enim non exigit actu inferiora continere, sed quasi in potentia; ex quo divisio nomen sibi acquirit.

Dicitur *actualis* distributio *totius* actualis, seu quod actu suas partes continet; v. g. divisio hominis in corpus organicum et animam rationalem. Actualis subdividitur in *essentialem* et *integralem:* prima continet partes essentiales, ut in allato exemplo; altera vero partes integrales; v. g. divisio corporis in caput, pectus, ventrem et crura: quae partes si sunt ejusdem rationis, totum integrale *homogeneum* praebent; si rationis diversae, totum praebent *heterogeneum*. Essentialis rursus in *metaphysicam* et *physicam* discerpitur, secundum quod vel per conceptus logicales fiat, vel per partes physicas.

Divisio *accidentalis* est distributio totius per accidens in partes ejusdem rationis; quod tripliciter accidit: nam vel dividitur *subjectum* in *accidentia;* v. g. homo alius est doctus, alius indoctus; vel *accidens in plura subjecta;* v. g. album aliud est lac, aliud nix; vel tandem *accidens in plura accidentia;* v. g. album aliud est dulce, aliud amarum.

Divisio *per congeriem* est distributio totius ex agglo-

meratione plurium compositi; v. g. divisio acervi lapidum. Haec a divisione integrali differt, quia in toto integrali partes sunt unitae et unum per se constituunt; non vero in uno per congeriem. Vide q. XXIII. *Univ.*

LEGES *rectae divisionis. Prima* lex prohibet quominus divisio in plures, vel pauciores partes fiat quam sunt in subjecto. Ratio eadem est quae allata fuit in tradenda regula quinta definitionis.

Altera lex vetat membrorum dividentium unum includi in altero; quia secus illud unum bis secundum idem partiretur; v. g. male dividitur substantia in corpoream, incorpoream et spiritualem; cum haec contineatur in secunda.

Tertia lex praecipit ut membra minus pateant quam totum; tamen simul sumpta illud perfecte adaequare debent. Ratio primi est, quia secus laederetur principium notissimum *totum est majus sua parte.* Ratio secundi est quia eaedem habentur partes componentes.

Quarta lex vult ut divisio ordinate fiat, idest prius in membra propinquiora, inde in remotiora: quia si ubique requiritur ordo, praecipue vero quando de modo agitur qui notitiam rei distinctam praebere debet. « Voco... scribit Doctor, partes propinquas quae immediate constituunt totum; remotas vero quae mediate, puta partes partium... Primae partes dicuntur formales et sunt simpliciter priores toto et illae immediate intrant definitionem: secundae partes dicuntur materiales et sunt posteriores, nec intrant immediate definitionem rei quia sine eis potest totum esse. » *Met. Text.* l. VII. c. XI. n. 83.

CAPUT III.

De syllogismo.

Nobilissima humanae mentis operatio est RATIOCINIUM, quo a notis ad ignota progredimur et ad difficillima et altissima attingenda, potentes efficimur (1).

Postquam igitur tractatum explevimus de primis intellectus operationibus, superest ut de ea aliqua praelibemus quae tertio in loco numerata est. Quoniam vero de *ratiocinatio* praecipue in *syllogismo* refulget et manifestatur, tractatus praesens totus de syllogismo, ejusque speciebus erit. Ad quod praenota ratiocinium relate ad syllogismum se habere sicut notio ad terminum et judicium ad propositionem; seu dicitur ratiocinium actus mentis internus prout in genere a notis ad ignota procedit: si vero consideretur forma illa extrinseca qua actus internus exprimitur, dicitur *syllogismus*, cujus variae sunt species; de quibus in particulari postea.

ARTICULUS I.

De notione syllogismi.

SYLLOGISMI *notio* sic a Philosopho I. *Prior.* c. I, et a Doctore ibidem q. v. traditur: Oratio in qua quibusdam positis, ab his quae posita sunt, aliud accidit de necessitate eo quod haec sunt. Dicitur *oratio* quae est in loco

(1) Pro quo scire oportet veritates inter sese colligatas esse, nec ictu oculi posse a nobis simul omnes videri. Item universaliora resolvi in inferiora per notarum additionem. Id autem innuit processum a notis ad ignota.

generis. Additum est *in qua quibusdam positis,* scilicet notionibus et propositionibus secundum logicorum praecepta dispositis; *ab his quae posita sunt* designant differentiam formalem praemissarum a conclusione, quae innuitur per alia verba *aliud accidit,* seu consequitur. Cetera exprimunt necessitatem illationis a praemissis; ita ut non liceat dubitare de ea, quando recte in syllogismo omnia se habeant. Videas ibidem a n. 7.

In syllogismo invenitur et *materia* de qua *agit,* v. g. an sit de necessario, de contingenti etc., et *materia* ex qua *constat,* v. g. *termini* etc. et *forma:* de prima in altera parte Logicae sermo erit: hic autem solum de secunda et tertia agimus.

« FORMA SYLLOGISMI consistit in praemissis ut ordinantur ad conclusionem » (*Elench.* q. XLV. n. 6.): etenim « syllogismus non dependet ex veritate et possibilitate propositionum, sed ex necessaria habitudine praemissarum ad conclusionem » (I. *Perih.* q. XI. n. 12.). Forma scilicet in eo nexu sita est, quo conclusio praemissis conjungitur, illarumque veritatis particeps efficitur; ita ut quasi per modum unius cum illis appareat.

Unio autem praememorata sic obtinetur. Si quis scire cupit an aliquid *praedicamentum* cuidam *subjecto* conveniat, quod immediate non est manifestum, assumat *tertiam* notionem, quae saltem cum uno extremorum conveniat: si tum subjectum, tum praedicatum cum tertia notione idem sunt, palam fit ea quoque inter sese convenire: si vero alterutrum cum tertia discordat, etiam ad invicem discrepant. Sit igitur: si omne *B* est A, idest unum, idemque cum *A,* et omne *C* est *B,* idest unum cum *B,* palam est quod etiam omne C est *A,* seu idem

cum *A.* « Quaequumque aliqua identitate sunt eadem alicui, *illa tali identitate inter se sic sunt eadem,* quia non potest concludi aliqua identitas extremorum inter se, nisi *secundum illam identitatem qua sunt eadem medio* et *medium in se sic sit idem;* et per hanc propositionem sic intellectam tenet omnis forma syllogistica » (I. D. II. q. VII. n. 47. Vide etiam Seraph. I. D. XXXIII, a. I. q. 3.).

Nota tamen cum Doctore ibi et *Perih.* q. XI. n. 12. I. *extrema* debere cum *tertia* notione convenire pro *eodem tempore* et *univoce* sumi: quapropter male hic syllogismus concludit: homo est sentiens; sed Caesar fuit homo; ergo Caesar est sentiens. Ratio est, quia homo in *actu* et homo in *praeterito* sunt duo respectus formaliter diversi; qui ideo medium formaliter diversum constituunt.

II. Syllogismum *duobus principiis* inniti notissimis in logica: quorum *primum* sic exprimitur: *quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter sese,* pro affirmantibus; et pro negantibus: *quorum unum cum tertio convenit, alterum vero ab eo discrepat, ea quoque inter sese discrepant.* Veritas superius patuit.

Alterum sic exprimitur: *dictum de omnibus* pro ajentibus: *dictum de nullo* pro negativis; scilicet quod de omnibus dicitur, vel negatur, id etiam affirmandum, vel negandum est de singulis.

Primum principium, ut patet, *formam intrinsecam* syllogismi respicit: alterum vero *modum procedendi* syllogismi proprium; hic enim ab universali ad particulare progreditur; contra, *inductio,* de qua in secunda parte Logicae.

III. Nexum praemissarum cum illatione vocari *consequentiam.*

MATERIA EX QUA *constat* syllogismus complectitur *terminos* et *propositiones*, quae etiam syllogismi *elementa* appellantur. Quoniam vero hae immediate, illi mediate ad syllogismum concurrunt (quatenus scilicet sunt elementa propositionum), efficitur ut materia praefata *duplex* extet, *immediata* et *mediata.*

Immediata tres propositiones complectitur, quarum primae *praemissae,* vel *antecedens* vocantur, tertia vero *conclusio,* vel *illatio,* cum qua semper copulatur nota illationis *ergo, igitur* etc.

Materia remota complectitur *tres terminos,* qui dicuntur *major, minor* et *medius.* Dicitur *major* qui exprimit notionem *praedicati:* dicitur *minor* qui exprimit notionem *subjecti:* dicitur *medius* ille cum quo subjectum et praedicatum comparantur ut videatur eorum convenientia vel discrepantia. Legitime autem hic *medius* appellatur ex munere copulandi minorem et majorem; qui pariter apte *extrema* dicuntur. In hoc syllogismo: omne animal vivit; equus est animal; ergo equus vivit: *equus* est minor; *vivit* seu est *vivens* est major; *animal* est medius terminus.

In confectione syllogismi termini praedicti ex varia cum medio dispositione varias propositiones efformant, quae sic denominari solent: dicitur *propositio major,* vel etiam simpliciter *propositio* ea in qua terminus major vel praedicatum comparatur cum medio; ut in allato exemplo propositio *omne animal vivit:* dicitur propositio *minor* vel etiam *assumptio* ea in qua cum medio comparatur subjectum vel terminus minor; ut in exemplo propositio *equus est animal:* denique dicitur *illatio,* vel *conclusio,* vel *consequens* propositio in qua colligitur convenientia,

vel discrepantia extremorum; v. g. in allato exemplo propositio *equus vivit.*

NOTA. *Consequens* a *consequentia* differt in hoc, quod haec nexum terminorum respicit, ut diximus, illud autem propositionem in se absque relatione ad nexum. Vide de hac materia I. *Prior.* qq. VII. VIII. IX. et X.

ARTICULUS II.

De regulis generalibus in syllogismo conficiendo servandis.

Octo a logicis assignantur *leges generales* syllogismorum; quarum quatuor *terminos,* et quatuor *propositiones* moderantur his versiculis contentae.

PRO TERMINIS.

1ª Terminus esto triplex: major, mediusque, minorque.
2ª Latios hos quam praemissae conclusio non vult.
3ª Aut semel, aut iterum medius generaliter esto.
4ª Nequaquam medium capiat conclusio oportet.

PRO PROPOSITIONIBUS.

1ª Utraque si praemissa neget, nihil inde sequetur.
2ª Ambae affirmantes nequeunt generare negantem.
3ª Nil sequitur geminis ex particularibus umquam.
4ª Pejorem sequitur semper conclusio partem.

PRIMA REGULA prohibet quominus in syllogismo plures vel pauciores contineantur quam *tres termini.* Profluit id ex natura syllogismi; cujus est demonstrare convenientiam vel discrepantiam duorum per comparationem ad tertium, ut visum est in art. I. Quapropter si deficiat in materia seu in suis elementis, eo ipso deficeret a ratione syllogismi, sicut si deficeret in forma. Idem di-

cendum de numero ternarium excedente; cum manifeste appareat in casu non fieri comparationem cum eodem, nisi forsan per accidens (*Elench.* q. IV, n. 4.).

Nota tamen 1° legem intelligendam esse de *numero formali,* non vero de *numero materiali:* et pro *formali* intelligitur numerus prout consideratur in syllogismo, non autem in propositione: quia in hac haberi potest multiplicitas, v. g. quando in ea habentur duo subjecta, quin tamen eadem in syllogismo obtineat. Hinc recte concludit hic syllogismus; animal est sentiens: *homo* et *brutum* sunt animal: ergo homo et brutum sunt sentiens: homo enim et brutum constituunt unicum terminum minorem.

2° Aliquando quartum terminum non quidem *explicite,* sed *implicite* in syllogismo contineri, ratione scilicet alicujus aequivocationis. « Diversitas rei, ait Doctor ibidem q. VII, n. 5., latens sub unitate vocis est causa non existentiae in aequivocatione; diversitas autem rei variat medium; et ideo arguit in quatuor terminis. » Id videatur in hoc syllogismo: canis latrat; sidus est canis; ergo sidus latrat: canis enim non similiter sumitur in majori et minori propositione.

Secunda regula prohibet quominus in conclusione termini latius pateant quam in praemissis. Ratio, quia *minus commune* non potest continere *magis commune:* atque ideo in eo in quo termini conclusionis excedunt, non fuit comparatio cum medio in praemissis. Videatur id exemplo: omnis homo est rationalis; angelus non est homo; ergo angelus non est rationalis: *non rationalis* in conclusione sumitur secundum totum ambitum: verum in majori ambitus limite concludebatur; et comparatio cum medio non fuit de *omni rationali,* sed *de aliquo* tantum.

Tertia regula praecipit ut semel saltem medius in praemissis universaliter sumatur; quia si semper particulariter usurparetur, posset comparari cum uno extremorum sub respectu, quo alterum non comparatur et sic duplex evaderet et termini numerum formalem excederent. Non concludit ex neglectu hujus legis hic syllogismus: aliquod animal est homo; sed leo est animal; ergo leo est homo: animal enim cum quo comparatur homo, non est idem cum eo cum quo comparatur leo.

Quarta regula prohibet quominus medium conclusionem ingrediatur. Ratio, quia in conclusione non inquiritur de medio (de quo an subjecto, vel praedicato conveniat, asseritur in praemissis), sed de majori et minori: hi igitur soli ingredi conclusionem debent.

Quinta lex monet ex duabus negantibus nihil sequi: nam conclusio vel educeretur affirmans, vel negans. Si negativa, tunc non esset falsa ista regula: *quaecumque ab uno eodem sunt diversa, inter sese sunt diversa:* attamen licet tum *risibile,* tum *homo* sint diversa *ab equo,* non sunt diversa *inter se.* Quapropter non recte concludit hic syllogismus: equus non est risibilis; homo non est equus; ergo homo non est risibilis. Si conclusio fieret affirmando, vera foret haec regula: *quaecumque ab aliquo tertio sunt diversa, inter sese sunt eadem;* jamvero etsi *homo* et *equus* sint diversa ab *asino,* non sequitur tamen esse *eadem inter se.* Si ergo neque affirmando, neque negando concludi potest, sequitur quod nullimode. Videas I. *Prior.* q. XXIII. n. 6.

Sexta lex praecipit ut ex praemissa utraque affirmante conclusio affirmans deducatur. Ratio patet; quia in casu tum subjectum, tum praedicatum cum medio

convenit; ergo ex forma syllogistica etiam conveniunt inter sese: non ergo discrepantia, sed convenientia in conclusione est ponenda (ibi q. XXI. n. 7.).

SEPTIMA REGULA vetat deducere ex duabus particularibus. Revera hae vel sunt *ambae affirmantes* vel *ambae negantes,* vel *una affirmans* et *altera negans.* In prima hypothesi medius numquam sumitur universaliter, contra tertiam regulam terminorum. In altera, laederetur quinta lex propositiones moderans, prohibens deducere ex utrisque negantibus. In tertia, termini conclusionis latius paterent quam in praemissis. Demonstratur. Si una praemissarum sit *affirmans* et altera *negans,* terminus cum quo negativa copulatur, sit *medius* oportet ex tertia lege terminorum *aut semel, aut iterum* etc., quia particula *non* secundum totum ambitum negat. Item conclusio ex lege octava, de qua statim, *negative* deduci debet: cum igitur *medius* non ingrediatur conclusionem ex lege quarta, ingreditur tamquam praedicatum *terminus* qui in praemissis asserebat et ambitu continebatur coarctato; et sic de *particulari universalis* evadit ex adjectione particulae *negativae.* Videas hoc in exemplo: *quidam homo* est sapiens; sed *quoddam animal* non est sapiens; ergo quoddam animal *non est homo* (ibi q. XX.).

OCTAVA REGULA praecipit ut ex alterutra praemissa negante, negativa fiat conclusio et ex una universali et altera particulari particulariter concludatur. Ratio *primae* legis, quia eo in casu unum extremorum cum medio convenit et alterum ab eo discrepat; ideoque discrepant etiam inter sese. Ratio *secundae,* quia ibi solum in parte fit comparatio cujusdam extremi cum medio; non licet ergo concludere de eo totaliter, sed solum particulariter (ibi q. XXI.).

Nota. A syllogismo de particularibus differt syllogismus *expositorius,* qui definitur a Doctore ibi q. xi. n. 3.: « cujus medium est terminus discretus » seu singularis: dum enim in primo numquam medium generaliter affirmat, in altero per modum universalis affirmantis se habet. Audiatur Doctor, ibi n. 5.: « Syllogismus expositorius tenet gratia formae in omnibus terminis, dum tamen praemissae regulentur debite per *dici de omni* vel *de nullo,* ita quod discretus distribuatur mediantibus istis dictionibus *quod est;* ut ista *Socrates currit,* debet resolvi in istam *omne quod est Socrates, currit;* et tunc syllogismus expositorius est consequentia formalis. » Recte concluditur sic: Socrates currit; sed Socrates est homo; ergo quidam homo currit. Idem est dicendum ex Doctore ibid. q. xx. quando *medium* sumitur cum *relativo identitatis;* v. g. quoddam album est Socrates; atqui illud album currit; ergo currens est Socrates. Vide ibi alia hujusmodi.

ARTICULUS III.

De figuris syllogismi.

« Ad syllogismum tria requiruntur, scilicet *figura* quantum ad dispositionem terminorum et *modus* quantum ad dispositionem propositionum, et tertio requiritur necessaria *illatio* conclusionis ex praemissis » (*Elench.* q. iv. n. 4.). Cum autem sufficienter de tertio dictum sit, superest ut quaedam addantur de figuris et modis syllogisticis.

« Figura est debita ordinatio trium terminorum secundum debitam subjectionem et praedicationem in duabus praemissis » (i. *Prior.* q. xxxiv. n. 1.). Seu *figura syllogi-*

stica resultat ex varia dispositione terminorum, praecipue vero *medii;* quae sic effici potest: vel medium munere *subjecti* fungitur in majori et *praedicati* in minori; et habetur *figura* PRIMA; v. g. *homo* est animal; Petrus est *homo;* ergo Petrus est animal: vel in utraque est *praedicatum;* et hahetur SECUNDA *figura;* v. g. homo est *animal;* planta non est *animal;* ergo planta non est homo: vel denique in utraque est *subjectum;* et habetur TERTIA *figura;* v. g. omnis *substantia* est ens in se et per se; sed omnis *substantia* est pulchra; ergo aliquod pulchrum est ens in se et per se. Varia haec dispositio eo versiculo exprimitur:

Sub. Prae. prima; sed altera bis *Prae.;* tertia bis *Sub.*

Sub. et *Prae.* subjectum et praedicatum denotant modo contracto.

Galenus praefatis *quartam* addidit figuram, quae ejus sententia habetur quando medium est in loco *praedicati* in majori et *subjecti* in minori; v. g. omnis homo est *rationalis;* atque omne *rationale* est liberum; ergo aliquod liberum est homo. Verum non immerito haec a Doctore (I. *Prior.* q. XXXIV. n. 6.) et ab aliis probatioribus logicis rejicitur, utpote inutilis, quaeque jam effecta in prima, variata solum dispositione praemissarum quoad locum. « Solum tribus modis potest fieri debita ordinatio respectu extremorum secundum subjectionem et praedicationem; igitur tres figurae et non plures. Consequentia tenet; quia hoc intelligimus per figuram; et antecedens apparet, quia vel medium subjicitur in utraque, vel praedicatur in utraque, vel subjicitur in majori et praedicatur in minori; nec oportet istud tertium membrum

subdistinguere... quia propter solam transpositionem non provenit diversitas alicujus praemissae, nec conclusionis; per consequens nec diversitas figurae. Et ideo concedendum est istum syllogismum fieri in prima figura. » Sic, v. g. si propositiones hujus syllogismi *Omnis homo* est rationalis; sed omne rationale libertate pollet; ergo omnis homo libertate pollet, transferantur, habebitur prima figura, *omne rationale* libertate pollet; sed omnis homo est *rationalis;* ergo omnis homo libertate pollet.

Ut recta in qualibet figura habeatur illatio, quaedam traduntur regulae, ex quarum laesione, una vel altera ex legibus generalibus syllogismi offenditur. Sunt autem:

Regulae pro prima figura: *Sit minor affirmans et major generalis.*

Ratio *primae legis,* quia si foret negans, major affirmaret, quia utraque si praemissa neget, nihil inde sequetur: ex consequenti praedicatum majoris propositionis, seu terminus major, utpote praedicatum affirmantis, non sumitur secundum totum ambitum. Ast in conclusione in negativum convertitur ex alia regula *pejorem sequitur semper conclusio partem;* et sic latius in ea pateret quam in praemissis, contra secundam legem generalem syllogismi. Quare non recte concludit hic syllogismus: omnis homo est rationalis; sed angelus non est homo; ergo angelus *non est rationalis.*

Ratio *secundae legis,* quia secus numquam medium sumeretur universaliter: non in minori, in qua est praedicatum affirmans; nec in majori, ut patet: argueretur ideo in quatuor terminis.

Nota. Prima figura *indirecta* evadit, si in ducenda illatione propositio convertitur secundum leges conver-

sionum, idest, vel per accidens, vel simpliciter etc. In hac hypothesi bene potest concludere etiam non servata lege prima hujus-figurae: v. g. omnis homo est rationalis: sed angelus non est homo; ergo aliquod rationale non est angelus. In summa autem prima indirecta et quarta sunt eaedem.

Regulae pro secunda figura: *Una praemissarum neget, nec major sit specialis.*

Ratio *primae legis* haec est quia secus numquam medium distribueretur, seu universaliter sumeretur.

Ratio *secundae,* quia subjectum majoris in secunda figura regulariter concludente, fit praedicatum conclusionis; quae cum negans sit oportet, universaliter sumitur. Non recte ideo concluditur, sic arguendo: aliquis homo est philosophus; nullus lapis est philosophus; ergo nullus lapis est homo (i. *Prior.* q. xxiii. n. 6.).

Regulae pro tertia figura: *Sit minor affirmans, conclusio vero particularis.*

Ratio pro *prima* videatur in elucidatione primae legis figurae primae, quia eadem est.

Ratio *secundae,* quia praedicatum minoris, utpote convertendum in subjectum conclusionis, latius potest patere majore termino; ex quo non recte fertur illatio si sic argueretur: omnis homo est rationalis; sed omnis homo est substantia; ergo omnis substantia est rationalis. Contra, recte concludit, si fiat particularis illatio, sic: aliqua substantia est rationalis (ibi q. xxiv. n. 2.).

Regulae pro quarta figura: *Si major affirmet, sit minor generalis: si minor affirmet, sit conclusio particularis: si neget minor, sit major universalis.* Ratio harum facillime patet ex dictis.

ARTICULUS IV.

De modis syllogismi.

Modus syllogisticus est *debita dispositio propositionum secundum quantitatem et qualitatem.* Differt a *figura* in eo quod haec respicit positionem medii in propositionibus; *modus* vero dispositiones propositionum secundum universalitatem et particularitatem et secundum affirmationem et negationem.

Quoniam vero hujusmodi dispositiones multimodis accidere possunt in qualibet figura, tum ex parte quantitatis, tum ex parte qualitatis, ad evitandam confusionem ordinatim procedere oportet, initium desumentes ab alterutra. Sumatur ideo *prima figura* ex parte *qualitatis:* in ea propositiones quadrupliciter disponi possunt; vel enim omnes *affirmant,* vel *negant,* vel prima est *ajens* et altera *negans,* vel viceversa prima *negans* et altera *affirmans:* non datur effugium. Jamvero quaelibet istarum dispositio potest ex parte *quantitatis* pariter *quadrupliciter* affici; v. g. sumatur prima (quae duas affirmantes continet); in ea affirmantes vel sunt *ambae universales,* vel *ambae particulares,* vel prima *universalis* et altera *particularis,* vel e contra, prima *particularis* et altera *universalis.* Igitur in qualibet figura *sexdecim* continentur modi; quia si multiplicetur numerus quaternarius modorum ex parte qualitatis per numerum quaternarium ex parte quantitatis, numerus praefatus modorum obtinetur. Ast figurae *quatuor* enumerantur (ponimus enim et quartam, commoditatis gratia) ergo ex omnibus figuris *sexaginta quatuor modi* colliguntur. Verum non omnes recte concludunt;

v. g. hi qui ex solis negativis, vel solis particularibus constant. Modi selecti a logicis bonam illationem habentes, *novemdecim* enumerantur: quibus si quinque figurae primae indirectae addantur, completur numerus *viginti quatuor:* exprimuntur autem per verba revera barbara horum versiculorum, a verbis haud discedentium:

Modi 1ae figurae. Barbara, Celarent, Darii, Ferio.
(*1ae fig. indir.*) Baralipton,
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum.

Modi 2ae figurae. Cesare, Camestres, Festino, Baroco.
(*3ae fig.*) Darapti,
Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison,

Modi 4ae figurae. Camentes, Dimatis, Fresapno, Bamalipton, Fresisonorum.

NOTA. Quaelibet vox versibus comprehensa, mediantibus vocalibus *A E I O* varietatem syllogismorum exprimunt; v. g. *Barbara,* quae tres *A* complectitur, significat modum primae figurae directae tribus universalibus affirmantibus constantem: *Celarent* exprimit secundum modum ejusdem figurae constantem ex majori negante, ex minori affirmante etc. Vide si de hac materia multa cupis I. *Prior.* q. XXII. XXIII. XXIV.

Commoditatis et claritatis gratia adjicimus hic tabulam omnes modos cujuslibet figurae continentem.

MODI PRIMAE FIGURAE DIRECTAE.

bAr- Omne animal est vivens,
bA- Omnis homo est animal,
rA. Ergo omnis homo est vivens.

cE- Nulla arbor est rationalis,
lA- Omnis cerasus est arbor,
rEnt. Ergo nulla cerasus est rationalis.

dA- Omne corpus est substantia,
rI- Aliquod animal est corpus,
I. Ergo aliquod animal est substantia.

fE- Nullum animal est expers vitae,
rI- Petrus est animal,
O. Ergo Petrus non est expers vitae.

Modi primae figurae indirectae.

bA- Omne animal est vivens,
rA- Omnis homo est animal,
lIpton. Ergo aliquod vivens est homo.

cE- Nulla planta est rationalis,
lAn- Omnis cerasus est planta,
tEs. Ergo nullum rationale est cerasus.

dA- Omne corpus est substantia,
bI- Aliquod animal est corpus,
tIs. Ergo aliqua substantia est animal.

fA- Omne animal est corpus,
pEs- Nullus lapis est animal,
mO. Ergo aliquod corpus non est lapis.

frI- Quoddam animal est substantia,
sE- Nullus color est animal,
sOmOrUm. Ergo quaedam substantia non est color.

Modi secundae figurae.

cE- Nulla planta est rationalis,
sA- Omnis homo est rationalis,
rE. Ergo nullus homo est planta.

cA- Omnis homo est animal,
mEs- Nullus lapis est animal,
trEs. Ergo nullus lapis est homo.

fEs-	Nullus lapis est sentiens,
tI-	Aliquis homo est sentiens,
nO.	Ergo aliquis homo non est lapis.
bA-	Omne animal est vivens,
rO-	Aliquis lapis non est vivens,
cO.	Ergo aliquis lapis non est animal.

Modi tertiae figurae.

dA-	Omnis homo est animal,
rAp-	Omnis homo est rationalis,
tI.	Ergo aliquod rationale est animal.
fE-	Nullus homo est planta,
lAp-	Omnis homo est rationalis,
tOn.	Ergo aliquod rationale non est planta.
dI-	Aliquod animal est corpus,
sA-	Omne animal est vivens,
mIs.	Ergo aliquod vivens est corpus.
dA-	Omne animal est vivens,
tI-	Aliquod animal est rationale,
sI.	Ergo aliquod rationale est vivens.
bO-	Aliquod corpus non est animal,
cAr-	Omne corpus est corruptibile,
dO.	Ergo aliquod corruptibile non est animal.
fE-	Nullus lapis est sentiens,
rI-	Aliquis lapis est substantia,
sOn.	Ergo aliqua substantia non est sentiens.

Modi quartae figurae.

cA-	Omnis homo est animal rationale,
mEn-	Nullum animal rationale est planta,
tEs.	Ergo nulla planta est homo.

dI-	Aliquis homo est pulcher,
mA-	Omne pulchrum placet,
tIs.	Ergo aliquod placens est homo.
frE-	Nullus lapis est vegetans,
sAp-	Omne vegetans vivit,
nO.	Ergo aliquod vivens non est lapis.
bA-	Omnis homo est animal rationale,
mA-	Omne animal rationale est risibile,
lIpton.	Ergo aliquod risibile est homo.
frE-	Nulla res creata est aeterna,
sI-	Aliquod aeternum est Deus,
sOnorum.	Ergo Deus non est res creata.

ARTICULUS V.

De reductione syllogismorum per viam ostensivam.

Syllogismi secundae et tertiae figurae non concludunt directe: nam cum in his medium vel semper subjiciatur, vel semper praedicetur, illatio non ita dilucide ostenditur sicut in prima: ex quo imperfectionem quamdam redolent modi omnes ad ipsas pertinentes; qui solum si reducantur ad figuram primam, perfecti evadunt: nam perfectus est syllogismus « qui ex se est evidens, per illam definitionem I. *Priorum*, qui scilicet nullius eget ut appareat ejus necessitas, hoc est, ut sit evidenter necessarius ex notitia principiorum et evidentia illationis » (III. D. XIV. q. II. n. 8.); hoc autem invenitur solum in figura prima; ergo etc. Superest igitur ut modus tradatur quo haec REDUCTIO peragenda sit, ne fallaciae mens subjiciatur. Vocatur autem *reductio*, de qua nunc, PER VIAM OSTENSIVAM ut plane distinguatur a reductione *per impossibile*, de qua in sequenti articulo (I. *Prior.* q. VII. n. 4.).

Ut modus reductionis pateat, revoca quid sibi velint *A E I O* relate ad propositiones et recte attendas *litteram* quae initio cujuslibet modi in versibus praeallatis reperitur et quae subsequitur vocales praefatas. Si modus indirectae figurae praeseferat *B*, reducitur ad *Barbara*, v. g. *Baralipton;* si *C*, ad *Celarent;* v. g. *Cesare;* si *D*, ad *Darii*, v. g. *Disamis;* si *F*, ad *Ferio*, v. g. *Ferison*.

Sed modus non potest resolvi absque alteratione; nam aliquando propositiones transponi oportet; aliquando converti vel simpliciter, vel per accidens; aliquando utrumque simul patiuntur. Id autem innuitur per *S P M* quae subsequuntur *A E I O*. *S* significat propositionem praecedentem convertendam esse *simpliciter;* *P* esse convertendam *per accidens;* *M* vero innuit propositiones *transpositione indigere*, ita ut major fiat minor et minor major. Si simul cum *M* inveniatur *S* non solum transpositio, sed et conversio propositionis ab his affectae, peragi debet.

Reductio ostensiva in omnibus modis fieri potest: excipitur tamen *Bocardo* et *Baroco*, in quibus *C* post vocales invenitur. Ratio, quia reduci exquirerent ad *Barbara:* verum cum in se contineant negationem, in eum modum totaliter affirmantem converti respuunt. Solum ergo conversionem *per impossibile* patiuntur.

Regulae praefatae sic a logicis traduntur:

S vult *simpliciter* verti; *P* vero per *acci.* (idest per accidens).

M vult *transponi*, *C per impossibile duci*.

Commoditatis gratia unum, vel alterum exemplum reductionum afferimus, ex quo adolescentes facilius regulas expositas capiant. Sit igitur *Fapesmo:* Omne animal est corpus; nullus lapis est animal; ergo aliquod corpus

non est lapis. Modus in suo initio afficitur *F;* reducitur ideo ad ***Ferio:*** in se ***M*** continet; praemissae ergo indigent *transponi.* Item post *A* invenitur *P;* ea propositio convertitur *per accidens;* pariter post *E* simul cum *M* invenitur *S;* ea propositio *simpliciter* convertenda est. Quibus peractis, praefatus syllogismus sic redditur:

fE- Nullum animal est lapis (*Minor* in *Fapesmo* et est conversa *simpliciter*),

rI- Aliquod corpus est animal (*Major* ante et nunc conversa *per accidens*),

O. Ergo aliquod corpus non est lapis (Conclusio eadem).

Si ratio inquiratur hujus articuli, praesto est responsio Doctoris (ibidem *Prior.*), scilicet ad omnes adversariorum cavillationes profligandas (qui omnia pertentant ad erroris defensionem) et ad majorem rei claritatem.

ARTICULUS VI.

De reductione syllogismorum ad impossibile.

Reductio ad impossibile tunc necessaria est, quando adversarius non vult concedere deductionem cujusdam syllogismi in figura I[a] indirecta et reliquis indirectis. Sic vero efficitur. Sumatur *contradictoria* conclusionis, scilicet si conclusio affirmet, fiat negans et viceversa; si sit particularis, fiat universalis et contra; et propositio sic conversa ponatur in loco majoris, vel minoris secundum regulas tradendas: conclusio quae inde educitur, est *contradictoria* alicui praemissarum syllogismi prioris; et sic adversarius vel cogitur concedere illationem eductam, vel *contradicere* praemissis concessis.

6

REGULAE pro reductione syllogismorum ad impossibile.

Pro I[a] fig. indir.: *Major fit minor; fit contradictio major; Excipe* Celantes *in quo convertitur ordo.*

Idest, Contradictoria in loco propositionis majoris ponatur et minoris munere fungatur quae major extiterat in priori syllogismo. Sit exemplum in *Dabitis:* Omnis homo est animal; Petrus est homo; ergo aliquod animal est Petrus. Contradictoria conclusionis est: nullum animal est Petrus: quae si ponatur tamquam major, maiorque prior in loco minoris, hic syllogismus resultabit: nullum animal est Petrus; omnis homo est animal; ergo nullus homo est Petrus; quae manifeste contradicit minori praecedentis syllogismi. Exceptio habetur in *Celantes* in quo invertitur ordo, seu minor prioris syllogismi fit major et contradictoria minor.

Pro II[a] fig. *Servat majorem, variatque secunda minorem.*

Idest, *major* prioris syllogismi manet, et minor fit *contradictoria.* Exemplum in *Cesare.* Nullus lapis est risibilis; omnis homo est risibilis: ergo nullus homo est lapis. Contradictoria illationis ita se habet: aliquis homo est lapis; quae si minor fiat in praefato syllogismo, haec habebitur argumentatio: nullus lapis est risibilis; sed aliquis homo est lapis; ergo aliquis homo non est risibilis; quae conclusio contradicit propositioni *omnis homo est risibilis.*

Pro III[a] fig.: *Tertia majorem variat, servatque minorem.*

Seu oppositum locum habet ac in secunda figura, ut apparet per se. Exemplum in *Datisi:* omnis homo est animal; aliquis homo est philosophus; ergo aliquis philosophus est animal. Huic contradicit *nullus philosophus*

est animal; quae si major fiat, ita evadet syllogismus: nullus philosophus est animal; aliquis homo est philosophus; ergo aliquis homo non est animal. Conclusio contradicit propositioni majori syllogismi etc. Vide II. *Prior.* q. v.

A reductione ad impossibile differt SYLLOGISMUS CIRCULARIS, qui a Doctore ibidem describitur: « syllogizare circulariter est ex conclusione et conversa unius praemissarum, inferre aliam praemissam: » v. g. omne animal est praeditum sensibus; omnis homo est animal; ergo omnis homo est praeditus sensibus In quo sic effici potest circulus: omne quod est praeditum sensibus, est animal (major conversa); omnis homo est praeditus sensibus (conclusio prior); ergo omnis homo est animal (minor primi syllogismi).

Discordantia *circuli* a *reductione* in eo sita est, quod in circulo *convertitur* aliqua ex *praemissis;* in reductione e contra *conclusio* fit *contradictoria:* in circulo deducitur aliqua *praemissa;* in reductione deducitur *contra* id quod in praemissa assertum est. Cfr. id. ib.

ARTICULUS VII.

De variis speciebus syllogismi

DUO enumerantur GENERALES MODI ARGUENDI, quorum primus a particulari ad universale progreditur, idest, ab individuis ad speciem, a speciebus ad genera; alter opposita incedit via, progrediens scilicet ab universali ad particularia, seu a genere ad speciem, a specie ad individua: prior vocatur INDUCTIO, de qua in altera parte Logicae; posterior SYLLOGISMUS. Hi ergo modi arguendi constituunt primas duas quasi SPECIES ratiocinii, quod relate ad eos jure per modum generis considerare licet.

SYLLOGISMUS sic dividi patitur, idest in *categoricum* et *hypotheticum*, secundum quod constat vel categoricis, vel hypotheticis propositionibus.

CATEGORICUS subdivitur in *enthymemà*, *epicherema*, *soritem*, *dilemma* et *exemplum*; — HYPOTHETICUS vero in *conditionalem*, vel *connexum*, in *conjunctum* et *disjunctum*; de quibus omnibus hic breviter et in art. sequenti.

ENTHYMEMA ex Aristotele dicitur syllogismus deducens ex verisimilibus et probabilibus; v. g. qui saepe cum impiis confabulatur, citius impius fiet; atqui Socrates cum impiis saepe confabulatur; ergo citius impius fiet.

Vulgo autem dicitur syllogismus carens aliqua ex praemissis, quae auditoribus subintelligenda relinquitur; v. g. tu es homo; ergo es risibilis: subintelligitur enim ea propositio *omnis homo est risibilis*. Differt ideo vix a syllogismo: nam in secunda definitione carentia propositionis est potius *materialis*, quam *formalis*; quia quod subintelligitur, virtualiter adest. In prima vero non invenitur differentia nisi in materia quae extranea est formae et naturae syllogismi.

EPICHEREMA est syllogismus cujus uni, vel alteri, vel utrisque praemissis additur ratio; v. g. qui cum impiis saepe confabulatur, impius fiet, cum facile homo alliciatur ad malum exemplo aliorum: sed Socrates etc.; ergo etc.

Nota tamen terminos et propositiones appositas non esse aliquid syllogismi, cum repugnet in syllogismo plures esse quam tres terminos; sed aliquid ei extrinsecum impellens adhuc haesitantem ad propositionem pro certa habendam et facile reducibile ad novum syllogismum.

SORITES est acervus propositionum ita ad invicem dispositarum, ut praedicatum primae fiat subjectum in

secunda, et secundae praedicatum fiat subjectum in tertia etc. etc., donec ***ultimae praedicatum*** cum ***primae subjecto*** coniungatur; v. g. quodlibet corpus est in spatio; quod est in spatio, potest esse in alio spatio; quod potest esse in alio spatio, potest mutare spatium; quod potest mutare spatium est mobile; ergo quodlibet corpus est mobile.

Vis soritis ab ***hoc principio*** profluit: cum aliquod attributum cum subjecto conjungitur, quot sunt ea quae de attributo dicuntur, etiam de subjecto dicuntur. Ut bene hoc argumentum concludat, ***nulla propositio ambigua*** in eo sit oportet, quia secus ambigua evaderet et conclusio; ***item nullus in eo sit saltus,*** quia id impedit quominus tota propositionum series clare et manifeste videatur et conclusio obscuritate laboraret.

Etsi ***sorites*** longe abesse videatur a forma syllogistica, tamen in syllogismum optime resolvitur. Id videatur in allato exemplo: sumatur secunda propositio, et major fiat; in loco minoris ponatur propositio prima; et sequens habebitur syllogismus: quod est in spatio, potest esse in alio spatio; atqui quodlibet corpus est in spatio; ergo quodlibet corpus potest esse in alio spatio. Sumatur inde propositio tertia et major constituatur; pro minori inde ponatur ultima deductio; et rursus posterior syllogismus resultabit: quod potest esse in alio spatio, potest mutare spatium; atqui quodlibet corpus potest esse in alio spatio: ergo quodlibet corpus potest mutare spatium. Tandem sumatur propositio quarta et in loco majoris collocetur; cui tamquam minor subjiciatur deductio ultima et exurget hic syllogismus: quod potest mutare spatium est mobile: atqui quodlibet corpus potest mutare spatium: ergo quodlibet corpus est mobile.

Dilemma (quod etiam ob suam singularem formam syllogismus *bicornis* dicitur) est argumentatio ita confecta, ut quodquumque deducatur, semper deducatur contra adversarium: generaliter constat explicite, vel implicite enunciatione *disjuncta*. Optime dilemmate Christus usus est in redarguendo servo, qui ei injuste alapam dederat: si male loquutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, cur me caedis? Caute cavendum est in dilemmate conficiendo, ne ulla via relinquatur adversario effugiendi, quia haec arripi ab eo posset, eludendo sic arguentis ictus.

Etiam in dilemmate sufficienter salvatur forma syllogistica, sicut in hypothetico disjuncto, ad quem accedit. Ceterum in plures syllogismos hoc resolvi potest, ut videre est in praefato exemplo, cujus en resolutio: qui bene loquitur, non debet caedi; atqui ego bene loquutus sum; ergo non debeo caedi. Item: qui male loquitur, non debet caedi in judicio nisi post testimonium malae locutionis, alias injuste caeditur; atqui tu me caedis absque testimonio; ergo injuste me caedis.

Exemplum est argumentatio ex facto deducens; v. g. divus Franciscus et fratres Ordinis Minorum fuerunt et sunt amatores paupertatis Christi: cur et nos imitatores eorum esse non poterimus? Ergo et nos etc. Hic modus arguendi sicut *enthymema*, oratori magis inservit, quam philosopho.

ARTICULUS VIII.

De syllogismo hypothetico.

Syllogismus est hypotheticus, ut superius diximus, quando constat aliqua propositione hypothetica: et quo-

niam haec est triplex, scilicet connexa, conjuncta et disjuncta, triplex item evadit hic syllogismus.

Dicitur ergo *conditionalis* seu *connexus* quando in se propositionem conditionalem seu connexam continet; si conjunctam in se habet, *conjunctus* et ipse dicitur; si tandem disjunctam, *disjunctus* et ipse appellatur.

Ut recta in his illatio habeatur, HIS REGULIS conformari necesse est.

PRO CONDITIONALI: I. Posito antecedenti in minori, consequens colligi debet in conclusione; v. g. si est homo, est animal; atqui est homo; ergo est animal.

II. Negato consequenti in minori, negatur et antecedens in conclusione; v. g. si est homo, ratione pollet; atqui ratione non pollet; ergo non est homo.

Ratio est, quia in connexis consequens est a principiis antecedentis: ergo posito antecedente, impossibile est non sequi consequens; et viceversa, negato hoc, non negari illud fieri nequit.

Contra, non bene concluderetur, si negato antecedenti, etiam consequens abjiceretur; vel concesso consequenti, concederetur et antecedens. Ratio quia consequens generaliter latius patet antecedente: unde non recte sic arguitur: si est homo, est animal; atqui non est homo; ergo non est animal; quia potest esse equus et ideo animal.

PRO CONJUNCTO: I. Posita in minori una parte, reliquae tolluntur; quia idem non potest simul esse et non esse; v. g. non est dies? et nox est; atqui est nox; ergo dies non est.

II. Sublata una parte, ponitur altera, si medium non patiantur; secus vel non concluditur, vel concluditur de

omnibus aliis sub disjunctione: v. g. non est senex Paulus? ergo aut vir, aut juvenis, aut adolescens, aut puer, aut infans; atqui non est senex; ergo aut vir etc.

Pro disjuncto sunt leges eaedem cum conjuncto.

Pro coronide articuli liceat hic de syllogismo modali et ex obliquis innuere aliquid, praebendo definitionem.

Dicitur *modalis* is syllogismus qui una, vel altera praemissa modali constat; v. g. necesse est omnem hominem esse animal; atqui Petrus est homo; ergo necesse est Petrum esse animal. Vide i. *Prior.* a q. xxvii. ad xxix.

Dicitur *ex obliquis,* qui constat ex obliquis; v. g. videns omnem asinum, currit; Brunellus est asinus; ergo videns Brunellum, currit. De hoc videas ibidem q. xxxvii.

Explicit Logica minor.

LOGICA MAJOR

Quaestiones generales in logicam

In antecessum agendum est de NATURA hujus partis philosophiae; quam quidam tuentur esse *artem* cum auctore artis cogitandi (p. 1. Lugduni 1703) contra sententiam communem scholae Doctorum, qui ad *scientiae* dignitatem hanc evehunt. Verum id non absolute asserunt, distinguentes inter logicam *docentem* et *utentem;* de prima suam sententiam exponunt, non autem de secunda. Pro quo fit propositio:

Prop. LOGICA DOCENS EST VERE SCIENTIA, LOGICA VERO UTENS AD ARTIS NATURAM SPECTAT. Est Doctoris *Univ.* q. I.

Prob. I. pars. Cui scientiae *definitio* convenit, convenit et scientiae *natura;* atqui logicae convenit scientiae definitio; ergo et natura. Minor patet; quia scientia est notitia certa et evidens rei per causam. Jamvero logica est cognitio *certa* et *evidens,* quia quae de ea traduntur, sunt certissima et evidentissima, ut videri potuit vel ex his paucis quae usque adhuc exposita sunt: est talis *per causam,* quia documenta logica educuntur de natura intrinseca *sui obiecti,* ut patuit in agendo praecipue de syllogismo.

Praeterea logica nequit esse *ars;* ergo est *scientia:* probatur antecedens et consequentia: artis objectum est

aliquod physicum; logicae vero est actus, vel ens rationis: insuper arti repugnat esse directivam scientiae; contra, scientiae convenit esse directivam artis; atqui logica est directiva tum scientiae, tum artis: ergo ei repugnat esse artem. Consequentia patet ex eo, quia inter logicos quaestio instituitur de alterutra tantum, idest an sit ars, vel scientia: tum ex directione scientiarum logicae propria; quarum ideo quodammodo dignitatem obtinet, imperans eis quasi regina.

Prob. II. pars. Logica utens non est de genere qualitatis, sed potius de genere actionis; in actu enim ponit documenta scientiae acquisitae et his utitur sicut medicus scientia medica; hoc autem artis naturam induit; ergo logica utens ad naturam artis spectat.

Objectio. Modus sciendi non est ex philosopho scientia; atqui logica est modus sciendi; ergo non est scientia.

Resp. Dist. major. *Modus* sciendi non est scientia, scilicet, distinguitur ab illa scientia in qua illo modo utimur, conc.; non est absolute scientia, neg. Per ea verba enim solum id innuit philosophus, nos non simul addiscere scientiam hanc, vel illam et modum, seu instrumentum sciendi; v. g. non simul addiscimus physicam, etc. et documenta logica; quia haec jam in discente praesupponuntur: non negat tamen haec tradi a scientia vera etc., cum de logica loquatur in particulari per principia scientifica.

Verum quoniam scientia in *speculativam* et *practicam* dividitur, prout ejus objectum vel simpliciter speculari exquirit; seu praebere veritatem propter veritatem vel exigit deduci ad opus, dubium exoritur de scientia logica an pertineat ad primam, vel ad alteram. Dicimus

tamen cum Doctore *Prolog.* q. IV. n. 3. e VI. *Metaph.* q. I. n. 14. logicam *vere* et *per se* esse *speculativam;* quia ipsa tota est in dirigendo actu rationis in recte speculando, vel ad rerum veritatem apprehendendam; quod certe non involvit praxim; nec conficit ratiocinia, sed de ratiocinii natura considerat, ut inde eo recte utamur in acquisitione scientiarum.

Tamen quoniam usus continet *praxim* et ad usum ordinatur studium logicae, ea dici potest *late practica,* ut Doctor docet ibidem *Metaph.; imo prima practica inventa;* quia intellectus in actu proprio discursivo ne erret, indiget habitu directivo: cum autem fere semper et in omnibus actu discursivo procedat, fere semper et in omnibus indiget logica; quae sic prima late practica inventa haberi potest.

Tertia quaestio quae de logica proponitur, respicit illius AMBITUM; de quo quaeritur an sit scientia *communis,* vel *particularis?* Ratio dubitationis fundatur in eo quia ipsa cunctas scientias ingreditur.

Ad quaesitum sic breviter Doctor, q. II. *Univ.* respondet: « Scientia dicitur communis a subjecto. Potest igitur intelligi communis, vel quia subjectum ejus est praedicatum de subjectis aliarum scientiarum, vel quia subjectum cadit in usum omnium aliarum scientiarum. Primo modo non est communis logica per se, nisi forte per accidens. Si autem subjectum ejus sit applicabile omnibus aliis scientiis, secundo modo logica est communis, quia omnes scientiae utuntur syllogismo et aliis de quibus est logica. » Ea verba *non est communis per se* ex eo probantur, quia objectum de quo logica, particulare est, de quo a nulla alia scientia pertractatur. Alia

verba *nisi forte per accidens* intelligenda sunt quatenus logica agit de *ente rationis* in genere, quod sui fundamentum habet in ente reali, sicut videre est praecipue in tractatu de *Praedicamentis:* ita q. I. *Elench.*

Quarto inquiri solet de logicae OBJECTO; circa quod non est convenientia opinionum. Thomistae et non pauci scotistae tuentur illud constitui a *syllogismo:* verum major scotistarum pars illud reponunt in *modo,* seu *instrumento sciendi,* quod triplex ab eis assignatur, idest, *definitio, divisio* et *syllogismus:* nam non solum ultimus, sed etiam prima et altera faciunt scire, cum manifestent essentiam rei, etsi modo diverso, sicque notitiam ejusdem rei per causam. Nos etsi tamquam probabilem ultimorum sententiam habeamus, tamen cum primis tenemus; quorum sententia a Doctore defenditur in q. III. *Univ.* Pro quo *nota objectum* scientiae dici id circa quod scientia versatur; quod vel *adaequatum,* vel *inadaequatum* esse potest, secundum quod vel omnia complectitur quae in ea pertractantur, vel solum in parte. Item *nota* quod quaedam in objectum *directe* resolvi possunt, quaedam *indirecte;* ultimum autem est sufficiens ad rationem formalem objecti in scientia obtinendam. His positis, en propositio:

Prop. OBJECTUM ADAEQUATUM LOGICAE EST SYLLOGISMUS. Est Doctoris ibidem.

Prob. ex notione *objecti adaequati,* in quod omnia tradita in scientia resolvuntur. Atqui omnia tradita in logica resolvuntur in *syllogismum.* Ergo syllogismus est objectum logicae adaequatum. Minor constat; quia si in logica de terminis et notionibus peragitur, id efficitur ad notitiam perfectam propositionis, quae est materia

immediata syllogismi. Imo si de definitione in logica est sermo, praecipue id est, quia munere medii in syllogismo demonstrativo haec fungitur: divisio ipsa ordinatur ad secernenda essentialia a non essentialibus, ideoque directe ad rectitudinem definitionis, indirecte et mediate ad rectitudinem syllogismi.

Quinto inquiritur de UTILITATE ET NECESSITATE logicae. De primo vix dubitatio oriri potest in sana mente, cum cuilibet ratione utenti statim et manifeste appareat immane quid *utilitatis* hanc intellectui afferre in inquisitione veritatis. Solum ideo circa secundum aliquantulum immorandum esse ducimus.

Duplex distinguitur *necessitas,* idest, absoluta et hypothetica. *Absoluta* ea dicitur quae prorsus repugnat non esse; v. g. necessitas qua Deus est: dicitur *hypothetica* quae licet de se non inferat necessitatem essendi, tamen posito quod debeat esse, non potest non ita esse. Hypothetica in *physicam* et *moralem* partitur; quarum prima ea dicitur, sine qua finis obtineri non potest; dicitur *moralis* si finis nonnisi difficulter in communi aestimatione hominum obtinetur. His positis, resolutio circa logicae necessitatem sequenti propositione habetur.

Prop. LOGICA ACQUISITA NON EST PHYSICE NECESSARIA AD SCIENTIAE ADEPTIONEM, SED SOLUM MORALITER ET AD PERFECTIOREM NOTITIAM.

Prob. I. pars. Experientia constat non deesse qui absque logica acquisita scientias aliquas addiscant, v. g. mathesim, physicam etc. *Praeterea* mens independenter a *scientia logica* est naturaliter discursiva; quare absolute potest independenter ab ea procedere a notis ad ignota.

Prob. II. pars. Qui logicae non vacant ordinario in

errorem facile labuntur, non valent ordinatim procedere, nec bene solvere adversariorum redarguitiones; haec autem omnia maxime conferunt ad perfectionem notitiae; Ergo etc. *Praeterea* scientia perfecta per demonstrationem acquiritur; sed quae demonstrationem respiciunt, traduntur a logica; ergo ipsa moraliter necessaria est etc.

Per hanc sententiam dum consulitur *dignitati* hujus scientiae, prospicitur etiam *nativae dignitati mentis nostrae;* quae licet non paucis implicetur impedimentis in veritatis inquisitione, tamen non ita depressa est, ut a logica acquisita omnino dependere debeat.

Haec sunt quae *de logica* in genere duximus innuenda et satis esse videntur ad naturam illius capiendam.

CAPUT I.

De universalibus logicis.

Quoniam acturi sumus de universalibus logicis, seu de praedicabilibus et de praedicamentis, operis pretium erit quaedam de *ente rationis* praeponere, quod non immerito quasi genus ad ea relate considerare licet.

ARTICULUS I.

De ente rationis.

« Ens est duplex, scilicet naturae et rationis. Ens naturae, in quantum tale, est cujus esse non dependet ab anima. Sed ens rationis dicitur de quibusdam intentionibus quas adinvenit ratio in ipsis rebus; cujusmodi

sunt genus, species, definitio, et hujusmodi. » *Elench.* q. I. n. 2. Vide et I. D. XXXVI. n. 9.

Ens rationis in genere tripliciter sumi potest, idest *subjective, effective* et *objective.* Sumitur *subjective* pro omni eo quod in mente residet; v. g. habitus intellectualis etc.: sumitur *effective* pro omni actu rationis in quantum actus; v. g. omnes intellectus operationes: tandem sumitur *objective* pro omni eo quod habet tantummodo *esse* prout objicitur intellectui, ab eoque procedens; v. g. chimaera, intentiones secundae etc. (IV. D. I. q. II. n. 3.). De ultimo tantum hic loqui intendimus.

Hoc autem dupliciter se habere potest; vel enim suum *esse* est simpliciter per mentis opus absque fundamento in re, vel intellectus in re adinvenit fundamentum aliquod. In prima hypothesi ens rationis *non fundatum* dicitur; in altera autem *fundatum* audit. De primo, ut patet, non est curandum, cum sit verum mentis figmentum, inutile prorsus ad scientiae profectum etc. Tota tractatio igitur de *fundato* erit. Pro quo *nota* quod docet Doctor, ibi *Elench.* et I. *Sent.,* nihil esse in rerum natura, quod fundare non possit ens rationis, ut puta, genus, speciem, individuum, causatum, praedicatum etc. etc.

Fundatum adhuc patitur dividi, quatenus vel a nobis consideratur per modum *substantiae,* v. g. species, genus etc., vel per modum *accidentis,* v. g. caecitas. Ultimum tripliciter accidit, quia ens illud potest esse per modum relativi, vel negativi, vel privativi. Ens rationis fundatum et accidentale per modum *relativi* tunc habetur, quando in relatione non mutua concipitur aliqua realis formalitas ipsius constitutiva, quae reipsa non est; v. g. in relatione Dei ad creaturas et scibilis ad mentem. Per modum *ne-*

gativi habetur quando negatio consideratur tamquam forma positiva quae revera non est; v. g. homo non equus: denique per modum *privativi* habetur, quando privatio tamquam ens reale consideratur, in quo res privationi opposita nata erat adesse, v. g. caecitas in homine.

Ens prout hic consideratur, vocari etiam solet *intentio* a *tendere* in rem repraesentatam quoquo modo ab ente rationis. Duplex autem ipsa extat, scilicet, formalis seu subjectiva et objectiva; quae rursus partitur in primam et secundam. Intentio *formalis* seu *subjectiva* est ipse mentis actus quo res apprehenditur; res autem ut intellecta, vel actus mentis repraesentativus rei dicitur intentio *objectiva*. Haec si res repraesentat prout menti occurrunt, dicitur *prima;* si vero repraesentet secundum esse ab intellectu eis tributum, dicitur *secunda*. Ultima in simplicem et compositam discerpitur: *simplex* unum tantummodo refert, v. g. genus, proprium etc.: *composita* vero plura innuit; v. g. propositio, syllogismus etc.

Etsi intentiones secundae a realitate distent, tamen ratione sui fundamenti in primis positi, non parum conferunt ad rerum notitiam: de quo sic Doctor I. D. XXIII. n. 2. scribit: « Omnis intentio secunda est relatio rationis, non quaequumque, sed pertinens ad extremum, vel actum intellectus componentis, vel dividentis, vel saltem conferentis unum ad alterum. Hoc patet, quia intentio secunda, secundum omnes, causatur per actum intellectus negotiantis circa rem primae intentionis. »

Ex quo legitima conclusio educitur logicam, quae est de secundis intentionibus, non versari et operari circa vanum et inane, sed vel circa abstracta fundata, v. g. tractatus de praedicabilibus et praedicamentis; vel circa

modum unionis terminorum, sive immediatae sicut in propositionibus, sive mediatae, sicut in syllogismo.

Pro conclusione articuli sequentia hic breviter resolvenda sunt: 1um an denominationes extrinsecae sint entia rationis? 2um an similiter dicendum sit de negationibus et privationibus? 3um an id extendi debeat et ad intentiones secundas?

Pro solutione *observa* dici denominationem nomen alicui inditum ob aliquam formam per nomen significatam; quae si revera inhaeret subjecto, dicitur *intrinseca;* v. g. paries alba ob albedinem: si vero forma non inhaeret, sed tamen ad ipsum subjectum terminat, dicitur *extrinseca;* v. g. campana audita denominatur denominatione extrinseca, quia ad ipsam terminat auditio; nec tamen per auditionem aliquid reale ei accidit.

Dicimus ergo ad quaestiones praepositas distinguendo *pro prima et secunda:* si quaestio sic intelligatur, an independenter a ratione istae denominationes et privationes sint verae modo sibi proportionato? videtur affirmandum; ideoque negandum eas esse entia rationis. Ratio quia non per solum actum rationis istae verae evadunt de subjecto, v. g. quod campana sit audita etc. Si vero quaestio sic intelligatur, an in re istae ponant aliquid? dicimus eas esse entia rationis; quia nihil reale ponunt in subjecto, sed simpliciter per mentis opus.

Idem fere dicendum de quaestione *tertia,* sic distinguendo: vel intentiones secundae considerantur in suo fundamento, vel simpliciter prout sunt intentiones secundae. In primo casu nequeunt dici entia rationis, quia mediate referunt res: in secundo casu autem sunt vere entia rationis, quia ut tales sunt tantum in intellectu.

ARTICULUS II.

De praedicabilibus in genere.

Ens rationis, vel *intentio,* dupliciter, ut visum est in praecedenti articulo, dividitur, idest, in simplicem et compositam. *Simplex* praecipue respicit *praedicabilia* et *praedicamenta,* quae universale logicum constituunt; *composita* respicit *propositionem* et *syllogismum:* de quibus omnibus ordinatim agetur, initio desumpto a praedicabilibus.

Quid PRAEDICABILE sit et in quo a *praedicamento* differat, vidimus in prima Logicae parte Cap. I. art. IV. Hic quaedam considerationi subjiciuntur, quae non parum conferunt ad notitiam logicae pleniorem et praecipue ad ea multa intelligenda quae scholastici habent hac super materia.

Primum quod examini subjicitur est quaestio: AN UNIVERSALE SIT ENS?

Pro solutione distingue ens in reale et in intentionale cum fundamento in re, de quo in praecedenti articulo. Dicimus *universale non esse ens reale,* quia ut tale non invenitur in rerum natura, ut clarius patebit in Metaphysica: est tamen ens altero modo acceptum; quia nihilum, quod enti opponitur, non potest movere intellectum et positive concipi; atqui universale movet intellectum et positive concipitur; ergo non est nihilum; et cum nil medii inter ens et nihilum inveniatur, concludendum est universale inter entia adnumerari. Vid. q. IV. n. 3. et XI. *Univ.*

Secundo quaerimus, AN UNIVERSALE SIT UNIVOCUM PRAEDICABILIBUS?

Respondemus cum Doctore ibi q. VIII. *affirmando* contra Boetium tuentem esse analogum. Ratio deducitur ex definitione *univoci;* hoc enim dicitur de inferioribus secundum idem nomen et eamdem rationem; atqui vere et proprie de praedicabilibus dicitur universale, idest, secundum nomen et eamdem rationem; ergo est eis univocum.

Tertio inquiritur AN PRAEDICABILIA SOLUM QUINQUE ENUMERENTUR?

Affirmamus cum Doctore ibi q. XII. a quo hujus numeri sic ratio assignatur (n. 5. et 6.). *Praedicatio* in genere dividitur in praedicare *in quid* et in praedicare *in quale:* primum essentiam complectitur; quod duobus modis accidit, quia vel praedicat totam essentiam, et sic habetur *species,* vel praedicat partem essentiae, et sic habetur *genus.* Praedicare *in quale* est praedicare per modum denominantis: et hoc item dupliciter; vel enim denominat rei essentiam et tunc habetur *differentia specifica,* quae dicitur etiam praedicari in *quale quid;* vel denominat id quod est extra essentiam rei, et tunc habetur *quale accidentale.* Hoc ultimum autem vel a principiis intrinsecis rei profluit, vel extrinsecus advenit: in primo casu habetur *proprium,* in altero vero habetur *accidens.* Cum autem alii modi praedicandi non pateant, haec quinque solummodo enumerantur praedicabilia.

ARTICULUS III.

De genere et specie.

Genus definitur *quod de pluribus differentibus specie praedicatur in eo quod quid sit.* Non res, ut patet, sed intentio definita est, quia ea solum praedicatur immediate (q. xiv. *Univ.* n. 3.). Definitio bona est; nam in ea invenitur *genus* his verbis *praedicari de pluribus,* in quo ratio formalis universalis sistit; differentia in caeteris verbis continetur: per quorum prima *differentibus specie,* a specie definitum differt, quae de pluribus praedicatur, sed solo numero differentibus; per alia distinguitur a differentia et proprio et accidente, quae in *quale* praedicantur (ibi q. xv. n. 4.).

Etsi genus *immediate* solum de differentibus specie praedicetur, tamen *mediante specie* etiam praedicatur *de individuis.* Vide ibi q. xvii. n. 2. Ratio quia tamquam pars intelligitur concurrere ad speciei constitutionem et consequenter etiam individuorum.

De genere quaeritur *an multas requirat sub se habere species?* Ad cujus solutionem *praenota* cum Doctore q. xviii. *Univ.* tripliciter posse dici *habere,* scilicet, actualiter, potentialiter et aptitudinaliter. Dicitur *actualiter* quod est in actu; v. g. scientia in docto; dicitur *potentialiter* quod est in potentia; v. g. scientia in addiscentibus; dicitur *aptitudinaliter* quod est solum secundum aptitudinem. « Aptitudo est inclinatio alicujus secundum se in aliquid; vel magis non repugnantia. Potentia vero est ordo ad actum. Potest igitur potentia esse sine aptitudine, ut possibile est grave esse sursum, non tamen est aptum ibi esse; quia

repugnat ei secundum se. Et aptitudo est sine potentia, ut caecus est aptus natus ad videndum; non est autem possibile caecum videre » (ibi n. 3.).

Dicimus ergo genus sub se continere plures species solum *aptitudinaliter*, non vero *actu*, vel *potentia*, nisi per accidens. *Primum* patet; quia ei convenit definitio *aptitudinalis* continentiae, cum secundum se totum inclinetur ad plures species, de quibus potest praedicari. *Secundum* item patet; quia genus actu salvari potest etiam in una specie; v. g. si Deus omnia bruta in nihilum redigeret, genus *animal* salvaretur in solo homine: et sic *per accidens* est in pluribus speciebus *actu*. Nec ei convenit *potentialis* continentia, quia genus non est ordo ad actum, sive *primum* (cum actu sit), sive *secundum*, quia non est facultas etc.; nec ei accidit species tamquam *subjecto perfectibili*, cum speciei perfectionem tamquam fundamentum ingrediatur (ibi).

Hoc ultimum autem non est dicendum de genere relate ad *differentias*, cum utrumque sit extra rationem formalem alterius; aliter inutiliter secundum primo adderetur pro specie costituenda (ibi q. xx. et i. D. viii. q. iii. n. 16.).

Quoniam autem genus secundum se totum ad differentiae receptionem ordinem dicit, a qua in speciem determinatur, recte comparatur materiae, sicut e contra differentia *formae*. Quemadmodum enim principia constitutiva corporum per modum potentiae et majoris universalitatis et per modum actus et determinationis se habent (quorum primum *materiae*, alterum *formae* convenit), sic constitutiva logicalia essentiae quandam potentialitatem et majorem universalitatem continent ex parte *generis* et quandam actualitatem et determinationem ex parte

differentiae. Vide ibi *Univ.* n. 3. et III. *Metaph.* q. unic. n. 2.

SPECIES vel in ordine ad *genus,* cui subjicitur, vel in ordine ad *individua,* quibus praeest, consideratur. Si *secundum,* recte ita difinitur: « Species est quae praedicatur de pluribus *numero* differentibus in eo *quodquid* » (ibi *Univ.* q. XXI.). Si *primum,* hanc exigit definitionem: *species est quae sub assignato genere ponitur;* vel, species est *de qua genus in eo quodquid est, praedicatur.* Verba patent; et item patet solummodo primam tamquâm definitionem speciei convenire, ceteras vero tamquam notificationes (ibi n. 3.).

Eo ipso quod *species* tum ad genus, tum ad individua refertur, dubitationem parit circa id a quo desumit rationem formalem suae universalitatis. Dicimus tamen hanc desumi *ab ordine ad individua,* quia solum sub eo respectu est praedicabilis de multis (ibi n. 4.). Neque cum hoc negatur ejus *per se ordinatio* ad genus; sed salva manet per distinctionem *ordinis per se* in primum et non primum. Species igitur *per se primo* ad individua, *per se non primo* ad genus refertur (*Praed.* q. XXIX.).

Quomodo autem species dicatur universalis, existente uno tantum individuo, v. g. Adamo, eruitur ex dictis superius de continentia aptitudinali etc.

ARTICULUS IV.

De differentia specifica.

Differentia ex Doctore q. XXIII. *Univ.* tripliciter sumitur, scilicet communiter, proprie et magis proprie, seu propriissime. Dicitur *communis* differentia quae intercedit

inter accidens et accidens, v. g. inter hominem album et nigrum: dicitur *propria* quae intercedit inter proprietatem et proprietatem, v. g. inter risibilitatem hominis et hinnitibilitatem equi: dicitur *propriissima* quae differre facit in essentialibus, v. g. rationalitas in homine: quoniam autem haec speciem constituit, recte vocatur *specifica;* et de ea dicitur facere *aliud,* seu diversum in essentia, contra differentiam accidentalem, quae dicitur facere *alterum,* seu diversum in accidentalibus (ibi n. 2.).

Differentiae specificae quatuor definitiones traditae sunt a Porphyrio: prima: Differentia est *qua species abundat a genere;* quae a Doctore ibi q. xxv. laudatur, cum exprimat per se intellectum definiti, ut patet consideranti. Secunda: Differentia est *quae praedicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quale.* Verum (ibi q. xxvii.) a Doctore haec reprobatur, utpote quae non vera evadit de differentia ultima praedicabili solum de differentibus numero, v. g. rationalitas in homine. Corrigi tamen potest et in bonam converti sic: differentia est *quae praedicatur de pluribus in quale quid,* absque alio addito: vel: differentia est *quae praedicatur de pluribus specie, vel numero differentibus* etc. Sic correcta in se omnia habet requisita bonae definitionis, ut patet: ideoque omittimus tertiam et quartam.

Differentia ex duplici munere dividendi et constituendi, est *divisiva* et *constitutiva.* Dicitur *divisiva* quatenus partitur genus in varias species; et eo sub respectu dicitur ad genus. Est autem *constitutiva,* quia simul cum genere speciem constituit; et sub hoc respectu dicitur ad speciem. Verum *primo* ad speciem, *non primo* ad genus dicitur, quia minus spectat ad genus, quam ad speciem, quam ingreditur (ibi q. xxvii. n. 4.).

Differentia formaliter constituitur universale, non ex eo quod est *divisiva* et *constitutiva*, sed ex eo quod est *praedicabilis* de multis: ex quo etiam prae ceteris secundam selegimus differentiae definitionem.

Si autem *inquiratur* in quo differentiae ad invicem distinguuntur? in promptu est responsio Doctoris I. D. XIII. n. 19. quod ipsae « sunt seipsis *primo* distinctae *formaliter*. Distingui autem primo formaliter non est distingui per aliquod inclusum in uno aliquo et in aliquo convenire, sed se *toto formaliter* distingui. »

Id autem intelligitur de differentia *formaliter* considerata, quia materialiter inspecta inferior superiorem continere valet et sic non se totis ad invicem differre. Consideratur vero differentia *materialiter*, quando sumitur pro re, cujus est differentia; v. g. rationalitas sumpta pro homine. *Ratio primi*, idest, cur se totis differentiae differunt, haec assignatur; vel sunt in eodem gradu inferioritatis, v. g. rationalitas et irrationalitas, vel in diverso: in primo casu ipsae constituunt omnino diversa: ergo omnino diversae inter sese sint oportet: in altero casu non possent concipi convenire, nisi aliquid superioris tribuatur inferiori: atqui hoc est falsum; superior enim constituit genus relate ad inferiorem; genus autem est extra rationem formalem differentiae; « quia tunc impossibilis esset per genus proximum et differentiam specificam definire, quia idem bis diceretur, scilicet illa differentia superior per se inclusa tam in ratione differentiae inferioris, quam in ratione generis proximi » (IV. D. XI. q. III. n. 48.). *Ratio secundi* est, quia subjectum continet quidquid perfectionis invenitur etiam in superioribus notionibus.

ARTICULUS V.

De proprio et accidente.

Superius quaedam diximus de praedicabilibus essentialibus; nunc de his quae sunt extra essentiam. *Proprium* quadrupliciter sumitur: 1° pro eo quod opponitur *communi;* sicut dicitur fuisse Scoti ratiocinari subtiliter; 2° pro eo quod opponitur *alieno* et ut sic dominium importat; v. g. domus propria; 3° pro eo quod opponitur *improprio;* v. g. homo vivens dicitur *proprie* homo; e contra pictura improprie homo dicitur; 4° pro eo quod opponitur *accidentali* et est profluens ab essentia.

Proprium quarto modo acceptum est illud de quo considerat logicus et definitur: *illud universale quod est aptum praedicari de pluribus in quale accidentale, necessarium* et *reciprocum.* Per ea verba in *quale accidentale* discriminatur proprium a differentia specifica; per *ultima verba* discriminatur ab accidente, de quo statim: cetera patent.

Proprium autem esse *universale,* sic breviter a Doctore q. xxx. *Univ.* demonstratur: « quia praedicatur de pluribus; est enim secundum Aristotelem I. *Top.* praedicatum *conversim,* idest, convertitur cum illo cujus est proprium; illud autem est universale, quia potest esse subjectum demonstrationis, quia omne proprium potest demonstrari de eo, cujus est proprium, per definitionem: universalium autem est demonstratio, per Aristotelem I. *Post.;* ergo si ipsum subjectum praedicatur de pluribus, et suum convertibile praedicatur de pluribus, quod est proprium. »

Dum de proprio dicitur esse *necessarium,* non est

intelligendum *de actu* qui ab eo profluere potest, sed de *aptitudine* ad actum; v. g. risibilitas est necessaria in homine, non tamen actus ridendi; seu est necessaria tantum aptitudo ad ridendum (ibid. q. xxxiii. n. 3.).

Accidens praedicabile definitur: *id quod praedicari potest de pluribus in quale contingens:* vel: accidens est *quod adest, vel abest praeter subjecti corruptionem.*

In multis differt a proprio: 1° quia proprium est a principiis intrinsecis; accidens autem extrinsece accidit essentiae; 2° proprium immediatam et necessariam habet connexionem cum specie et ea mediante cum individuis; contra, accidens habet immediatam et contingentem connexionem cum individuis et his mediantibus cum specie; 3° proprium non patitur magis et minus; contra, accidens utriusque per se est capax; 4° proprium non est rationabiliter separabile a subjecto; accidens autem sic.

Duo dubia circa accidens solvenda proponimus, quorum unum secundam definitionem allatam, alterum vero ejus universalitatem respiciunt.

Cum enim multa, quae dicuntur accidentia, inseparabiliter inhaereant, v. g. nigredo in corvo, videretur ea definitio non recte repraesentare definitum. Verum dupliciter aliquid potest separabile concipi; uno modo *physice,* altero modo *metaphysice,* quando scilicet mente rationabiliter res concipitur, etiam praecisione facta a parte separata. Jam vero etsi quaedam accidentia primo modo separari nequeant, queunt tamen separari a subjecto altero modo; sicut patet in corvo, qui optime concipitur etiam sub opposito colore; quia nigredo non est ab essentia, sed ab aliquo elemento accedente extrinsecus essentiae. Vide ibi q. xxxii. n. 2.

Dubium secundum: si accidens adest, vel abest, quomodo dicitur *universale,* quod inest omnibus? *Respondetur:* accidens dicitur *universale,* quia quantum est de se potest adesse, tum abesse omnibus: vel relate ad omnia subjecta ita se habet, ut de his dici possit *adest* vel *abest* etc. Ejus ambitus ideo tam late patet quam ambitus subjecti.

ARTICULUS VI.

De primo ante-praedicamento.

Logici post Aristotelem tractatum de praedicamentis in tres partes partiuntur; in quarum *prima* quaedam ad eorum rectam notitiam inducentia continentur, quae idcirco toto jure *ante-praedicamenta* appellantur: in *altera* parte de *praedicamentis* in se sermo instituitur; in *tertia* vero quaedam exponuntur quae non parum conferunt ad complementum tractationis super hac materia et *post-praedicamenta* dicuntur.

PRIMUM ANTE-PRAEDICAMENTUM est de aequivocis, univocis, analogis et denominativis; de quibus in praesenti articulo.

AEQUIVOCA (aeque vocans, idest plura vocans quasi unum) dicuntur ex Philosopho et Doctore (f. v. *Praed. quorum solum nomen est commune,* secundum vero illud nomen ratio substantiae, seu natura per nomen significata, diversa. Verum aequivocum non constituitur ex eo quod plura *divisibiliter* significet, sed ex eo quod *per modum unius* referat: itemque animadverte non dictum esse in definitione *ideas,* sed *nomen,* quia aequivocatio de hoc ultimo tantum accidit, ut in prima parte Logicae

Cap. I. art. II. vidimus. Ratio aequivocorum est penuria vocum; « nam voces sunt finitae, res autem infinitae: et ideo necesse est unum nomen plures res significare. » (*Elench.* q. X. n. 4.). Vide ibidem alia plura de his.

UNIVOCA dicuntur *quorum nomen commune est et secundum illud nomen eadem ratio substantiae* (q. VI. *Praed.*). *Univocatio* multipliciter dividitur: primo in logicam, metaphysicam et physicam: dicitur *logica* ea secundum quam multa conveniunt in conceptu communi; v. g. in specie, genere etc.; dicitur *metaphysica* ea secundum quam multa conveniunt in natura abstracta a conditionibus individuantibus, v. g. in humanitate; dicitur denique *physica* univocatio secundum quam multa conveniunt in natura physice considerata; v. g. homo prout existens (*De anima* q. I. n. 6.).

Secundo dividitur in completam et incompletam seu diminutam: *completa* dicitur *quando est similitudo in forma et modo essendi formae;* v. g. animal relate ad agnum et leonem: dicitur *diminuta* quando *est similitudo in forma, sed non in modo essendi:* v. g. domus extra mentem et in mente (*Prol.* q. IV. n. 45.).

A nostratibus QUATUOR assignantur GRADUS univocationis: *Primus* gradus et perfectior obtinet quando aliquid est commune pluribus et secundum idem nomen et secundum eamdem rationem et secundum eumdem modum essendi et secundum eumdem ordinem et secundum eamdem perfectionem: talis gradus, v. g. habetur in homine relate ad omnia individua speciei humanae. Quo magis autem aliqua recedunt ab his requisitis, eo magis a perfectione univocationis recedunt, etsi semper maneant sub illa.

Secundus gradus univocationis obtinet quando aliquod est commune pluribus secundum praefatas conditiones, excepta *eadem perfectione:* hic gradus v. g. habetur in animalitate relate ad hominem et ad belluas; licet enim tum de homine, tum de bruto dicatur secundum idem nomen, rationem, modum essendi et secundum eumdem ordinem, cum utriusque sit genus immediatum, non dicitur tamen secundum eamdem perfectionem; quia in homine animalitas est perfectior.

Tertius gradus est quando aliquid pluribus commune est secundum praememoratas conditiones, exceptis perfectione et ordine; v. g. numerus relate ad quaternarium et ternarium: hi enim eamdem rationem numeri participant, non tamen in eodem ordine, quia numerus prius descendit in ternarium; nec eadem perfectione, quia quaternarius est major etc.; idem dic de substantia relate ad plantam et ad hominem.

Quartus gradus est quando aliquod dicitur pluribus commune solum secundum nomen et rationem, exceptis modo essendi, ordine et perfectione; v. g. ens relate ad substantiam et accidens; quia licet de eis ens dicatur secundum nomen et rationem, cum utrumque revera sit ens, non tamen idem est modus essendi, quia esse in se et per se et esse in alio differunt; nec ordo quia prius participat substantia et ea mediante accidens; nec perfectio, quia substantia accidenti praeest perfectione. Hinc est quod haec sit *infima* inter univocationes et appellari a quibusdam solet etiam *univoco-analoga.*

Analoga vocantur ea *quorum nomen est commune et ratio substantiae partim eadem et partim diversa.* Quod non sic est intelligendum, quasi analoga sint quaedam

natura neutra (quae repugnat), sed quatenus nomen « uni imponitur proprie et propter aliquam similitudinem ad illud cui primo imponitur, transfertur vox ad significandum aliud » (*Praedic.* q. IV. n. 4.); v. g. risus qui de homine et de prato dicitur; sed de homine per se et primo, de prato ob quamdam similitudinem ad risum hominis.

Analoga dividuntur in analoga *attributionis* et *proportionis*. Dicuntur analoga *attributionis*, quibus convenit idem nomen et aliqua vere fundata intrinsece convenientia per ordinem analogi ad principale; v. g. sanitas quae proprie dicitur de corpore, et analogice de medicina et urina ordinem habentibus ad sanitatem corporis. Dicuntur analoga *proportionis*, quibus idem nomen est, sed ratio diversa cum quadam proportione et convenientia levi seu extrinseca ex parte analogi ad principale; v. g. risus qui dicitur etiam de prato propter quamdam similitudinem ad risum hominis.

Ad rectam analogorum notitiam DUAE traduntur REGULAE a logicis; quarum *prima* sic exprimitur: *inter analoga unum est cui praecipue ratio analogiae convenit et ad hoc caetera ordinem vel proportionem habent. Secunda* sic enuntiatur: *analogum per se et absolute stat pro famosiori, seu naturali significatione.*

« DENOMINATIVA proprie dicuntur quae differunt cadentia ab alio » (II. D. XII. q. I. n. 18.), seu sunt ea quae ab alio habent derivationem et appellationem; tamen ab eo differunt in terminatione vocis; v. g. doctus a doctrina.

Quaedam ad denominationem requiruntur, quae sunt: 1um denominativa in nullo pertinente ad significationem debent differre a suis principalibus; ex quo studiosum

pro virtuoso non est denominativum a studio; 2um debent differre solum in modo significandi, quia principale est per modum *abstracti,* denominativum vero per modum *concreti;* patuit in exemplo allato in definitione; 3um debent differre in fine vocis; quod item patuit in eodem exemplo; 4um debent esse accidens (*Praed.* q. XXXVI. n. 22.).

Notat tamen Doctor ibid. q. VI. n. 3. et *Sent.,* satis esse quoad ultimum denominativa taliter se habere respectu illius, respectu cujus sunt denominativa, licet in suo genere rationem ferant substantiae; v. g. animatus ab anima et humanus ab homine sunt vere denominativa; non vero humanitas ab homine, brutalitas a bruto etc. etc.

Denominativa quoniam, ut diximus, non significant in abstracto, sicut multoties ea a quibus originem ducunt, sed in concreto, *duo* important, idest, et *formam* et *subjectum* cui forma inhaeret: ideoque ita significant ut detur *cointelligi* simul subjectum (*Praed.* q. VIII. n. 3.). Verum non similiter; quia *immediate* formam refert et *mediate* subjectum inhaesionis (IV. D. XII. q. I. n. 9.). *Ratio* hujus, quia subjectum est extrinsecum formae denominanti; et ex eo constat quia idem numero et essentia subjectum, plurimarum formarum denominantium potest subjectum esse; imo successive variare has formas absque sui corruptione et alteratione.

ARTICULUS VII.

De secundo et tertio ante-praedicamento.

SECUNDUM ANTE-PRAEDICAMENTUM duas continet *divisiones. Prima* sic a Philosopho exprimitur: *eorum quae*

dicuntur, quaedam dicuntur cum complexione, seu sunt complexa; v. g. homo justus, res-publica etc.; *quaedam vero sine complexione;* v. g. homo, bos etc.

Secunda divisio plures continet subdivisiones, quae ita enunciantur.

1ª Eorum quae sunt, alia de subjecto dicuntur et in subjecto nullo sunt; v. g. homo, substantia etc. qui praedicari possunt de inferioribus, quin subjectum inhaesionis habeant.

2ª Alia in subjecto sunt et de subjecto nullo dicuntur; v. g. haec albedo et quodlibet accidens singulare: praedicatio enim inferiora requirit: nihil autem est inferius singulari.

3ª Alia de subjecto dicuntur et in subjecto sunt; v. g. accidens universale.

4ª Alia denique nec in subjecto sunt, nec de subjecto dicuntur; v. g. omnes substantiae individuae.

Tertium ante-praedicamentum duas regulas tradit, scilicet: 1ª Quando alterum de altero praedicatur ut de subjecto, quaequumque de eo quod praedicatur, dicuntur, omnia haec et de subjecto dicuntur. Quae regula ex Doctore *Praed.* q. IX. n. 5. huic respondet: quod est prius priore, est prius posteriore; vel quod est superius superiore, est superius inferiore: cujus veritas nulli potest esse dubia. Quod autem hoc ultimum primae regulae respondeat, ita *demonstratur.* Praedicatum ex lege generali latius patet subjecto: ergo est eo superius: quod autem est superius, in eo continetur quod est inferius; cum inferius omnia superioris et quid amplius necessario contineat.

2ª Diversorum generum et non subalternatim posi-

torum, diversae sunt species: contra: subalternatorum generum nihil prohibet easdem esse species et differentias.

Declararur 1a pars: quando diversa genera suprema habentur, v. g. substantia et qualitas, habentur etiam species diversae et diversae differentiae. *Ratio,* quia genus ingreditur essentiam: ea propter si res duplex genus complecteretur, duplici essentia quoque; adeoque genere et genere secum pugnantibus ditaretur; quod sane implicat (*Praedic.* q. x. n. 2.).

Declaratur 2a pars: si agatur de genere contento in eodem praedicamento, nihil prohibet quominus diversa genera easdem habeant differentias et species; v. g. substantia et corpus in praedicamento substantiae possunt differentia *viventis* affici; verum corpus immediate et substantia mediate.

ARTICULUS VIII.

De praedicamentis in genere.

Praedicamentum definiri potest: series, seu coordinatio naturalis generum et specierum sub uno genere supremo ipsis communi secundum subjectionem et praedicationem ordinatorum. Dicitur in definitione *series generum,* non vero rerum et vocum, quia logicus non considerat res sicut metaphysicus, nec voces sicut grammaticus, sed intentiones. *Cetera* innuunt rationem praecipuam praedicamentorum, quae est ordinare omnia sub quasdam generalissimas notiones series varias componentes.

Primum, quod de praedicamentis in genere inquiri potest, est de numero eorum; an denarius numerus recte

a Philosopho assignetur? Doctor IV. D. XIII. q. I. n. 9. tuetur salvandam esse divisionem, quam *famosam* appellat, praedicamentorum ab Aristotele traditam; et ratio, quam affert, vim desumit ab auctoritate antiquissima sapientium, cui non debet de facili contradici. Ceterum, cum omnia ea divisio complectatur quae de rebus praedicari possunt (ut constat consideranti), videtur bene tradita esse, etsi non in omnibus praedicamentis ita manifeste appareat, sicut apparet in aliis. Si alia cupis vide et q. XI. *Praed.* et q. VI. l. V. *Metaph.*

Pro quo *animadvertendum* quod etsi sex ultimae categoriae quandam relationem praeseferant, differunt tamen a categoria relationis; quia respectus, quem dicunt, non est *intrinsecus*, sed *extrinsece* adveniens. Respectus « ille dicitur intrinsecus adveniens qui necessario consequitur ambo extrema in actu posita, vel, quod idem est, necessario consequitur suum fundamentum, termino non excluso, sed posito. Extrinsecus autem est, qui non consequitur necessario etiam ambo simul in actu posita » (ibi); v. g. si ponatur agens et patiens et inter ea impedimentum intersit, relatio non obtinet, licet extrema habeantur: igitur actio et passio non sunt relatio, etsi fundent relationem posteaquam prima passum affecit: clarius id fiet cum de natura actionis et passionis in fine Metaphysicae sermo erit. Similiter exempla afferri possunt de quatuor ultimis praedicamentis. Vide et *Quodl.* XI. n. 13.

Nostrates ita ex diverso modo essendi deducunt denarium numerum praedicamentorum: quidquid est, vel est substantia, vel accidens: si primum, categoria *substantiae* habetur; sin alterum, caeterae prosiliunt. De accidente adhuc inquiritur: vel dicit aliquid absolutum, vel quid

relativum: in prima hypothesi, vel sequitur materiam et habetur categoria *quantitatis;* vel sequitur formam et habetur categoria *qualitatis.* In altera hypothesi, vel est intrinsecus adveniens et sic categoria *relationis* exurgit, vel extrinsecus advenit et reliquae categoriae resultant. Verum accidens relativum extrinsecus adveniens, vel pertinet ad causalitatem, vel ad mensuram, vel ad ordinem. Si primum, vel pertinet ad causalitatem activam, vel ad passivam: in primo habetur *actio,* in altero *passio.* Si secundum, vel pertinet ad quantitatem permanentem, et habetur *ubi,* vel ad quantitatem successivam, et habetur *quando.* Si tertium vel ad ordinem partium spectat, et resultat categoria *situs,* vel ad ordinem totius, et prosilit categoria *habitus.*

Non desunt logici qui quamvis denarium numerum Aristotelis retineant quoad praedicamenta, negant tamen ea realiter ad invicem distingui saltem aliqua praecipue ex ultimis. Verum Doctor *Praed.* q. XI. et II. D. III. q. IV. n. 7. oppositam tuetur sententiam: cujus ratio est quia quodlibet propriam habet definitionem, differentias etc., sicut visum est in prima parte. Non immoramur autem in hoc, quia non multi facimus solutionem hujus quaesiti.

Utilius contra accidit requisita considerare quae necessaria sunt ut aliquid reponi possit in praedicamentis: in his autem versiculis ista continentur:

Ens per se; non mentis opus; cui terminus; atque
Completum, univocum; cujus sit notio simplex.

I[um] Requisitum: debet esse *ens per se,* seu *unum per se,* non vero unum per accidens; quia secundum ad varias categorias pertinere potest, ut patet in hoc exemplo *homo albus.*

II^um *Non mentis opus,* quod est intelligendum de ente rationis absque fundamento in re, de quo vix cura est philosopho.

III^um *Cui terminus,* scilicet debet esse ens *finitum;* quia praedicamenta sunt suprema genera, quae vix unam notam complexus rerum continent; et insuper sunt actuabilia per aliquid quod est extra rationem formalem sui et quasi potentialia ad suas differentias: haec autem omnia non possunt tribui nisi finito. Ex eo facile deducitur Deum non posse reponi in praedicamento. Videas Doctorem I. D. VIII. q. III. n. 16. et Seraphicum I. D. VIII. p. II. q. IV.

IV^um *Completum,* seu perfectum. Tamen partes *reductive* in praedicamento reponuntur ex Doctore q. XIV. et XV. *Praedic.*, v. g. anima, pectus etc. ad substantiam reducuntur.

V^um *Univocum,* quia aequivoca et analoga diversas rationes continent, ex quibus sub varia genera constituuntur, contra primum requisitum.

VI^um *Simplex* in conceptu, seu unum non solum in terminis, sed etiam in idea. In quo pariter nota quod si termini completum aliquid referant, quamvis sint plures, non laedunt hanc legem; v. g. si dicatur *animal rationale.*

ARTICULUS IX.

De praedicamento substantiae et quantitatis.

Hic breviter solum sermo instituitur de primis quatuor praedicamentis, vestigiis insistendo scholasticorum, qui Aristotelem sequuti, ad haec sola coarctarunt tractatum.

SUBSTANTIA vel consideratur *metaphysice,* vel *logice:*

si *metaphysice,* ipsa definitur: *ens quod est in se et per se*: et opponitur accidenti, *quod est in alio.* De his tantum animadvertimus hic quae habet Doctor *Quodl.* III. n. 9. « non inhaerere et non posse inhaerere, nec est ratio substantiae, ut substantia est genus, nec inhaerere est ratio accidentis, vel alicujus generis accidentis; quia inhaerere est dare esse vel actum secundum quid alicui priori simpliciter enti; sed substantia est illud substratum cui convenit non inhaerere, vel cui repugnat inhaerere; et accidens, vel qualitas, vel quantitas, est natura cui convenit inhaerere. »

Si substantia *logice* spectetur, definiri potest: Ens praedicamentale, reale, finitum, completum, per se existens et ineptum inhaerere alteri tamquam in subiecto inhaesionis. Definitio patet ex dictis. Cetera omittimus, quia vel jam alibi dicta, vel dicenda erunt in Metaphysica.

Quid QUANTITAS sit et quomodo in suas species dividatur, visum est in Logica minore: hic quaedam quaestiunculae examinantur; reliqua remittentes ad Cosmologiam.

Disputatur *imprimis* an partitio quantitatis in *continuam* et *discretam* sit partitio *generis in varias species?* non defuerunt enim qui id inficiarentur vel inter scotistas. Ast falso: quia revera esse *continuum* et esse *discretum* duo importat formaliter diversa; quod clarius patet, etiam ex eo quia duae scientiae distinctae de his pertractant, scilicet *algebra* et *geometria.* Ceterum Doctor explicitus est circa quaesitum: « dicendum, scribit q. XVII. n. 2. *Praedic.*, quod quantitas est genus, quia praedicatur de pluribus differentibus specie in quid, ut de quantitate continua et discreta. » Et I. *Paris.* D. XXIV. n. 19. quorundam sen-

tentiam confutans, ait: sententia ipsorum *numerus non est per se species quantitatis:* numerus autem est quantitas discreta.

Altera quaestio inquirit an *oratio* reponi debeat inter species quantitatis? Doctor *Praed.* q. XIX. *affirmat,* tum propter auctoritatem Aristotelis, tum quia syllaba mensuratur prout brevis vel longa est. Esse autem reponendam in *discreta* demonstrat, quia partes ejus ad nullum communem terminum copulantur. « Quaelibet enim syllaba est ab alia divisa, nec actus proferentis, nec significatum eas continuat; quia terminus per se continuans partes quantitatis non est essentialiter extra illos; sed haec duo sunt essentialiter extra partes orationis: similiter haec oratio potest esse ubi significatum non est, ut conjungendo voces non significativas. »

ARTICULUS X.

De praedicamento relationis et qualitatis.

Omnes RELATIONES, ex Doctore q. XXV. n. 3. *Praed.*, habent eumdem modum denominandi substantiam, scilicet in comparatione ad aliud, cum omnes conveniant in genere supremo, cujus ratio est *habitudo ad aliud.* Quaenam est coordinatio hujus praedicamenti, videas in Logica minore.

A Philosopho et a Doctore I. D. XXX. q. II. n. 9. et *Metaph.* V. q. XI. n. 8. *tres* assignantur *modi* relativorum:

Primus sui fundamentum habet in unitate et multitudine, seu in numero, et est realis: cujus species sunt *identitas, diversitas, aequalitas, inaequalitas, similitudo, dissimilitudo.*

Secundus modus, qui item realis est, fundatur in actione et passione; et in eo continentur tamquam species relationes *producentis ad productum, causae et causati, moventis et mobilis.*

Tertius modus fundatur in mensura et mensurabili; et ad hunc reducuntur relationes *intellectus ad intelligibile, scientiae ad scibile,* et ceterae relationes *non mutuae.*

Inter quaestiones quas dignas facimus ut nominentur, sequentes seligimus breviter tractandas.

Quaestio *prima:* an relativa sint simul natura? Pro responsione distinguas cum Doctore *Praed.* q. XXVIII. n. 3. vel agitur *de mutua,* vel *de non mutua:* si *secundum,* termini relationis non requirunt esse simul, cum mutuo non dependeant; v. g. ratio scibilis in objecto potest stare absque intellectu considerante. Si *primum,* termini simul sunt natura, quia relatio in reciprocatione terminorum sita est, quae si desit vel ex parte, eo ipso relatio deest. *Notat* tamen Doctor I. D. XXVIII. q. III. n. 8. non repugnare aliquem terminum alio priorem esse origine, ut patet in actione relationem fundante cum passione, quae prior origine est quam passio ab eadem producta.

Quaestio *secunda:* an in definitione unius relativi necesse sit ponere suum correlativum? *Affirmat* Doctor ibid. *Praed. Ratio* est, quia definitio indicat definiti essentiam: atqui essentia relativorum est in comparatione ad aliud: ergo etc. Hoc autem non solum est tenendum de mutua, sed etiam de non mutua, quia eadem est ratio definitionis.

Quaestio *tertia:* An recta sit divisio tradita a Philosopho in relationem *secundum esse* et in relationem *secundum dici;* seu in relationem vere fundatam in extremis saltem alterutro et in relationem quae complectitur ab-

soluta, quae tamen a nobis concipiuntur cum relatione; v. g. habitus per ordinem ad actum et objectum, praedicatum ad subjectum etc. Doctor ibid. q. XXVI. hanc divisionem reprehendit, quia relatio *secundum dici* non est relatio fundata, sed simplex opus rationis.

Qualitas definitur, *accidens absolutum, qualificativum subjecti quod afficit:* dicitur *absolutum* ut qualitas a relatione distinguatur: dicitur *qualificativum,* idest modificans per se et constituens subjectum in quo est, *quale;* v. g. album, dulce etc. Etsi omne accidens, pertinens ideo et ad alia praedicamenta, natura sua habeat modificari subjectum inhaesionis, non tamen eo modo quo qualitas: caetera enim vel reddunt subjectum *quantum,* vel si qualificant, solum mediate id praestant; v. g. prius in relatione, in actione, in passione, in ubi, in quando, in situ et habitu subjectum constituunt; ex quo consequitur modificatio quaedam: contra qualitas immediate in subjecto producit *quale.*

Hujus praedicamenti *quatuor* assignantur a Philosopho *species,* quemadmodum explicatum est in Logica minore: scilicet *habitus et dispositio, potentia et impotentia, passio et passibilis qualitas, forma et figura.*

Inquiritur an recte hae assignentur? *Negat* Doctor IV. D. VI. q. X. n. 14. et *Praedic.* q. XXXVI. *Ratio,* quia deest in eis ordinatio, quae invenitur in aliis praedicamentis: item deest eis differentia essentialis; nam esse a natura, vel labore comparari, esse in superficie, vel in corpore etc. non praesefert tantam differentiam quanta requiritur ad speciem. *Dicendum est ergo* a Philosopho potius assignari *modos* quibus subjectum varie a qualitate afficitur. « Est autem differentia inter speciem et modum, quia species

super illud, cujus est, addit differentiam essentialem, modus differentiam accidentalem; et ita licet isti modi dicant diversam habitudinem qualitatis ad subjectum, per hoc quod est esse permanens, vel non, esse a natura vel non, esse sensibile vel non; quae tamen omnia non variant qualitatem essentialiter, quia omnes istae habitudines, vel plures possunt esse in eadem qualitate secundum essentiam.» (*Praed.* ib. n. 3.); v. g. pallor potest esse etiam per modum *habitus* in facie. Imo IV. D. XII. q. IV. n. 19. Doctor aufert a genere qualitatis figuram eam reponens in quantitate fundante relationem partium ad se invicem.

Si *quaeratur* an possibile sit ordinare et dividere *hoc praedicamentum in species*, respondet Doctor ibid. *Praed.* n. 15. *id esse nimis difficile* et solum dari posse quamdam quasi ordinationem per accidentales differentias, sic: dispositio quae ex qualitate profluit, alia est exterior, alia interior: exterior, aut est non primo sensibilis et habetur figura et forma, seu quarta species aristotelica; aut est primo sensibilis, et sic habetur passio et passibilis qualitas, seu tertia species etc. Si dispositio est interior, aut est innatum principium operandi, et sic obtinet potentia et impotentia, seu secunda species; aut principium non est innatum, et sic obtinet prima species, idest habitus et dispositio.

ARTICULUS XI.

De post-praedicamentis.

Quinque a Philosopho assignantur POST-PRAEDICAMENTA, scilicet oppositio, modus prioritatis et simultatis, motus et modus habendi.

I. Oppositio, de qua in praesenti, non est *composita*, qualem vidimus interesse inter propositiones; sed *simplex*, quae invenitur inter terminos et notiones. Hoc sensu accepta ipsa definitur: *repugnantia duorum sese mutuo ab eodem subjecto excludentium;* v. g. calor et frigus etc.

Hujus *quatuor species* habentur, idest *contrarietatis*, *contradictionis*, *privationis* et *relationis*.

Oppositio contraria est repugnantia duarum formarum absolutarum sese excludentium ab eodem subjecto; v. g. frigus et calor, album et nigrum etc. Vide VIII. *Metaph.* q. III. n. 3.

Oppositio contradictoria est repugnantia duorum secundum esse et non esse; v. g. ens et nihilum, *est* et *non est*. Differentia hujus a contraria patet, quia prima duo entia complectitur, haec autem ens unum cum absoluta sui negatione.

« *Privatio* est negatio in apto nato » (III. D. II. q. III. n. 8.), seu est carentia formae in subjecto quod aptum natum est habere (*Praed.* XLI. n. 2.), v. g. caecitas in homine. Hinc intelligitur *oppositio privationis*, v. g. inter visum et caecitatem. Differentia hujus a contradictoria constat, quia pugna contradictionis est inter ens et nihilum universaliter, in privatione vero inter ens et non ens natum aptum inesse. *Tripliciter* privatio ex Doctore (I. D. XXVIII. q. II. n. 3.) sumitur: *primo* pro privatione *proprie dicta*, puta, quando aliquid caret eo quod natum est habere et *quando* et *ut* oportet etc.; v. g. carentia visionis in homine adulto: *secundo* pro privatione *communiter dicta*, quando scilicet aliquid caret illo quod natum est habere, non tamen eo tempore et eo modo; v. g. carentia visionis in puero vix nato, vel in homine brevi tempore oculis la-

borante: *tertio* pro privatione latissime *dicta*, idest quando aliquid caret eo quod natum est habere solum secundum genus, non vero secundum se; v. g. carentia visionis (ut dicitur) in talpa, quae exigit videre solum ratione animalitatis, non tamen ratione suae speciei.

Oppositio relativa est pugnantia extremorum quae relationem constituunt; v. g. inter patrem et filium: haec minima omnium est, ut patet.

Quod autem divisio sit conveniens, sic demonstratur: oppositio vel est entis ad ens, vel entis ad non ens: primum vel duo complectitur quorum esse est ad aliud, vel non sic dependent: in primo habetur oppositio relativa, in altero contraria. Secundum item aut habet pro extremo *non ens* quod nullum subjectum sibi determinat et habetur contradictio; vel *non ens* subjectum sibi determinans et obtinet privatio: his autem non videtur esse medium: ideoque convenienter divisio oppositionis tradita est. *Praed.* q. XXXVIII, n. 6.

II. Modus prioritatis repositus est in eo quod unum est prius altero: dicitur autem prius quod est principio propinquius (*Praed.* q. XLIII.). Numerus modorum exprimitur his versiculis:

Tempore, natura, prius ordine dic et honore
Et causa effectu dicitur esse prior.

Prius tempore dicitur quod aliud tempore praecedit; v. g. pater relate ad filium.

Prius alio *natura* est quod alteri praecedit, et tamen sine ipso existere non potest; v. g. rationalitas et animalitas priores sunt natura risibilitate ab ipsis necessario procedente.

Prius ordine dicitur illud quod inter procedentia ordinatim est in priori loco; v. g. praemissae syllogismi relate ad conclusionem, exordium ad perorationem.

Honore prius est quod alteri praecedit honore; v. g. rex ministris sic dicitur prior.

Prioritas causalitatis tunc est quando ab uno quod dicitur prius, procedit tamquam a causa aliud; v. g. ignis prior causa est calore.

Quae de prioritate diximus, etiam (tamen ratione inversa) dicenda sunt de POSTERIORITATE; quia contrariorum eadem est scientia.

Observat tamen Doctor quod « hic non ponuntur *omnes modi* prioris, sed quantum sufficit ad propositum: sed forte solus secundus modus qui est in consequendo (natura) est hic ad propositum; secundum quem modum genus dicitur prius specie in unoquoque praedicamento; et forte quintus, qui est in causando; quia substantia est causa omnium accidentium. Alii tres modi, qui sunt tempore et ordine et honore, ponuntur non ut principaliter intenti, sed ut per illos manifestentur modi principaliter intenti » (ibid. n. 3.).

III. MODUS SIMULTATIS situs est in eo quod plura sunt simul: quod tripliciter accidit:

Tempore dico simul, quorum generatio nunc est,
Quae convertuntur dicimus esse simul,
Suntque simul species genus unum distribuentes.

Idest *tempore* sunt simul quorum existentia simul est; v. g. Jacob et Esau eodem tempore nati. Sunt simul *natura* ea quae convertibiliter dicuntur in ratione essendi; v. g. pater et filius sub relatione positi. Sunt tandem

simul *divisione* duae species idem genus distribuentes; v. g. rationalitas et irrationalitas relate ad animal.

IV. Motus enumerantur *sex species*, quae sunt, generatio, corruptio, accretio, diminutio, alteratio et mutatio loci. *Generatio* est motus a non esse substantiali ad esse substantiale; v. g. a non esse hominis ad esse hominis. *Corruptio* est motus ab esse substantiali ad simile non esse; v. g. ab esse equi ad non esse. *Accretio* est motus a minori quantitate ad majorem; *diminutio* contra accidit. *Alteratio* est motus in qualitatibus; v. g. a frigiditate ad calorem. *Loci mutatio* est transitus a loco in locum. Vide *Praed.* q. XLIV.

V. Modi se habendi sunt *octo,* scilicet: 1° habere qualitatem, v. g. scientiam, calorem, etc.; 2° habere quantitatem, v. g. esse altum, brevem etc.; 3° habere vestitum, v. g. esse loricatum; 4° habere ornamentum, v. g. annulum, inaures etc.; 5° habere partes, v. g. manus, pedes etc.; 6° habere aliud tamquam contentum in continente; v. g. hydia aquam continens; 7° habere pro possidere, v. g. habere agrum etc.; 8° habere societatem, v. g. vir et uxor etc. De his nota cum Doctore quod superius animadversum est de modis prioritatis, scilicet hos esse solos famosiores (ibid. n. 7.).

CAPUT II.

De signis.

Signa ordinantur ad extrinsecus exprimendas internas mentis notiones. De his igitur aliquid hic est addendum.

ARTICULUS I.

De signo in genere.

Signum a S. Augustino (l. 2. *de Doctr. Chr.*) et a Doctore (IV. D. VI. q. X. n. 5.) definitur: *id quod praeter speciem quam ingerit sensibus, aliud facit in cognitionem venire;* v. g. sonus campanae advocantis fideles, fumus relate ad ignem. In signo occurrunt, 1° signum ipsum, quod est in eo materiale, non vero formale; ut in exemplo *fumus:* 2° res significata; v. g. ignis: 3° relatio primi ad alterum, quod signum constituit formaliter in suo esse: quae relatio vel realis, vel logica appellatur, prout signum vel reale, vel arbitrarium est.

Signum *multipliciter dividitur:* (fere omnes subsequentes divisiones desumuntur ex *Paris.* IV. D. I. q. II. n. 3.).

I. In formale et instrumentale. *Formale* dicitur quod absque praevia sui cognitione ducit in cognitionem rei significatae per ipsum: taliter sunt signa species sensiles et intelligibiles quae inserviunt cognitioni, ut in psychologia videbimus. Dicitur *instrumentale* quod prius notitiam sui praebet et inde rei significatae; v. g. haedera signum vini vendibilis.

II. In *naturale* et *artificiale:* primum dicitur quando naturaliter refert rem, cujus est signum; v. g. fumus relate ad ignem, gemitus relate ad dolorem: et hoc similiter obtinet apud omnes et semper: alterum dicitur quando refert solum ex instituto hominum, ut patet in vocibus et in exemplo haederae superius allato.

III. In *reale* et *personale:* primum repraesentat rem, alterum personam, v. g. statua, vel legatus relate ad principem a quo mittitur.

IV. In *practicum* et *speculativum:* dicitur practicum quod rem facit quam repraesentat; v. g. sacramenta Ecclesiae, quae non solum repraesentant, sed etiam gratiam conferunt: dicitur speculativum quod rem simpliciter refert.

V. In *rememorativum, prognosticum* et *demonstrativum:* est rememorativum si refert praeteritum; v. g. monumenta: est prognosticum si refert futurum; v. g. signa in coelo praecedentia pluviam vel serenitatem: est demonstrativum si praesens repraesentat.

Quoniam inter artificialia *scriptura* et *voces* primum locum obtinent, de his particulariter agere ratio operis expostulat.

ARTICULUS II.

De vocibus et scriptura.

Vox alia est *articulata,* alia *non articulata:* prima dicitur quae ministerio linguae, gutturis, dentium et labiorum profertur; si solus habeatur sonus gutture prolatus *inarticulata* dicitur; v. g. gemitus columbae. *Vox primo modo* considerata definitur: sonus ore animalis prolatus cum intentione aliquid significandi: quod formale est in voce, ultimis verbis exprimitur, scilicet, intentione significandi aliquid; cetera materialia sunt et loco quasi generis. Hinc, v. g. si psittacus unam vel alteram vocem proferat, cum his desit intentio significandi, non proprie, sed solum materialiter voces dicendae sunt.

Vox a *gestu* distinguitur; quia etsi utriusque sit aliquid significare, tamen non profertur uterque ore.

Scriptura est modus manifestandi et transmittendi

per signa permanentia ordinarie alphabetica notitias posteris, vel absentibus: distinguitur a modis aliis quibus ex industria hominum permittuntur facta historica transmitti; v. g. pictura, monumentis etc., quia haec dici nequeunt alphabetica, ut patet. Aliud est de scriptura stenographica, telegraphica, per numeros, etc.

De his variae inter logicos exagitantur quaestiones. *Prima* quaerit an voces et scriptura significent ad placitum? idest an naturaliter, vel ex institutione hominum? *Responsio* non difficulter praebetur, cum facile quisque videat nonnisi ex voluntaria hominum determinatione voces aliquid determinatum significare posse. Neque enim statim ac vox aliqua audita est, in illius notitiam pervenitur, sed praerequiritur et notio rei et notio nominis impositi ad rem illam significandam. Videas I. *Perih.* q. IV. et II. D. XLII. q. IV. n. 17. Idem fere in omnibus dicendum de scriptura, monumentis etc.

Nulla inter sanae mentis viros quoad praecedentia dubitatio et sententia diversa invenitur: non est tamen concordantia quoad modum significandi, scilicet, an signa praememorata immediate referant conceptus et mediate rem, vel viceversa; utrumque enim ipsa significare manifestum est. Resolutio unica responsione praeberi non potest; varias ideo propositiones ponimus, ex quibus res manifesta evadet.

Prop. I. SCRIPTURA PRIMO VOCES SCRIBENTIS, SECUNDARIO INTENTIONES, SEU RES CONCEPTAS EXPRIMIT. Est Doctoris *Perih.* op. sec. q. I. n. 9., cui omnes concordant.

Prob. Illud primo signum exprimit, ad quod primo ordinatur: atqui scriptura est ordinata primo ad vices vocum supplendas: ergo voces primo exprimit. Cum

autem voces sint manifestativae rei conceptae, secundario scriptura res refert. *Probatur etiam* propositio ex eo quod, si quis pro signis scriptis ab auctore synonimis uteretur, v. g. ense pro gladio, etsi idem exprimeret, non tamen diceretur legere scripturam illius; quod sane non foret in sensu opposito propositionis.

Prop. II. VOCES IN SE CONSIDERATAE PRIMO REFERUNT RES. Est Doctoris I. D. XXVII. q. III. n. 19. ubi scribit: « Licet magna altercatio fiat de voce, utrum sit signum rei, vel conceptus; tamen breviter concedendo quod illud quod significatur per vocem proprie est res etc. » quam sententiam I. *Perih.* q. II. in fine magis conformem rationi appellat quam opposita, cui majorem probabilitatem tribuit ratione solius auctoritatis.

Prob. Per fere idem principium superius allatum; scilicet illud primo significatur per voces, cujus primo intellectus constituitur: sed prolata voce, non constituitur intellectus speciei, vel conceptus, sed rei: ergo voces primo rem referunt. *Item,* si vox primo non significaret rem, sed conceptus, quoniam hic est aliquod accidens, vox quaelibet primo, ideoque ex natura sua, significaret accidens: hoc autem videtur absurdum, cum de se vox indifferenter se habeat tum ad accidens, tum ad substantiam. Ergo etc. *Praeterea* in opposita sententia fere omnis propositio falsa evaderet; nam vox in oratione ponitur pro suo significato: eapropter, posita opinione nostrae contraria, haec propositio *homo est animal* non significaret primo *hominem* et *animal* in se, sed *conceptum* hominis et animalis: hoc autem longe est a ratione; ergo etc. *Tandem* cum aliquis mendaciter loquitur, non mutatur sensus vocum, sed idem exprimunt ac si verax sermo

foret: cum ergo in casu conceptum loquentis non referant, dicendum est ipsas significare primo rem; quia nihil potest esse absque eo quod primo requiritur ad suam formalem rationem.

Si quaestio ultima non absolute et in se respiciat voces, sed relative, *dicimus* 1° relate *ad proferentes* ipsas primo conceptum referre; 2° relate vero *ad audientes* ipsas primo referre rem. *Ratio primi* est, quia proferentes primo intendunt manifestare conceptus: sic magister intendens demonstrare aliquid discipulis, nititur eos dirigere secundum id quod intelligit et secundum ordinem et modum quo conceptus rei in ipso magistro explicantur. *Contra* discipulus audiens intendit rem seu materiam de qua est sermo, et ei res primo profertur; quae est ratio secundi. Vox ergo relative considerata, relate ad proferentes primo conceptum, relate vero ad audientes primo rem exprimit.

Neque primo officit mendacium, in quo loquens primo non intendit conceptus suos, quos imo occultat: quia id accidit contra finem praecipuum sermonis; et nos loquimur de sermone prout natura ordinatur; vel non agimus de abusu sermonis, sed de ejusdem *naturali* usu.

Altera quaestio de vocibus sic exprimitur: an facta transmutatione in re significata per vocem, fiat transmutatio et in significatione vocis? v. g. si brutum destrueretur, ita ut nullum illius speciei amplius individuum extaret, variaturne significatum vocis *brutum?*

Responsio Doctoris est negativa (I. *Perih.* q. III.). *Ratio,* quia res non significatur prout existit, sed absolute in sui natura, prout est mente concepta; quo modo manet etiam re physice destructa.

CAPUT III.

De propositione.

Quemadmodum superius (Cap. I.) quaedam specialia addidimus de notionibus praeter dicta in Logica minori, ita hic agemus relate ad propositionem.

ARTICULUS I.

De propositione, ejusque elementis.

Propositio est oratio affirmativa, vel negativa alicujus de aliquo; quae logice considerata dicitur quoque *praedicatio* a *praedicando,* quemadmodum attributum a logicis in praedicatum convertitur et in *passionem* a metaphysicis: tamen proprius passio solum ad attributa necessaria coarctatur.

Dupliciter propositio dividitur, idest, in propositionem *per se notam* et in propositionem *non per se notam.* Dicitur « propositio per se nota quae ex terminis propriis, qui sunt aliquid ejus, ut sunt ejus, habet veritatem evidentem; et non propter aliquid aliud quod sit extra terminos proprios habet evidentiam, sed ex se tantum; ut totum est majus sua parte » (I. D. II. q. II. n. 2.), vel ea est quae ex sola terminorum notitia evidens efficitur: si autem aliunde evidentiam habet, non nota per se dicitur.

Notamus nostratibus non esse necessariam subdivisionem propositionis notae per se, in notam taliter *in se,* et in notam *quoad nos,* quae inducta est a thomistis: quia id est accidentale et extraneum propositioni, scilicet apprehendi et non apprehendi.

Si propositio sub respectu *praedicationis* inspiciatur, dupliciter adhuc dividitur; idest in praedicationem *formalem* et *non formalem*. Primae notio sic a Doctore VII. *Metaph.* q. IV. n. 3. traditur: « formalis praedicatio est ubi subjecto ex suo intellectu inest praedicatum, circumscripta a subjecto omni habitudine ad causam extrinsecam, quae non est de quidditate ejus: » secus ideo *non erit formalis.* Prima complectitur quidquid necessarium invenitur in re; quod vel mediate, vel immediate videtur ab essentia profluere: altera quidquid de re sciri potest per principia rei extrinseca.

Recolligendo ergo dicimus *propositionem per se notam* et *praedicationem formalem* re convenire et solum accidentaliter differre: item propositionem non notam per se et praedicationem non formalem in summa identificari.

De propositionis *natura* inquiri potest, *an sit ens rationis?* Pro quo *nota* a nobis non inquiri de materia subjecta propositioni, quia sub eo respectu cuique patet ipsam variare pro varietate materiae; et aliquando esse de ente reali, et aliquando de ente rationis: agimus autem de propositione *in se,* ut est operatio mentis dividentis et componentis.

Dicimus cum Doctore I. *Perih.* q. I. ipsam *esse ens rationis, cum fundamento tamen in re.* Probatur *prima pars.* Tale est compositum, quales sunt partes: sed partes propositionis sunt ens rationis, scilicet *subjectum* et *praedicatum,* quorum existentia, ut sic, in sola ratione fundatur: ergo etc. *Secunda pars* constat tum ex eo quia logica est de ente fundato; tum quia propositio semper est de aliquo.

Elementa propositionis sunt subjectum et praedi-

catum cum copula: de quibus duo a nobis inquiruntur: primum, ***an cum tertium adjacens est in propositione,*** v. g. Deus est amabilis, ***copula sit pars praedicati,*** sicut in propositione de secundo adjacente; v. g. Deus diligit? vel ***simpliciter sit copula unionis,*** ideoque extra rationem illius? Doctor *Perih.* op. sec. q. VI. n. 10. sic respondet: Verbum *est* quando praedicat tertium adjacens nec est subjectum, nec pars subjecti, nec praedicatum, nec pars praedicati; sed simpliciter indicat inhaerentiam praedicati in subjecto, vel, ut loquitur Doctor, tantum denotat praedicatum esse idem subjecto actualiter: ab utroque ergo aliquo modo distinguitur, quemadmodum distinguitur copulans et copulatum; aliter idem simul esset et non esset.

Alterum quod inquiri potest de elementis propositionum respicit unitatem vel multiplicitatem quae ab his enuntiationi tribuitur. ***Praenota*** tamen quod habet Doctor II. *Perih.* q. IX. n. 4.: quemadmodum enim in natura quaedam sunt unum simpliciter et quaedam simpliciter multiplex et quaedam secundum quid, sic et in propositionibus; unde haec est simpliciter una, *homo est animal,* in qua simplex praedicatum enunciatur de simplici subjecto; haec autem *homo albus currit* non est una simpliciter, sicut prior, quia in ea etiam albedo enunciatur de subjecto; quod in prima non accidit: tamen est una quia in ea non multiplicatur subjectum vel praedicatum.

Verum estne idem dicendum de propositione *homo albus est homo musicus?* Ante responsionem animadverte cum eodem ibidem n. 8. adjectivum appositum sive subjecto, sive praedicato esse relate ad ea sicut actum ad potentiam, quae ab actu perficitur: et quamvis unum non sit alterum, tamen ad unum constituendum ordinantur.

Jam vero id non potest inferre multiplicitatem: cum ergo adjectivum appositum subjecto et praedicato praefatae propositionis sit per modum actus relate ad potentiam, unicam constituet propositionem, etsi non simpliciter unam. « Ens... intellectum inter adjectivum et substantivum non designat aliquod esse vel non esse, sicut compositio affirmativae et negativae, sed designat conformitatem quamdam inter adjectivum et substantivum, secundum quod hoc habet rationem disponibilis et illud rationem disponentis; unde magis est modus intelligendi, quam verbalis copula significans aliquid esse. »

Idem non est dicendum de propositione *homo, qui est albus, currit;* quia in hac duae sunt copulae formales, *est* et *currit*, seu *est* currens: item duo ibi inveniuntur subjecta, *homo* et *qui;* quorum secundum, quamvis ad primum referatur, tamen non sunt per modum perfectibilis et perficientis, ut in superiori: tandem duo ibi sunt praedicata, *albus* et *currens* (ibi n. 10.).

ARTICULUS II.

De propositione relate ad veritatem.

VERITAS definitur *adaequatio rei et intellectus;* seu tunc cognitio dicitur vera quando res cognoscitur prout est in se; secus dicitur falsa. De veritate in ordine ad nostrae mentis operationem praeprimis quaeri potest: *an ipsi semper insit?* Quaerimus autem hic et de prima, et de tertia, licet sermo habeatur de sola secunda intellectus operatione; et id ne pluries de eodem vel fere eodem sit tractatus.

Quoad *primam* distinguenda est notio *simpliciter sim-*

plex a notione *composita;* itemque veritas *formalis* a veritate *non formali;* prima est quando res reflexive cognoscitur ut vera; altera consistit in pura apprehensione rei quin consideretur ejus adaequatio ad rem. Quid autem sit tenendum de praefata materia, ex propositionibus sequentibus patebit.

Prop. I. IN NOTIONE SIMPLICITER SIMPLICI SEMPER INVENITUR VERITAS: IN NON SIMPLICITER SIMPLICI ET IN COMPOSITA TUM VERITAS, TUM FALSITAS INVENIRI POTEST, PER ACCIDENS TAMEN ET VIRTUALITER: NON POTEST VERO INVENIRI VERITAS VEL FALSITAS FORMALIS. Est Doctoris I. D. III. q. III. n. 12. et VI. *Metaph.* q. III. n.° 6.

Prob. I. pars. Notio *simplex* acquiritur per abstractionem a rebus; quae solum, re praesente, efficitur: et comparatur visioni sensitivae, vel sensationi causatae ab objecto praesenti et a virtute coagente: atqui in sensu quoad objectum proprium semper est veritas: ergo et in simplici notione.

Prob. II. pars. Notio *composita*, vel non simpliciter simplex, plures notas complectitur per modum quasi propositionis; v: g. homo albus, vel homo resolubilis in animal et rationale: in casu mens potest in unione duorum, aut in resolutione unius, vel male connectere partes, vel partes resolvere non recte, et sic in deceptionem incidere. Non tamen semper sic fallitur: ergo in secundo casu tum veritas, tum falsitas operationi mentis nostrae inesse potest. *Dictum est* autem id esse *per accidens*, quia mens de se ad verum inducitur: item dictum est *virtualiter*, non vero *formaliter*, ut statim patebit.

Prob. III. pars. Ad habendam falsitatem vel veritatem formalem requiritur *reflexio* et *comparatio* notionis

cum re, et *affirmatio,* vel *negatio* convenientiae earum: atqui hic actus vere est compositus, nec in ambitu simplicitatis, sive per se, sive per accidens talis, continetur: ergo in prima mentis operatione numquam veritas vel falsitas formalis invenitur.

Prop. II. IN SECUNDA ET TERTIA MENTIS OPERATIONE TUM VERITAS, TUM FALSITAS FORMALIS INVENIRI POTEST. Est Doctoris ibidem.

Prob. Veritas hujus ita manifeste apparet, ut solida demonstratione non indigeat: frequenter enim errore decipimur dum judicia et ratiocinia conficimus; et tenebris ignorantiae nostrae circumvoluti falsitate vincimur et impedimur quominus ad veritatem assequendam perveniamus. Quod autem saepius his operationibus etiam veritas acquiratur efficaciter, nonnisi a sceptico in dubium revocari potest. Media via igitur progredientes tuti incedemus.

Coronidis gratia *animadvertimus* quod licet veritas tum in affirmante, tum in negante propositione inveniatur, tamen veritas negativae est posterior affirmativae veritati: quod a Doctore I. *Post* q. XXI. n. 3. ostenditur tum ex parte vocis, tum ex parte rei, tum ex parte intellectus. Ex parte quidem *vocis:* quia affirmans est simplicior negante, quae etiam negationem superadditam continet: quod autem est simplicius, est etiam prius: ergo etc. Ex parte etiam *rei:* quia esse est prius non esse *natura;* atqui esse significatur per affirmationem, non esse autem per negationem: ergo affirmatio prior est negatione. Ex parte tandem *intellectus:* quia habitus cognoscibiliter est prior privatione; privatio enim non intelligitur nisi quia ejus habitus praecessit; atqui privatio est negatio affir-

mationis: ergo ex parte etiam intellectus affirmatio prior est etc.

Altera quaestio quae exagitatur circa propositionis veritatem, futurum respicit et sic exponi potest: an duarum propositionum contradictoriarum de futuro contingenti, una sit determinate vera, altera vero determinate falsa, vel viceversa? An, v. g. istarum propositionum *Petrus morietur die crastina, Petrus non morietur die crastina,* nunc una sit vera et altera determinate falsa.

Nota dictum esse de *contingenti,* non vero de necessario, quia de secundo nullum inter philosophos dubium extat; certum est enim hanc esse absolute et determinate veram, *Deus non peccabit in aeternum,* et hanc esse determinate falsam, *Deus peccabit aliquando.* Item nota dici de *futuro,* quia de praeterito patet et similiter de praesenti. Additum est quoque *determinate,* idest hanc vel illam signatam; quia alterutram indeterminate veram esse omnino conceditur.

Tandem *animadverte* non ita intelligendam esse quaestionem, quasi res, de qua propositio, actu sic determinate se habeat, sed quod actu dicitur res aliquando sic determinate futura; vel actu dicitur vera una pars contradictionis, non vero res contradictioni subjecta: quemadmodum nunc est vera propositio de praeterito, licet res, de qua est, non sit amplius.

Thomistae negant: Doctor e contra I. D. XXXIX. n. 26. et alibi cum suis affirmat.

Prop. DUARUM PROPOSITIONUM CONTRADICTORIARUM DE FUTURO CONTINGENTI, UNA EST DETERMINATE VERA, ALTERA FALSA. Est Doctoris ibi.

Prob. Indicare aliquid determinate futurum reddit pro-

positionem determinate veram: atqui duarum propositionum de futuro contingenti una determinate indicat futurum; cum enim idem non possit simul esse et non esse, non est eventura nisi una pars contradictionis; v. g. Petrus cras vel morietur, vel non: medium non datur: si morietur, vera nunc est prima pars; secus vera est altera pars contradictionis. *Item* duarum propositionum ut supra Deus actu infallibiliter scit quaenam determinate eventura sit: hoc autem includit veritatem: ergo una pars est determinate vera.

Objicit. Futurum contingens indifferens est ad esse et non esse: ergo nequit determinari quaenam pars contradictionis sit habitura esse.

Resp. Neg. consequentia: quia licet futurum ex parte rei contingenter accidat, tamen ex parte principii contradictorii huic conditioni necessario subest *vel erit vel non,* et id *determinate.* Neque per hoc aufertur rerum contingentia, quia res evenient secundum exigentiam suae naturae; scilicet, si necessariae necessario, si contingentes contingenter. Reliquae difficultates desumuntur a praescientia divina; ideoque pro solutione remittimus ad Theologiam.

Nota. Veritas propositionis contingentis de praesenti, pro eodem tempore evadit falsa si res destruatur; manet tamen vera pro praeterito.

CAPUT IV.

De ratiocinio et syllogismo in se inspectis.

In praesenti Capite quaedam pertractantur ratiocinium vel syllogismum respicientia, sive in sui forma, sive in suis elementis, sive in se, sive relate ad intellectum, quemadmodum actum est in superiori Capite de propositione.

ARTICULUS I.

De natura ratiocinationis et syllogismi.

Ratiocinatio in genere definiri potest: *oratio manifestativa ignoti per illationem propositionis minus notae ex alia vel pluribus notioribus:* prima verba *oratio manifestativa ignoti* genus conficiunt; caetera differentiam specificam: quia in eo differunt alii sciendi modi a ratiocinio, quod illi immediate convenientiam praedicati et subjecti demonstrant, hoc autem mediate.

In argumentatione (1) *tria* de necessitate inveniuntur, 1um saltem una propositio notior, ex qua alia minus nota deduci possit; et id ex ipsa natura hujus modi sciendi: 2um actualis illatio, vel deductio minus notae: 3um nota illationis sive explicita, sive implicita, cum manifesta deductionis ratione; quia secus, in primo illatio sumeretur quatenus enuntiatio simpliciter extra argumentationem; in secundo, ratiocinium deficeret a sua ratione formali, quae est in demonstrando unum per alterum.

(1) Quot modis argumentum sumatur, videas penes Seraphicum III. D. XXIII. a. I. q. V.

De divisione argumentationis videas in Logica min. C. III. art. VII. et VIII., ubi etiam ab articulo primo multa de syllogismo dicta habentur. Examinanda supersunt quaedam ad hujus elucidationem opportuna: et imprimis inquiritur:

An de syllogismo simpliciter sit scientia? Ratio hujus dubitationis est, quia scientia syllogismo acquiritur: quomodo ergo scientificus est tractatus de eo qui adhuc ignoratur?

Ad quaesiti solutionem nota 1. cum Doctore I. *Prior.* q. I. n. 3. non inquiri de syllogismo in specie, sed generice et universaliter; quod innuitur per illud *simpliciter:* 2. Syllogismum considerari posse vel prout est artificialis, idest, secundum regulas a logicis traditas confectus, vel prout est naturalis, idest, ut efficitur a mente solis naturae viribus absque arte. Quibus positis, sit:

Prop. DE SYLLOGISMO SIMPLICITER EST SCIENTIA. Est Doctoris ibi n. 8.

Prob. Scientia de aliquo habetur cum cognoscitur per suas causas: atqui in tractatu syllogistico notitia datur per causas, seu deducendo ex natura intrinseca syllogismi: ergo de eo simpliciter est scientia. Minor ex dictis in Logica minori satis constat.

Difficultas apposita in principio articuli, facile per secundum praenotandum solvitur; nos, idest, scientiam syllogismi artificialis acquirere per syllogismum naturalem.

Secundo quaeritur: *an syllogismus peccans in forma, vel in materia sit syllogismus? Nota:* tunc dicitur syllogismus *peccare in forma* quando efficitur contra leges sive generales, sive particulares ipsius naturam intrinsecam moderantes: dicitur *peccare in materia* quando id,

de quo est syllogismus, falsitate laborat; v. g. si deducatur illatio ex hac praemissa *omnis homo est lapis.* Resolutio quaesiti in sequenti propositione continetur.

Prop. SYLLOGISMUS PECCANS IN FORMA NON EST VERE SYLLOGISMUS; PECCANS AUTEM IN SOLA MATERIA VERE SYLLOGISMUS EST. Prima pars est Doctoris q. VII. *Elench.* Secunda pars est ejusdem ibi q. IV.

Prob. I. pars. Deficere in forma est deficere in natura quoad logicalia: atqui quod caret natura, non potest pertinere ad illam, ut patet: ergo syllogismus peccans in forma non est vere syllogismus. Quoniam autem quamdam syllogismi speciem praesefert, ideo *paralogismus* dicitur, seu apparens syllogismus.

Prob. II. pars, ex eo quod non est de ratione syllogismi procedere sive ex veris, sive ex necessariis, sive ex contingentibus etc. etc.; haec enim non syllogismum, sed res respiciunt, quarum quaedam sunt necessariae, quaedam probabiles etc.: syllogismus autem non est res, sed ens rationis, praescindens ideo a materia. Optima pro hoc a Doctore affertur comparatio de circulo: quemadmodum enim hic est indifferens ad esse in ligno, vel in aere, vel alia quacumque materia, ita syllogismus de se indifferens est ad materiam sive necessariam, sive contingentem, sive etiam falsam; et manet semper talis cum suis affectionibus, principiis etc. *Ratio* sic colligi potest: quod in se continet principia sui essentialia, manet idem, etsi privetur aliquo sibi extrinseco: atqui talis est syllogismus peccans tantum in materia: ergo etc.

Object. Syllogismus parere debet veritatem. Atqui peccans in materia non parit veritatem: ergo non est syllogismus.

Resp. Dist. maj. quantum est ex parte sui conc. si ei subjiciatur materia falsa neg.: contradistincta minori, neg. cons.

Tertio quaeritur: *an conclusio sit pars syllogismi?* Affirmative. *Ratio,* quia syllogismus est quedam habitudo conclusionem inferens tamquam consequens ex praemissis: neque ipsius est considerare convenientiam extremorum cum medio, sed ex convenientia horum cum medio comperta in antecedenti, deducere convenientiam extremorum ad invicem. Videas *Elench.* q. XLV. n. 2.

ARTICULUS II.

De syllogismo in ordine ad intellectum.

Duo de syllogismo in ordine ad intellectum inquiruntur: primum: *an intellectus diverso actu assentiatur praemissis et conclusioni, vel eodem?* secundum: *an intellectus necessario assentiatur conclusioni, praestito jam assensu praemissis?*

Ad *prioris* solutionem *notare* juvat praemissas ex Doctore *Prol.* q. III. n. 27. et I. *Poster.* q. I. n. 3. conclusione priores esse: tum quia praemissae sunt per modum causae relate ad conclusionem; et causa prior est effectu; tum quia conclusio dependet a praemissis: quod autem ab alio dependet, et distinguitur ab eo, ab eo quoque praeceditur: ergo etc. *Item nota* distinguendas esse praemissas et conclusionem in se etiam bene dispositas, a forma intrinseca, vel consequentia syllogismi: ex quo duplex sensus quaesito accidit; idest, an diverso actu videatur veritas praemissarum et conclusionis? vel, an diverso actu videatur consequentia, ejusque veritas? Resolutio in sequenti propositione habetur.

Prop. INTELLECTUS DIVERSO ACTU VIDET VERITATEM PRAEMISSARUM ET CONCLUSIONIS; EODEM VERO CONSEQUENTIAE. Prima pars est Doctoris ubi supra et q. VIII.; secunda pars est ejusdem I. *Post.* q. VIII. et IX.

Prob. I. pars. Cognitio nostra intellectiva ab imperfecto et magis universali progreditur ad perfectum et minus universale: ideo non immediate omnia videt, sed mediante discursu: atqui cognitio universalis et imperfecti est alia a cognitione particularis et perfecti: ergo et praemissarum et conclusionis. *Item* distinguitur cognitio causae et cognitio effectus: atqui, ut diximus, praemissae sunt per modum causae et conclusio per modum effectus: ergo earum cognitio est alia et alia.

Prob. II. pars. Etsi causa et effectus divisim considerati ut entia non inferantur ad invicem, tamen si in formali ratione causalitatis inspiciantur, unum infert alterum; quia causa dicitur quae habet effectum, et vicissim. Cum ergo praemissae et conclusio similiter se habeant, unico actu conspiciuntur. *Item* consequentiae notio in visione nexus praemissarum cum conclusione sita est: atqui nexus est unicus: ergo et illius visio.

Pro *secundo* quaesito item *nota* agi de praemissis ordinatis ad consequens; sub quo respectu en resolutio:

Prop. INTELLECTUS NECESSARIO ASSENTITUR CONCLUSIONI, PRAESTITO JAM ASSENSU PRAEMISSIS. Est Doctoris I. D. I. q. IV. n. 16.

Prob. Causa naturalis, positis omnibus praerequisitis ad actum, non est libera ad agendum et non agendum: atqui intellectus est facultas naturalis: ergo positis praerequisitis ad conclusionem, non est libera ad illationem ferendam, vel non ferendam: ideoque praestito jam as-

sensu praemissis, non potest non praestare assensum conclusioni. Similiter argue ex unitate consequentiae, ut supra.

Praestat concludere Caput his verbis Doctoris desumptis ex I. *Prior.* q. III. n. 8. quae non parum conferunt ad notitiam logicae prout ab antiquis tradebatur: « Ex istis, ait, potest haberi subjectum hujus libri; quod omne instrumentum sciendi est divisio, vel definitio, vel argumentatio. Si est divisio, sic est liber *Divisionum* Boetii. Unde quia iste modus sciendi per divisionem est valde imperfectus, ideo de ipso non curat Aristoteles. Si de definitione, sic est secundus *Posteriorum* et sextus *Topicorum*. Si autem determinetur de argumentatione, tunc quia iste modus sciendi est perfectissimus inter alios, ideo de ipso Aristoteles fecit quasi totam logicam. Unde consideratio de argumentatione vel est de argumentatione quantum ad se totam, vel quantum ad ejus partes. Si quantum ad partes ejus, vel quantum ad partes propinquas, vel remotas: si quantum ad remotas, sic est liber *Praedicamentorum*; ad cujus supplementum facti sunt libri Porphyrii et sex *Principiorum*: si quantum ad propinquas, sic est liber *Perihermenias*, qui est de enunciatione, et est pars propinqua argumentationis. Si autem fiat consideratio de argumentatione quantum ad se totam, vel haec est quantum ad proprietates communes se tenentes ex parte necessitatis illationis, et sic est liber *Priorum*, cujus subjectum est argumentatio quantum ad ejus proprietates generales pertinentes ad necessitatem illationis: vel consideratur de argumentatione quantum ad proprietates speciales contracta ad aliquam materiam specialem; et hoc... vel quia contrahitur ad materiam probabilem, et sic est liber *Topicorum*, qui est de syllogismo

dialectico: vel ad materiam necessariam, et sic est liber *Posteriorum,* qui est de demonstratione: vel ad materiam probabilem apparenter, et sic est consideratio de syllogismo sophistico in lib. *Elenchorum.* »

CAPUT V.

De syllogismo relate ad materiam de qua.

Usque adhuc loquuti sumus de syllogismo considerato in sua forma et elementis quibus constat: nunc ad illius notionem relate ad materiam progrediendum est; de qua non pauca dicenda supersunt. Quoniam autem tripliciter haec se habet, ut cum Doctore superius dictum est, idest vel necessario, vel probabiliter, vel solum vera apparenter, consideratio syllogismi sub eo respectu multiplex evadit, et omnia de eo dicenda in variis capitibus ponentur. In praesenti de syllogismo relate ad materiam necessariam (qui ut sic demonstratio dicitur) agitur.

ARTICULUS I.

De demonstratione in genere.

Dupliciter a Philosopho (c. 2. *Text.* 8. *Post.*) *demonstratio* definitur; primo a parte finis, sic: *syllogismus faciens scire:* ad hoc enim tota demonstratio ordinatur, idest, ad praebendam scientiam rei, de qua in capite sequenti: secundo ex formali ratione demonstrationis, sic: *syllogismus constans ex praemissis veris, primis, immediatis, prioribus, notioribus, causisque conclusionis.* Prima verba genus constituunt et sunt communia tum dialectico,

tum sophistico; quorum pariter est esse syllogismum *ex praemissis* compositum: reliqua praebent differentiam ejus specificam; et exponentur dum inferius de conditionibus syllogismi demonstrativi sermo erit. Vide q. xi. *Post.* i.

De demonstrationis realitate vix dubium oriri potest, cum, si scepticos excipias, cuilibet pateat multas haberi scientias, quae nonnisi ope demonstrationis acquiruntur. Quapropter dubium de realitate demonstrationis, resolvitur in dubium de existentia scientiarum, earumque possibilitate.

Demostrationis ex Doctore (*Quodl.* vii. n. 3. et *Prol.* q. i. n. 14.) *duae species* habentur; idest demonstratio *propter quid,* seu per causam, et demonstratio *quia,* seu per effectum: cujus distinctionis ratio sic a Doctore ibi affertur: « Omne necessarium verum, non evidens ex terminis, habens tamen connexionem necessariam et evidentiam ad aliud, ut necessarium evidens ex terminis, potest demonstrari per illud evidens. Nunc autem aliquod verum necessarium non evidens ex terminis, habet connexionem necessariam ad aliquod verum acceptum a causa et aliquod ad verum acceptum ab effectu: non solum enim veritates de causis non possunt esse sine quibusdam veris de effectibus, sed nec e converso; igitur potest aliquod verum demonstrari per aliquod verum evidens acceptum a causa, et tunc *propter quid,* vel per aliquod verum acceptum ab effectibus, et tunc est *quia...* Qualiter autem verum acceptum ab effectibus possit esse evidens et tamen verum acceptum a causa non evidens, patere potest si aliquis consideret modum illum acquirendi scientiam primo *Metaph.* et secundo *Poster.* per experientiam; quia per experientiam est frequenter notum de effectu *quia*

est. ex multis singularibus acceptis a sensu et nondum scitur *propter quid* ita est; quia illud non habetur a sensu, nisi mediante ulteriore inquisitione. »

Verum *nota* non dici posse vere talem demonstrationem *quia,* nisi postquam demonstratio alicujus effectus in causam assignatam devenerit; quia secus non praeberet scientiam rei, ad quam ex sui natura ordinatur.

Demonstratio *propter quid* ratione suae dignitatis dici solet etiam simpliciter *demonstratio,* vel demonstratio *potissima,* et etiam demonstratio *causae,* quia a causa in veritatis inquisitione progreditur. Demonstratio *quia* vocatur etiam demonstratio *non potissima,* demonstratio *ab effectu* et etiam *a causa secundum cognosci,* quia in illa effectus sunt causa cognitionis. Item demonstratio *propter quid* appellatur etiam *a priori;* contra, demonstratio *quia, a posteriori.* Ratio primi, quia causa est prior effectu realiter. Ratio secundi, quia effectus naturaliter est posterior causa. Confer. S. Thom. I. *Post.* lect. IV.

Haec autem de demonstratione rigorose accepta. Si enim *non rigorose* sumatur, dividitur etiam in directam et indirectam, in absolutam et relativam, seu ex datis.

Directa ea dicitur quae procedit a principiis positivis directe rem respicientibus; v. g. demonstratio de immortalitate animae, desumptis argumentis a natura animae intrinseca, vel ab ejus operationibus. *Indirecta* vero est quae ab absurdis consectariis secus procedentibus, arguit; v. g. demonstratio eadem de immortalitate arguens ex eo, quia secus miserabiliores brutis essemus, Deus argueretur injustitiae etc. *Absoluta* dicitur quando progreditur a principiis absolutis, ut videre est in exemplis allatis: dicitur *relativa* seu *ex datis,* vel etiam *ad hominem* quando pro-

greditur a principiis concessis ab adversariis, ab iisque pro certis habitis: talis est demonstratio Apostoli contra negantes resurrectionem mortuorum, qui tamen concedebant Christum a mortuis resurrexisse et rectam esse fidem praedicatam a Paulo: si mortui non resurgunt, Christus non resurrexit, inanis est fides vestra et praedicatio mea (I. Cor. c. XV.).

ARTICULUS II.

De praecognitis et praenotionibus demonstrationis.

Praecognita dicuntur notiones quaedam praerequisitae in intellectu priusquam demonstratio instituatur: quae autem de his praecognoscenda sunt, *praenotiones* appellantur. *Nota* nos non loqui de praecognitis remotis, puta de notione et natura et legibus syllogismi etc., sed de his quae immediate ingrediuntur demonstrationem, eiusque naturam afficiunt.

Tria enumerantur praecognita a logicis, quae sunt notio *subjecti* de quo agitur; notio *praedicati*, de quo inquiritur an subjecto insit, et *passio* in demonstratione dicitur; et notio *principii*, seu *dignitatis* in qua tota demonstratio fundatur; v. g. *quae conveniunt uni tertio, conveniunt inter sese*, est principium in quo fundatur tota demonstratio de natura syllogismi etc. Recte autem praecognita assignari, ita demonstrat Doctor I. *Post.* q. IV. n. 2. Necessario est praecognoscendum, quo ignorato, deest motivum et ratio demonstrationis: atqui ignorato subjecto, vel praedicato, vel principio, sive simul, sive divisim, deest ratio demonstrationis: de primis patet, quia in conclusione ingreditur subjectum et praedicatum, quibus

ignoratis, nescitur nec quid, nec de quo est illatio: de principiis item constat, quia in principiis continetur ratio formalis demonstrabilium; ignorata autem ratione formali alicujus, nonnisi in confuso cognosci res potest: ergo necessario in demonstratione debent praecognisci subjectum, praedicatum et principia.

Subjectum demonstrationis jure primo loco ponitur, quia est id de quo quaeritur: in secundo loco est *praedicatum*, vel passio, quae de primo enuncianda est: *principium* tertio loco ponitur, quia intelligitur quasi medium quo passio de subjecto affirmanda, vel neganda est.

Praenotiones duae sunt *quia est* et *quid est:* non tamen semper utrasque simul de praecognitis cognoscere oportet; sed vel ambas simul, vel alterutram, secundum monita sequentia.

De subjecto praecognosci debet *quia est* et *quid est;* per primum praesupponitur notio existentiae, per alterum notio definitionis. Necesse est praecognoscere *quia est;* quia secus conclusio syllogismi non foret objectiva, seu deficeret in fundamento reali, quod est subjectum reale. Tamen Doctor ibi q. VII. n. 2. animadvertit « quod esse quod praesupponitur, est esse non prohibitum in rerum natura: illud enim de quo habetur scientia, oportet quod habuerit esse in praeterito, vel possit habere esse in futuro, vel quod nunc habeat esse: » hinc etsi Deus speciem brutalem destrueret, scientia eorum nihilominus mens hominum potiri posset etc. Idem in *Quodl.* VI. n. 7.

Quoad secundum, sciendum dupliciter sumi definitionem, *nominaliter* et *scientialiter:* dupliciter ideo intelligitur *quid est* de subjecto praenoscendum. Dicimus tamen cum Doctore: vel agitur de demonstratione *propter quid,*

vel de demonstratione *quia;* in prima hypothesi requiritur praecognitio *quid rei,* seu definitio rei; in altera sufficit praecognitio *quid nominis,* seu definitio nominalis. Ratio secundi est, quia in demonstratione *quia* ab effectibus ad causam, seu ad *rei* naturam vel *quid* progredimur: ast circulus foret ea demonstratio si *quid rei* menti pateret ante conclusionem. Ergo in casu sola definitio nominalis necessaria est. Primi « ratio est quia in ratione et quidditate subjecti virtualiter includitur tota ratio scientiae; nec per ipsam demonstrationem acquiritur aliquo modo de subjecto *quid est,* imo totaliter praesupponitur » (III. D. XIV. q. II. n. 12.). Quod adhuc ex eo clarius apparet, quia medium in demostratione, ut dicetur, est definitio rei: medium autem non demonstratur, sed praesupponitur: ergo *quid rei* est praenotio in demonstratione *propter quid.* Idem habetur I. *Post.* q. IV. et ibi II. q. VIII. Hac responsione mihi videntur posse varia explicari quae de hac materia varii habent auctores: qui enim asserunt *quid nominis* esse praenotionem subjecti, intelligunt de demonstratione *quia:* qui autem tuentur praenotionem praefatam esse *quid rei,* de demonstratione *propter quid* loquuntur.

Passionis praenotio est simpliciter *quid nominis,* seu quid est quod per nomen significatur: non vero *quid rei* et *quia est.* Et imprimis non praecognoscitur *quia est:* nam haec est conclusio in syllogismo demonstrativo, quia « tantum per demonstrationem acquiritur cognitio passionum inhaerentium sibi, » idest, subjecto (ibi *Sent.*). Secundo non requiritur praecognosci *quid rei;* quia si de passione *quid rei* perspectum foret, simul illius inhaerentia subjecto sciretur: etenim tota ratio passionis est a prin-

cipiis subjecti: ideo non habetur perfecta notitia unius, quin habeatur et alterius; v. g. si scirem rationem formalem risibilitatis procedentis a principiis essentialibus hominis, scirem simul eam homini inesse: et sic demonstratio foret circulus, ut dictum est supra. Superest ergo de passione praecognosci debere *quid nominis*. Ratio, « quia de passione oportet aliqualem cognitionem habere ante conclusionem, cum sit principium integrans conclusionem: quia ex passione et subjecto fit conclusio in demonstratione. » Ibi *Post.* q. vi. Vide totam quaestionem.

Verum *nota* id non esse intelligendum de cognitione admodum confusa et obscura, sed de clara *quid nominis*, solum excludente rationem formalem ipsiusmet passionis. Postquam autem quis ad inhaerentiam illius cum subjecto pervenerit, nihil prohibet quominus perscrutetur hujus inhaerentiae rationem, si licuerit, et sic ad undequaque perfectam notitiam rei adipiscendam perveniat.

De dignitatibus vel principiis solum praerequiritur cognoscere *quia sunt vera*. Est Doctoris ibi q. v. « Probo, quia dignitas facit cognitionem de conclusione; sed *non ens* conclusioni nihil facit: ergo oportet quod de dignitate praecognoscatur *quia est*. Item ostendo quod de dignitate non praecognoscitur *quid est simpliciter*, quia quid est simpliciter est solius incomplexi; sed dignitas est quoddam complexum; ergo etc. Quod autem non habeat quid, patet ex intentione Aristotelis 7. *Metaph. Text.* 10; dicit enim quod homo albus non habet quid, eo quod est ens per accidens, sive aggregatum. Sed dignitas est magis aggregatum quam homo albus: ergo dignitas non habet quid. Similiter de ea non praecognoscitur *quid*, scilicet quod significatur per nomen, quia non habet quid; sed plura

quid aggregata; solum ergo de dignitate praecognoscitur *quia est.* » Recole etiam *Sent.* ibidem.

ARTICULUS III.

De conditionibus demonstrationis.

CONDITIONES demonstrationis praemissas afficiunt et a Philosopho et Doctore I. *Post.* q. XI. QUINQUE assignantur; videlicet: 1° praemissae sint verae et necessariae; 2° primae et immediatae; 3° notiores, evidentiores et perfectiores; 4° priores; 5° causa per se conclusionis.

Prima ergo conditio est, ut praemissae sint VERAE ET NECESSARIAE. Primi ratio est quia demonstratio parit scientiam: atqui falsitas est destructiva scientiarum: ergo etc. Ratio alterius est, quia scientia versatur circa rerum essentias, et proprietates: atqui hae inferunt necessitatem: ergo etc. Imo a necessitate Philosophus distinctionem infert inter demonstrationem et dialecticam.

Secunda conditio est, ut praemissae sint PRIMAE ET IMMEDIATAE; scilicet ut talis sint naturae quod non indigeant demonstratione ad sui veritatem manifestandam. Ratio est, quia si adhuc indigerent demonstrari, mens non quiesceret in conclusione et rursus a principio demonstratio instituenda foret: prima igitur nonnisi apparenter nomen tale sibi usurparet.

Nota tamen dupliciter intelligi posse *immediatum* in praejacente materia: vel relate ad omnium primum in eo genere, vel relate ad antecedens a quo aliquid immediate profluit: quod exemplo sic declaratur: haec propositio v. g. *omnis homo est risibilis,* immediate est ab alia quod *omne animal rationale sit risibile,* cum risibilitas

tum a principiis animalitatis, tum a principiis rationalitatis profluat. Altera vero propositio: *Petrus est risibilis,* procedit immediate a propositione primo posita; mediate autem a secunda. Regula igitur intelligenda est non *de sola immediatione* relate ad omnium primum in eo genere, sed etiam de immediatione relate ad antecedens, dummodo sciatur manifeste hoc necessario ab omnium primo profluere. Hinc Doctor III. D. XXIV. n. 20. scribit: « ideo dicit Philosophus primo *Topicorum* quod demonstratio vel est ex primis, sicut idem dicit primo *Posteriorum:* vel ex his quae ex primis et veris et immediatis fidem acceperunt. » Et *Metaph. Text.* l. v. c. III. n. 24: « Demonstrationes geometricae et universaliter quaecumque demonstrationes non semper procedunt ex simpliciter immediatis, sed accipiunt quandoque praemissas syllogizabiles et illae priores demonstrationes dicuntur elementa posteriorum, quatenus posteriores ex illis prioribus virtualiter componuntur et in eas ultimo resolvuntur. » Caeterum admodum fines scientiae coarctarentur, si rigorose sumerentur praefatae conditiones; et ab ambitu scientiarum excludendae forent omnes scientiae subalternatae, quarum principia sunt conclusiones scientiae superioris. Quotiesquumque ergo conclusiones resolvuntur sive immediate, sive mediate, necessario et manifeste in omnium primas, semper demonstratio habetur.

Tertia conditio est quod praemissae sint NOTIORES, EVIDENTIORES ET PERFECTIORES. Ratio, quia intellectus est in syllogizando a notis ad ignota, vel a magis notis ad minus nota progredi. Si ergo praemissae minus notae, evidentes et perfectae forent, innaturalis evaderet conclusio: vel si aequaliter cum conclusione his dotibus donarentur, inutiliter demonstratio fieret. Item conclusio a praemissis suam

notitiam, evidentiam et perfectionem habet tamquam a sua causa: sed quidquid in effectu invenitur, perfectiori ratione invenitur et in causa: ergo hae dotes potiori ratione in praemissis inveniuntur.

Quarta conditio est quod conclusio sit EX PRIORIBUS: quod patet; quia conclusio est ab alio procedens; praesupponens ideo aliud a quo suum esse accipit.

Quinta et ultima conditio est quod conclusio sit A CAUSA PER SE rei. Dicitur *a causa* quia scientia parta demonstratione, est cognitio per causam. Additum est *per se,* ut distinguatur a causa per *accidens,* quae revera non influit in effectum, vel si influit, id non accidit necessario: v. g. ex eo quod aliquis fodiendo terram, thesaurum invenit, non licet concludere, omnes effodientes terram invenire thesaurum, quia effossio fuit non causa necessaria, sed per accidens inventionis etc.

Aristoteles, quem sequitur Doctor locis citandis, c. 4. I. *Post.* praefatis conditionibus alias addit, magis ac magis explicativas conditionis quinto loco positae, scilicet quod praemissae sint universales, incorruptibiles seu perpetuae, propriae et per se causa conclusionis. Ratio universalitatis est quia *necessario* debent inferre illationem; necessarium autem omnibus inest: quod omnibus inest dicitur universale; ergo etc.. (I. *Post.* q. XXXIV.). Ratio *perpetuitatis*, quia demonstratio concludit aliquid essentiale vel passionem alicujus essentialis; essentia autem rerum est immutabilis, ut in Metaphysica monstrabitur; immutabile vero est incorruptibile et sic perpetuum; ergo etc. (ibi q. XIV. n. 5.). Ratio *proprietatis* sic patet; demonstratio ex communibus non praebet notitiam rei determinatam, nec proprietatum illius, sed communem: hoc

autem est contra finem praecipuum demonstrationis; quae etiam in eo a dialectica distinguitur (ibi q. XI. n. 5. et *Prol.* q. I. n. 30.). Ratio incisi *per se* patuit supra.

ARTICULUS IV.

De conditione per se.

Quoniam saepius a philosophis haec dictio *per se* adhibetur in agendo de rebus philosophicis, optimum ducimus hic de ea agere.

Dicitur in genere aliquid esse PER SE, quando *necessitatem* includit; v. g. esse animal de homine, quia necessario animalitas ei inest; et distinguitur ab esse PER ACCIDENS quod *contingentiam* infert; v. g. esse album relate ad eumdem hominem.

CONDITIO PER SE ex Doctore I. *Post.* q. XV. n. 2. *duobus modis* accidere potest; idest in propositionibus et in rebus.

In propositionibus adhuc dupliciter accidit; quia id quod necessitatem infert vel est *essentiae intrinsecum* tamquam totum vel pars, v. g. esse animal, vel rationale, vel utrumque simul in homine, et sic est ***primus modus dicendi per se;*** vel est essentiae extrinsecum, ab ea tamen ***necessario profluens,*** v. g. passiones; et sic habetur ***secundus modus dicendi per se*** (ibi q. XVI. n. 8.).

Item *ex parte* rerum conditio *per se* dupliciter se habet; quia vel ***excludit necessario subjectum inhaesionis et dependentiam causalitatis*** (qua ratione substantia dicitur ens *per se* et Deus item), et sic habetur ***tertius modus per se,*** qui ut sic dicitur modus *essendi;* vel tandem respicit ***causam per quam subjectum sibi effectum necessario conjungit,*** v. g. quando dicitur calore ignis calefacere; et est

quartus modus per se, qui dicitur modus *causandi.* Vide et q. xxx. et q. xxxii.

De variis modis hujus conditionis Doctor ibi q. xv. habet, quod in primo modo dicendi *per se* in propositionibus, *praedicatum est causa subjecti,* quia ad subjecti constitutionem concurrit; in secundo modo dicendi *per se* e contra *subjectum est causa praedicati,* quia ab ipsius principiis passio progreditur. De tertio modo, qui est modus *essendi,* excludens causam participem, ait illum tripliciter accidere; quia vel excludit causam efficientem et finalem, et isto modo *sola prima causa est per se;* aut excludit solum causam materialem, et hoc modo *solae intelligentiae sunt per se;* aut excludit esse in subjecto solum et hoc modo *solum res materiales per se* esse dicuntur.

Aliquando conditioni *per se* additur *primo,* aut *non primo:* imo quandoque solae hae dictiones inveniuntur; et innuunt non solum conditionem de qua supra, sed in primo casu *immediationem* inhaerentiae, vel causalitatis etc. praedicati cum subjecto, vel causati a causa etc.; in altero casu *mediationem:* videas in Cap. i. hujus Partis, art. iii., ubi exempla desumi possunt a specie in relatione ad genus.

Conditioni *per se* opponitur CONDITIO PER ACCIDENS, quae tripliciter in propositione habetur ex Doctore ibi xviii. n. 3. *Uno modo dicitur* propositio per accidens quando unum extremum est *accidens* relate ad alterum; v. g. homo et albus. *Altero modo* dicitur per accidens, prout distinguitur a propositione *primo* vera; quo sensu dicitur propositio per accidens *isosceles habet tres angulos,* non quia habere tres angulos sit ei accidens, sed quia ei id convenit ratione trianguli, cujus est species. *Tertio modo* di-

citur propositio per accidens, quando praedicatum significat eamdem essentiam cum subjecto, tamen est *extraneum intellectui subjecti;* v. g. animal est homo: etsi enim homo essentialiter sit animal, tamen prout propositio jacet, conceptus hominis est extra conceptum animalis, de quo homo praedicatur. Et id semper accidit quoties inferius praedicatur de superiori.

Primus modus per accidens subdividitur *tripliciter;* quia vel accidens praedicatur de subjecto; v. g. homo est sapiens; vel subjectum praedicatur de accidente; v. g. album est homo; vel denique accidens praedicatur de accidente; v. g. album est dulce. Quoad ultimum modum *nota* quod si de accidente praedicetur accidens quod est differentia vel genus illius, propositio evadit *per se,* ut videre est in hac propositione, *albedo est color.*

Conditio per accidens *in rebus* sic variat; quia aliquid dicitur per accidens, vel *in causando,* v. g. inventio fortuita thesauri; vel *in existendo,* sive simpliciter, v. g. existentia rerum creatarum; sive secundum quid, v. g. existentia qualitatum in subjecto. Si alia de hac materia cupis, videas ibidem a q. XV. ad XL.

ARTICULUS V.

De medio in demonstratione.

Demonstratio cum sit modus perfectissimus syllogizandi, *medio* necessario indiget. Verum quoniam hoc variabile est in syllogismo, inquiritur quodnam esse debeat in demonstratione, ut necessario concludat. Philosophi etsi unanimes sint in generali regula tradenda, non conveniunt tamen in resolvenda quaestione in particulari:

scilicet omnes generaliter concordant in asserendo *definitionem* esse medium in demonstratione: an vero de definitione *subjecti*, vel *passionis* id sit intelligendum, discrepant. Thomistae distinguunt: si agatur de passione immediate subjectum afficiente, tunc definitio subjecti sit medium oportet: si vero agatur de passione solum mediate afficiente subjectum, tunc medium definitio passionis assignatur. Contra scotistae sine ulla distinctione cum suo Doctore II. D. III. q. VI. n. 16. et II. *Post.* q. IX. asserunt *semper definitionem subjecti munere fungi medii in demonstratione.*

Primum, circa quod nulla discordantia logicorum extat, sic probatur: demonstratio parit scientiam; ideoque tale medium sit oportet, ut necessitatem imponat conclusioni et notitiam rei praebeat determinatam et essentialem, seu rei qualis est in sua natura et passionibus. Atqui haec omnia habentur sive explicite, sive implicite in definitione: ergo definitio est medium in demonstratione.

Pro secundi solutione duo sunt *praenotanda,* quorum prius praecedentis est declarativum.

1. Cum dicitur definitionem esse medium, non sic est intelligendum quatenus haec explicite et expresse habeatur in argumentatione, sed quatenus terminus, qui est medius, secundum rationem formalem suae definitionis sumitur.

Ad quod sciendum medium sumi posse ex variis locis, scilicet a definitione, ut in casu, a divisione, a causa et effectu, ab adjunctis, a contrariis, ab auctoritate et a simili. En aliqua exempla. *A divisione,* seu a toto ad partes et viceversa: Romae sumus: ergo sumus in Italia. *A causa* etc.: quod cogitat, spirituale est: mens humana cogitat:

ergo etc. *Ab adjunctis:* qui diu versatur cum impiis, impius fiet: sed Petrus conversatur cum impiis: ergo etc.

In conclusionem influunt etiam *correlativa principia:* v. g. pro medio a definitione sumpto; *quod est essentiale, reperitur in omnibus:* pro medio a causa; *effectus proportionatam causam habet.*

2. Subjectum aliud immediatum, aliud mediatum est; v. g. homo relate ad animam et corpus immediate se habet; verum relate ad spiritualitatem mediate se habet; cujus immediatum subjectum est anima: item, anima est subjectum immediatum voluntatis, mediatum autem libertatis; quae pro subjecto immediato habet voluntatem. Dum ergo tuebimur sententiam Doctoris, de immediati subjecti definitione intelligenda est; quae tamen in definitionem subjecti primi vel ultimo mediati resolvitur; ut in allatis exemplis cuncta resolvuntur in definitionem hominis. Ratio, quia tota vis argumentationis demonstrativae a subjecto originaliter desumitur. Hoc autem non est idem cum sententia thomistarum de passione; quia haec vult ut definitio passionis sit medium, non vero sui subjecti immediati. His positis, sit propositio:

Prop. SOLA DEFINITIO SUBJECTI EST MEDIUM IN DEMONSTRATIONE. Est Doctoris ibi.

Prob. In demonstratione non inquiritur de quidditate passionis, sed an passio insit subjecto: atqui id concluditur non per definitionem passionis, sed subjecti: ergo etc. Minoris veritas constat ex eo, quia, v. g. si sciam quid sit risibilitas, hoc vel scio ex principiis subjecti de quo, vel aliunde: in primo casu redit conclusio nostra: in altero concluditur contra finem demonstrationis; idest conclusio erit de passione in se, non vero in relatione ad subjectum.

Item, in demonstratione potissima, medium praebere debet notitiam simpliciter, ita quod ipsum et in esse et in cognosci ab alio non dependeat; quia si ab alio penderet, adhuc de eo inquiri posset *propter quid insit:* sed definitio passionis ex se a definitione subjecti pendet, quia et in *esse* et in *cognosci* ab eodem est; seu tota vis qua passio subjecto inest, non est passio, sed subjectum: ergo non definitio passionis, sed subjecti debet esse medium in demonstratione.

Objectiones quae contra opinionem Doctoris opponi possunt, optime resolvuntur per ea, quae in *secundo praenotando* posita sunt.

Hic coronidis gratia afferre juvat, quod a Doctore I. *Metaph.* q. IV. n. 20. traditur circa *modum inveniendi medium:* scilicet prae primis dividatur subjectum propositionis probandae in multa praedicata essentialia: sumatur inde unum medians inter subjectum et praedicatum in conclusione de eodem asserendum vel negandum, et conficiatur syllogismus: conclusio, quae hinc eruetur, demonstrans erit: v. g. si quis demonstrare velit esse disciplinabilem de Petro, dividat Petrum in sui essentialia praedicata; inde sumat praedicatum cui etiam esse disciplinale conveniat, idest *rationale*, et sic arguat: omnis rationalis est disciplinabilis: Petrus est rationalis: ergo Petrus est disciplinabilis. In praxi autem facilitas inveniendi *medium* ab usu dependet et ab exercitio syllogizandi.

ARTICULUS VI.

De via ad demonstrationem, seu de inductione.

Experientia compertum habemus nos ordinario non posse ad essentialia et universalia pervenire, nisi ab effectibus et particularibus initium desumentes. Si enim aliqua principia metaphysica et mathematica excipias, v. g. totum est majus sua parte, etc. quae ex ipsa consideratione terminorum manifesta fiunt, caetera, praecipue vero physica, ope inductionis constituuntur. Quapropter non parvi est momenti tractatio de modo perveniendi a particularibus ad universalia, seu de *inductione*.

« Inductio est progressus ab aliquibus vel ab omnibus sufficienter enumeratis ad conclusionem universalem (II. *Prior*. q. VIII. n. 8.). Quae definitio sic etiam tradi potest: *inductio* est illud *argumentandi genus* quod ex partibus ad totum, ab individuis ad speciem, a specie ad genus progreditur, breviter *a particulari ad universale*. Exemplum inductionis omnes partes complectentis: homo, brutum, plantae et corpora carentia vitae et angeli sunt pulchra: atqui homo, brutum, planta et corpora vitae carentia et angeli constituunt omnem creaturam: ergo omnis creatura est pulchra. Exemplum inductionis non omnes partes continentis: Petrus, Joannes, Andreas et sic de caeteris hominibus, sunt intelligentia praediti: sed Petrus, Joannes, Andreas et sic de caeteris hominibus constituunt speciem humanam: ergo species humana est praedita intelligentia. Prima inductio vacatur *completa*, posterior vero *incompleta*.

Quod terminos hujus modi arguendi attinet, dicimus

medium constitui a partibus enumeratis; *majorem* a praedicato in conclusione enunciando; *minorem* vero ab universali quod a partibus constitui dicitur in praemissis et de quo major praedicatur in conclusione; in praeallato exemplo inductionis completae species enumeratae sunt *medium*, *pulchra sunt* est *major*, *omnis creatura* est *minor*. Ratio hujus varietatis terminorum in inductione contra syllogismum ex diverso modo procedendi utriusque proprio educitur.

Inductio fundamentum habet in observatione factorum; quae rursus a *vi* et *lege* naturae originem ducunt: non enim est possibile res ad aliquid agendum valere, nisi ad id potestatem habeant, quae *vis* vel *lex* appellatur.

Verum est *notandum* a nobis nonnisi in paucis integram enumerationem partium obtineri posse; in reliquis sine numero mancam solum et imperfectam. Et tunc quomodo concludere licet, cum sit contra rationem formalem arguendi, latius inferre quam in praemissis asseratur? Scholastici docent huic obviam iri addendo praemissis, post sufficientem partium enumerationem, et *sic de caeteris* et *sic de singulis*. Quae addictio non est irrationalis, imo conveniens admodum naturae, ut Doctor I. D. III. q. IV. n. 9. demonstrat: « De cognitis per experientiam dico quod licet experientia non habeatur de omnibus singularibus, sed de *pluribus*, nec quod semper, sed quod *plúries*, tamen expertus *infallibiliter* novit quod ita est et quod *semper* et in *omnibus*; et hoc per illam propositionem quiescentem in anima: *quidquid evenit* ut in pluribus ab aliqua causa non libera, est effectus *naturalis* illius causae. Quae propositio nota est intellectui, licet accepisset terminos ejus a sensu errante; quia causa non libera non potest

producere, ut in pluribus, effectum, ad cujus oppositum ordinatur, vel ad quem ex forma sua non ordinatur..... Quod autem iste effectus evenit a tali causa producente, ut in pluribus, hoc acceptum est per experientiam; quia inveniendo nunc talem naturam cum tali accidente, nunc cum tali, inventum est quod quantumcumque esset diversitas accidentium talium, semper istam naturam sequebatur talis effectus: ergo non per aliquod accidens naturae, sed per naturam ipsam in se consequitur talis effectus. »

Si haec verba vere aurea, cuncta fere inductionis includentia, considerentur, manifeste patebit conclusionem inductionis tanta evidentia fulgere et pollere vi, ut nonnisi a sceptico in dubium vocari possit: secus enim actum foret de eo notissimo principio: *Natura est determinata ad unum: natura eodem modo operatur, nisi impediatur.*

Etsi inductio necessario concludat, ut apparet praecipue in completa, tamen *observa* cum Doctore III. D. XXIV. n. 19. et *Metaph.* ibi n. 6. ipsam *non dare per se* scientiam, cum ei desit procedere per causam. Hinc recte eam diximus solummodo viam ad scientiam, quia « statim, cognita conclusione *quia est*, experto datur occasio inquirendi causam et sic inveniendi *propter quid* » (ibi *Metaph.*). Videas alia multa ibidem.

Doctor II. *Prior.* q. VIII., inquirens an ad bonam inductionem oporteat inducere in omnibus singularibus, quasdam affert conclusiones, quas hic utilitatis gratia apponimus.

Pro completa: *Prima conclusio:* Inductio non valet concludere de necessitate, nisi inducatur de omnibus et singulis. Ratio est, quia possibile est antecedens non esse

verum, vel saltem non apparet ex imperfectione enumerationis. Et dato quod appareat ex regula praecedenti, tamen id non est ab enumeratione partium, sed aliunde; nec ideo amplius agitur de completa.

Secunda conclusio: Inductio, dato etiam quod inducat de omnibus, non valet ad recte concludendum, nisi coassumatur propositio universalis declarans terminorum universalitatem: v. g. dato quod non essent nisi tres homines, scilicet Socrates, Plato et Cicero, sequitur quod si hi currant, omnis homo currat; tamen non sequitur evidenter, nisi addatur haec universalis: omnis homo est Socrates, Plato et Cicero: qua apposita, consequentia fit evidens.

Pro incompleta: *Conclusio prima:* Ad habendam opinionem probabilem de conclusione universali sufficit inducere solum in aliquibus singularibus. Ratio est, quia fortius potest movere inductio ad veritatem, quam exemplum: atqui exemplum per unum singulare potest movere ad opinionem: igitur multo fortius inductio de aliquibus singularibus.

Altera conclusio: Quo major est partium enumeratio, eo certior est illatio inductionis. Ratio, quia difficilius tunc error incidere potest: nam quod est ab aliquo *per accidens,* nonnisi *raro* evenit: quod ergo saepius, a causa *per se* erit: et quoniam natura eodem modo nisi impedita operatur, per majorem enumerationem partium deveniri potest ad certitudinem. Eo vel magis quod in inductione juvat variare experientiam, ut mutando circumstantias etc. clarius pateat effectum illum non a circumstantiis, sed revera ab ipsa re, tamquam a causa repetendum esse. Quo facto, tanta vis inductioni inest, ut sae-

pius ad dignitatem principii elevetur, ut docet ibi Doctor. « Multa principia naturalia fiunt nobis evidentia propter sensum, memoriam et experientiam, ut ista, omnis ignis est calidus, omne grave existens sursum, non impeditum, naturaliter descendit deorsum, et consimilia; quae facta sunt evidentia per inductionem et non in omnibus singularibus, ut notum est. »

Si autem quaeratur quanta debeat esse in inductione enumeratio partium ad absolutam certitudinem habendam, Doctor ibidem respondet distinguendo. Vel agitur de praedicatis accidentalibus, vel de physicis, vel de essentialibus: in *primo* et *altero* casu integra enumeratio sit oportet, quia accidens non inest omnibus ex lege generali: ex quo non licet inducere de nigredine in corvo, nisi omnes et singuli corvi qui sunt, fuerunt et futuri sunt, observentur; licet major certitudo de hoc habeatur, quam de albedine in homine; quia in corvo color est a principiis illius naturalibus; in homine vero ab extrinsecis. Si vero agatur de *essentialibus*, vel de *qualitatibus activis* quae a forma oriuntur, tunc minor etiam enumeratio requiritur, quia essentialia et forma, quaeque ab his profluunt, in cunctis inveniuntur. Quoties igitur ad hoc pervenitur, ut aliquod essentiale etc. cognoscatur esse rei, licet recte et absolute de omnibus et singulis inducere, etsi non notabilis sit enumeratio.

Deduces ex dictis quam injuste Baco a Verulamio laudetur quasi inventor hujus modi arguendi; quia si nova forma excipiatur cum aliquo addito non formali, cuncta quae de inductione scripsit, jampridem a Scholae doctoribus tradita fuerunt, praecipue ab alio Bacone, cui nomen Rogerius, Ordinis S. Francisci. *Notamus* insuper

a Verulamio nimis complicari inductionem: requirit enim non solum notionem eorum de quibus inquiritur, sed insuper et eorum quae quamdam habent cum illis affinitatem et iisdem proprietatibus carent, et eorum tandem notionem quae his proprietatibus participant in gradu intensiori vel remissiori, ut comparatio instituatur ad conclusionem inducendam.

CAPUT VI.

De scientia.

Demonstratio, ut alibi diximus, scientiam parit: recte igitur post tractatum de causa, de ejus effectu instituitur sermo. Haec Logicae pars est omnium dignissima, utpote quae omnium dignissimum objectum habet, ad quod caetera logicalia ordinantur: de his enim hic pertractatur ut faciant *scire;* quod praecipue refulget in scientia.

ARTICULUS I.

De natura scientiae.

Quemadmodum demonstratio, ut alibi vidimus, *rigorose* et *late* sumitur, ita et scientia, ex Doctore *Prol.* q. III. lat. n. 28. et VI. *Metaph.* q. II. n. 4. Dicitur *late scientia* quaelibet notitia certa quae non sit singularis: parta ideo syllogismo in genere, cum sufficienti ambitu relate ad ea, quorum est notitia. *Rigorose* sumpta definitur a Philosopho I. *Post.:* Cognitio certa, vera et evidens rei necessariae per propriam causam, parta per discursum syllo

gisticum. Dicitur imprimis *cognitio*, quod commune est tum notioni, tum propositioni dialecticae, seu probabili etc., et quasi genus in definitione locum obtinet. Ponitur *certa*, idest excludens omnino dubium, et ut distinguatur ab opinione. Additur *vera* ut ab errore, cui totaliter contrariatur, distinguatur; quia certitudo potest aliquando haberi et in falsitate; ideoque *certam* esse non sufficit. Dicitur *evidens* ut distinguatur a fide, in qua deest evidentia. Verum quia haec potest esse immediata et mediata, ideo additum est in definitione *parta* per discursum syllogisticum. Apponitur etiam *rei necessariae* ut distinguatur a dialectica. Tandem dicitur *per propriam causam*, scilicet per essentialia principia rei constitutiva. Vide hanc definitionem cum sua expositione in *Prol. Paris.* q. I. art. I.

Ad scientiam ergo *quatuor* conditiones requiruntur; quarum *prima* est, ut sit cognitio certa; *secunda*, ut sit cognitio necessaria, cujus oppositum scilicet repugnet; *tertia*, ut sit evidens; *quarta*, ut comparetur per discursum. Primae perfectionem includunt; quarta autem imperfectionem; quia quo melius aliquid videtur, eo cognitio perfectior evadit; videre autem immediate melius est quam videre mediate (*Prol.* q. III. lat. n. 1.). Quo sensu definitio non potest dici scientiae extranea, cum constituat quasi fundamentum scientiae, a quo omnia educuntur quae scientifice de definito edocentur.

De *scientiarum existentia* absoluta potest dici adesse certitudo. Omnes enim, ex Philosopho I. *Metaph.* naturaliter scire desiderant: natura autem deciperet, si inclinatio naturalis expleri nequiret. « Unumquodque, scribit Doctor ea verba exponens, naturaliter appetit suam perfectionem tam primam, quam secundam; primam tam-

quam suam formam, secundam tamquam suam propriam operationem, per quam etiam conjungitur suo principio: ergo homo naturaliter appetit scientiam, quae est perfectio prima, et intelligere, quae est perfectio secunda, per quam conjungitur suo principio » (*Metaph. Prol.* n. 4.).

Quoniam *scire* dicitur etiam de rei notitia in genere, in quo plures gradus esse possunt, ideo ad articuli complementum illius gradatio hic apponitur. *Scire* igitur potest dici 1° *communiter*, cum sciuntur contingentia ad utrumlibet, sicut sciri potest hominem sedere; 2° *proprie*, cum sciuntur contingentia nata, v. g. nigredo in corvo; 3° *magis proprie*, et sic sciuntur tum principia, tum omnia necessaria; 4° *maxime proprie*, quo sciuntur necessaria per demonstrationem evidentia. De sciendo solum quarto modo accepto hic est sermo (*Prol.* I. *Post.*).

ARTICULUS II.

De objecto scientiae.

Objectum scientiae dicitur id circa quod scientia versatur et de quo considerat: v. g. ens dicitur objectum metaphysicae, quia de ente in genere ipsa tota est: mundus dicitur objectum cosmologiae, quia haec de illo universaliter inspecto pertractat; modus sciendi vel syllogismus est objectum logicae etc. etc. *Objectum* saepius appellatur etiam *subjectum*, ita ut passim unum a logicis usurpetur pro alio: verum quaedam interest differentia: nam *objectum* dicitur ab *objicere*, quia contemplanti et scientiae navanti operam objicitur ut cognoscatur: dicitur vero *subjectum* relate ad passiones, quibus subjicitur: quia

passiones se habent per modum accidentis relate ad ipsum (1).

Objectum primo dividitur in formale et materiale. Dicitur MATERIALE, si in se consideretur absque respectu speciali ad determinatam categoriam cognitionis: FORMALE vero dicitur si consideretur sub speciali ratione et formalitate qua ad determinatam scientiam dicitur. Quod est materialiter unum, si formaliter consideretur ad plures scientias pertinere potest; sicut accidit de homine; qui licet sit unum materialiter, tamen formaliter consideratus sub entis respectu ad metaphysicam spectat, sub respectu sanabilis ad medicinam, sub ratione talis entis ad anthropologiam etc. etc.

Secundo objectum dividitur etiam in adaequatum et inadaequatum, in principale et minus principale.

Dicitur ADAEQUATUM quod omnia complectitur quae in ea scientia considerantur; v. g. homo taliter est objectum anthropologiae. Dicitur INADAEQUATUM si aliqua tantummodo illius scientiae complectatur; v. g. anima est inadaequatum objectum praememoratae partis philosophiae.

Objectum PRINCIPALE alicujus scientiae illud dicitur, in quod scientia principaliter intendit; v. g. anima in tractatu de homine: MINUS PRINCIPALE illud dicitur, quod in minori aestimatione in determinata scientia habetur; v. g. corpus in eodem tractatu.

Ut aliquid in ratione objecti formalis et adaequati constituatur alicujus scientiae, tres conditiones praecipuae requiruntur; « prima scilicet quod sit notum *quid est* et *quia est*: nam haec duo... oportet praesupponere de omni

(1) Vide SERAPH. I. S. q. I. *Prooem.* quot modis subjectum in aliqua scientia sumi possit, idest ut radicale, ut integrale, ut universale.

subjecto demonstrationis. Secunda est quod per ejus *quod quid est* demonstrentur in scientia passiones illius subjecti de eo. Tertia est quod ad ipsum alia omnia in scientia determinata reducantur et propter ipsum considerentur; aliter enim ab ejus unitate non esset unitas scientiae » (q. III. *Univ.*).

Haec ultima conditio constituit rationem *primi objecti* alicujus scientiae; cujus notio saepe occurrit in schola et de qua Doctor scripsit: « ratio primi objecti est continere in se primo virtualiter omnes veritates illius habitus, cujus est » (I. *Prol.* q. II. lat. n. 4.). Dicitur *primo,* idest, non per aliud: additur *virtualiter,* idest originaliter: caetera patent. Videas ibid. n. 15., ubi optimo exemplo desumpto ex corpore humano in relatione ad medicinam, haec omnia declarantur. Item videas alias minoris momenti conditiones in I. *Prior.* q. II. n. 5.

Etsi *existentia objecti* sit praecognitum in demonstratione et in scientia, ideoque non demonstretur in ea scientia, cujus est objectum; tamen si aliquando haec non sit manifesta, ante omnia solvenda est quaestio *an sit;* sicut accidit in theologia relate ad Dei existentiam: neque enim haec immediate naturaliter videtur, nec a sensibus hauritur, sicut generaliter accidit de existentia reliquorum scientiae objectorum: neque ad alias naturales scientias, praeter philosophiam, pertinet cura hujus demonstrationis; itemque neque ad alias philosophiae partes, praeter metaphysicam specialem, ut patet: superest ideo ut theologiae naturali haec cura relinquatur. Idem est dicendum de omni alia scientia, cujus objectum indigens demonstratione quoad sui existentiam, non habeat a quo demonstretur extra illam scientiam, cujus est objectum.

ARTICULUS III.

De principiis scientiae.

Principium generice sumptum definitur a Philosopho 5. *Metaph.* c. I. *id unde aliquid est, aut fit, aut cognoscitur.* Prout autem hic accipitur, idest, relate ad scientiam, dicitur id ex quo aliqua res potest cognosci; et definitur: *quaedam propositio, vel axioma universale per quod devenitur in cognitionem entis;* v. g. quae conveniunt uni tertio, conveniunt inter se: per hoc enim devenitur in cognitionem syllogismi, cujus ratio in eo principio fundatur. De principiis Doctor loquens in *Metaph. Text.* II. c. I. n. 3. ait, ea esse sicut locum januae, quem nullus ignorat; « licet enim interiora domus possunt ignorari, tamen circa introitum nullus errat; similiter in cognitione veritatis sunt aliqua per se nota, circa quae nullus errat; » quod principiis applicat.

Principia alia sunt propria, alia communia. Communia ea dicuntur, quae sunt fundamentum multarum scientiarum; et ista considerantur praecipue a metaphysica, quae est de ente in se, ideoque de communissimo, deque affectionibus ejus: talia sunt principia: totum est majus sua parte: omnis effectus subaudit causam; nihil est sine ratione sufficienti: idem non potest simul esse et non esse, et alia hujusmodi; et communia dicuntur quatenus omnes scientiae eis utuntur in demonstrando; non quod ipsa ingrediantur demonstrationem secundum substantiam, sed quatenus principia omnium scientiarum seu propria ab his robur accipiunt et firmitatem: ideo etsi demonstra-

tionem non ingrediantur secundum substantiam, ingrediuntur tamen virtualiter (ibi lib. III. c. I. n. 16.).

Principia PROPRIA ea dicuntur quae determinatum objectum respiciunt; v. g. pro geometria: linea recta est minima distantia inter duo puncta; pro logica: quae conveniunt uni tertio etc.; vel. dictum de omni, dictum de nullo; pro physica: natura est determinata ad unum; natura eodem modo operatur nisi impediatur; pro psychologia: homo est compositum ex anima rationali et corporé organico; pro ethica: quod tibi non vis, alteri ne feceris; bonum est faciendum, malum vero fugiendum.

Cum diximus principia propria desumere vim suam a communibus, eo sensu intelligendum est, quod si aliquod dubium de eis oritur, solvitur arguendo ab aliquo principio communi: v. g. si quis dubitat de absoluta veritate hujus principii: quae conveniunt uni tertio etc., demonstratur per aliud omnium universalissimum principium *idem non posse simul esse et non esse;* quia si *A* et *B* sunt idem cum *C* et non essent idem sibi, simul essent et non essent idem cum *C*. Idem est dicendum de principiis propriis relate ad argumenta demonstrativa; non quod demonstrationes omnes ingrediantur, sed in dubio demonstrationi firmitatem praebent arguendo sicut supra: unde a Doctore dicitur principii cognitionem non esse causam cognitionis de conclusione, sed esse ejus dispositionem (I. *Metaph.* q. IV. n. 19.).

Ex his facile patet principia scientiarum, si metaphysicam excipias, non esse communia, sed propria. Ratio, quia commune applicabile est multis et ejus influxus in conclusiones non est specialis ad eam rem, de qua inquiritur: quapropter vaga et indeterminata per ea con-

clusio habetur: « in ratione... subjecti principii communissimi non includitur propter quid aliqua passio particularis, sed tantum communissima: ergo illud subjectum non potest esse ratio cognoscendi aliquas passiones nisi communissimas » (I. S. *Prol.* q. 1. n. 30.).

De demonstratione principiorum sequentia notatu digna sunt.

I. Principia *de se evidentia* demonstratione *non indigent,* quia quod patet expresse, non est probare necesse: imo principium omnium primum *idem non potest simul esse et non esse* nullimode demonstratur, cum nullum prae se habeat principium unde desumat vim suam: solum igitur declarari patitur.

II. Generaliter principia seipsis sunt evidentia, seu ex comparatione terminorum quibus constant. Excipiuntur *principia scientiae subalternatae,* quae sunt *conclusiones subalternantis,* et nonnulla principia *physica* quae *per experientiam* et inductionem constituuntur.

III. Si aliquando principia demonstrari indigent, *non tamen in ea scientia,* cujus sunt principia, *nisi forte per accidens.* Ratio *primi,* quia demonstratio subaudit superius: atqui nihil superius in scientia est principio seu primo: ergo vel non demonstrantur principia, vel, si demonstrantur, eo ipso cessant esse principia illius scientiae.

Ratio *secundi,* quia scientiae est omnia removere obstacula evidentiae: si igitur aliquando principia carebunt tanta evidentia, scientiae erit praeprimis firmitatem eorum tueri.

ARTICULUS IV.

De causis scientiae.

Scientia, ut vidimus, est cognitio certa et evidens rei per causam, demonstratione parta, in qua medium est definitio: definitio vero complectitur principia essentialia, quae *causae* etiam appellantur: de his causis in praesenti est agendum.

Causae generales rerum quatuor a metaphysicis enumerantur, idest, EFFICIENS, FINALIS, MATERIALIS et FORMALIS: prima dicitur quae rei praebet ésse; altera rem ordinat ad aliquem finem; tertia dicitur illud essentiale corporum principium, quod est commune et indiget ab alio determinari: causa determinans materiam et a qua sunt activitates et proprietates rerum, dicitur causa formalis. Primae duae rebus extrinsecae sunt; alterae intrinsecam earum naturam constituunt.

Disputatur inter auctores de qua causa sit intelligendum, cum in definitione scientiae dicitur *per causam.* Quidam enim intelligunt de qualibet causa sive interna, sive externa. Nobis videtur distinguendum ex principiis Doctoris, sic: si agatur de demonstratione *potissima*, solum per causam *internam*, praecipue vero formalem esse arguendum: si vero agatur de *aliis demonstrationibus*, in casu sufficiens evadit *quaelibet causa*. Primum eruitur ex Doctore I. *S. Prol.* q. I. n. 30. Secundum explicatum est in II. *Post.* q. X.

Primum sic demonstratur: in omnibus demonstrationibus, quibus medium est causa extrinseca, ostenditur aliqua passio, quae non est passio subjecti, sed aliquod

commune multis; quia omnium, praeter Deum, est facta esse et ad aliquem finem ordinari. Atqui in demonstratione demonstrantur solum passiones propriae rerum, ideoque ab intrinsecis principiis earum procedentes: ergo nonnisi per causam materialem et formalem etc. Item demonstrationis medium est definitio: sed in definitione non occurrit nisi sola causa materialis et formalis. Ergo etc.

Diximus superius per causam praecipue *formalem* demonstrari; quia materia quadam nota communitatis induitur; ideoque per ipsam solam non habetur vera demonstratio, nisi prout cum forma consideratur unita.

Secundum ex facto probatur: contingit enim demonstrare per causam efficientem, sic: quod a causa sapienti est, ordinatum est: atqui mundus est a causa omnium sapientissima: ergo mundus ordinatus est. Contingit demonstrare per causam finalem, ut cum demonstratur esse utile post coenam ambulare, quia id sanitati confert.

Difficultates, quae objici solent, optime solvuntur per distinctionem demonstrationis in potissimam et non potissimam; vel distinguendo passiones rei ab his quae rei passiones revera non sunt; v. g. si quis objiciat, definitionem lunae non esse medium ad demonstrandam ejus eclypsim, ideoque in casu demonstrationem haberi per causam extrinsecam, respondetur, quod eclypsis non est passio lunae, sed accidens extrinsecus adveniens, ab interpositione terrae inter solem et lunam: aliunde itaque eclypsis est repetenda.

Illud autem cum Doctore I. *S. Prol.* q. IV. n. 41. *animadvertendum* est, quod notio scientialis, imo et scientia haberi potest etiam de accidente per causam sibi proportionatam, scilicet accidentalem: quia ipsi quoque quaedam

per modum principiorum esse possunt, illius essentiam constituentia. Hinc habetur logica quae est de ente rationis, ideoque accidente; habetur mathesis quae est de quantitate etc. Neque deest ipsi genus, imo praeter substantiam, caetera praedicamenta sunt genera accidentis; quibus item subsunt species.

ARTICULUS V.

De unitate scientiae.

Unitas scientiae vel ex parte *objecti*, de quo agit, vel ex parte *subjecti*, in quo est, spectari potest. In prima hypothesi dicitur *objectiva*, in altera *subjectiva*. Jamvero vera unitas, qua quaelibet scientia praedita sit oportet, non ex ultima, sed ex prima ducitur; quia in confesso est apud omnes subjectum esse scientiae extraneum et solum ab objecto omnia, quae ipsius propria sunt, pendere.

Unitas objectiva dividitur primo in *formalem* et *materialem*. Dicitur *materialiter* unum objectum, quod in sui ratione materiali consideratur; de quo vide supra art. II. Dicitur unum *formaliter*, quod consideratur per ea principia, quibus in respectibus formaliter diversis constituitur, quorum quilibet est unus.

Unitas formalis subdividitur in unum unitate *generica* et in unum unitate *specifica*. Primum dicitur de eo objecto quod est commune multis convenientibus in genere; v. g. unitas physicae scientiae objecti, quod est corpus. Alterum dicitur de eo objecto quod est continens multa convenientia in specie; v. g. objectum antropologiae, quod est homo (VI. *Metaph.* q. I. n. 9.).

Dicimus ergo quamlibet scientiam unam esse vel uni-

tate generica, vel unitate specifica: ratio, quia quaelibet habet objectum quoddam speciale unitate formali praeditum. Item dicimus in unitate generica *quosdam gradus* adesse: quia alia v. g. est unitas physicae, alia metaphysicae, ut patet ex objecto utriusque.

Quamvis sit de se captu facile ab objecto pendere unitatem scientiae in genere, non tamen aeque manifestum est de quonam objecto sit id intelligendum, cum multipliciter objectum dividatur, ut vidimus art. II. Dicimus autem, cum Doctore I. D. III. q. VII. n. 41. et q. VIII. n. 4. et III. D. XXV. q. II. n. 3., unitatem scientiae repetendam esse *ab unitate formali sui primi objecti.* Ratio, quia scientiae specificantur a suo primo objecto: sed ab eodem scientiae habent unitatem a quo habent specificationem: quia harum unitas non est individualis: ergo etc.

Non desunt philosophi qui scientiarum diversitatem, ideoque et unitatem a diverso gradu abstractionis desumunt (1); verum modus superius positus facilius capitur, ac insuper cunctis scientiis non difficulter applicatur; ideoque praeferendus. Videas penes Doctorem l. VI. *Metaph.* q. I. n. 10. id expositum in distinctione declaranda data ab Aristotele de scientia in physicam, mathematicam et metaphysicam. In physica enim abstractio in minimo gradu habetur, quia ipsa saepius utitur experientia. Mathesis vero a quantitate hac vel illa semper abstrahit et insuper suum objectum considerat divisim a corpore physico. Verum in ea non potest esse tanta abstractio, quanta

(1) Vide v. g. LORENZELLI. *Institutiones philosophiae theoreticae*, Prolegomena. II.

est in methaphysica; quia haec transcendit cuncta particularia entia et ens in se speculatur, seu ens in sua altissima abstractione ab inferioribus.

Quaestio exagitatur inter thomistas et scotistas de *habitu scientifico;* quorum primi *unicum* et *simplicem* esse censent unius scientiae, dum alteri *multiplicem* tuentur: et docetur a Doctore *Metaph.* ib. n. 4.

Sententia Doctoris probatur: quando aliquid de novo addiscitur per conclusiones de subjecto, inducitur habitus novus, qui contrariatur habitui determinato de ignorantia; v. g. qui post adeptionem notitiae scientificae de homine et anima, inquirit de ejus facultatibus, acquirit notitiam novam et revera distinctam a prioribus, quaeque est extra rationem formalem illarum: haec autem omnia includunt multiplicitatem: ergo scientiae multiplex est habitus. *Item,* ubi implicita multiplicitas habetur, non potest apprehendi nisi per multiplices conclusiones revera distinctas: sed haec multitudo cum thomistica unitate pugnat: ideoque repugnat unico habitu omnia apprehendi quae de subjecto scientiae dicuntur.

Attamen *est concedendum* non ita disparatos esse habitus ejusdem scientiae, ut quamdam unitatem non praeseferant; quemadmodum objectum unitate donatur, etsi multas species, vel passiones virtualiter contineat sive per modum causae, sive per aliquem ordinem essentialem. « Est igitur ille habitus unius ab unitate *primi objecti* virtualiter continentis omnia quae continentur in illo » (I. D. III. q. VII. n. 41.). Caeterum quomodo unicam scientiam illi habitus constituerent, nisi unitate vel specifica, vel generica connecterentur? Vide *Prol.* q. II. lat. n. 14.

Praestat complere articulum verbis revera aureis, quibus Doctor I. *Post.* q. XLVII. explicat quomodo ab unitate objecti multiplicitas eorum quae in scientia considerantur, profluat. « Non oportet, ait, ad unitatem scientiae genus subjectum esse unum unitate praedicationis ad omnia quae continentur in scientia; sed sufficit quod sit unum secundum analogiam... Et conveniens exemplum ponit Linconiensis. Sicut enim est de arbore, quod ejus sunt radices, quae sunt ejus principium, sic etiam ejus sunt rami existentes in arbore et ab uno exeunt alii rami, quousque fiat multitudo ramorum; ita est in subjecto scientiae, quod ejus sunt principium et ab ipso egrediuntur passiones, quae de ipso sciuntur per principium » etc. etc.

ARTICULUS VI.

De scientiarum divisione.

Quemadmodum in hac rerum universitate non unicum objectum invenitur, sed multiplex, ita non unica scientia habetur, sed multiplex. Igitur posteaquam de unitate, qua quaelibet scientia donatur, egimus, de scientiarum divisione agendum superest. Sic autem traditur:

I. Dividitur scientia ratione *subjecti* in quo residet, et ratione *objecti* de quo est. Prima subdividitur in *divinam, angelicam* et *humanam,* secundum quod subjectum est vel Deus, vel angelus, vel homo. Secunda dividitur in *speculativam,* seu theoreticam, et in *practicam.* Dicitur *speculativa* cujus finis est speculari veritatem propter veritatem; v. g. mathesis, metaphysica etc.: dicitur *practica* cujus finis est speculari veritatem in ordine ad opus;

v. g. moralis: per speculativas, ait Avicenna, nos scimus ut sciamus; per practicas vero nos scimus ut operemur. (*Prol.* q. IV. n. 4.). Vide et Seraph. I. *Prooem.* q. III.

II. Ex parte *principiorum* dividitur in *naturalem* et *supernaturalem.* Prima ea est quae procedit ex principiis et momentis ipso naturali lumine rationis notis: altera est quae principiis revelatis innititur et ea tradit quae captum humanae mentis excedunt, qualis est theologia dogmatica.

Naturalis subdividitur in *realem* et *rationis. Realis* est quae pro objecto habet ens in rerum natura existens; v. g. physica: *rationis,* vel rationalis dicitur quae pro objecto habet ens rationis fundatum; v. g. logica.

Realis adhuc partitur in *physicam, mathesim* et *metaphysicam:* prima agit de corpore, ejusque proprietatibus et legibus. Mathesis omnia quantitatis considerat. Tertia agit de ente et de his quae ens in universum respiciunt: et vocari solet *scientia prima* eo quod in ens, quod est ejus objectum, omnia resolvuntur; vel etiam *ontologia* ab ente; vel *theoria scientiae* eo quod est fundamentum omnium scientiarum.

Quaelibet subdividitur: methaphysica in *generalem* et *particularem:* particularis in *cosmologiam, anthropologiam* et *theologiam naturalem:* mathesis in *geometriam, aritmeticam* et *algebram*: physica in *mechanicam, acusticam, opticam, electricam et magneticam,* atque in *medicam, physiologicam, anatomicam* etc.

III. Ratione *quantitatis* scientia dividitur in *totalem* et *partialem,* prout vel complectitur omne id ad quod scientia se porrigit, vel aliqua solum objecti, licet praecipua, considerat.

IV. Ratione *dignitatis* dividitur in *subalternantem* et *subalternatam*, de quibus particulariter in sequenti articulo.

ARTICULUS VII.

De scientia subalternante et subalternata; deque speculativa et practica animadversiones.

Dicitur SUBALTERNATA ea scientia quae desumit suum objectum et sua principia a conclusionibus et ab objecto scientiae superioris; quae eo ipso dicitur SUBALTERNANS; v. g. medicina relate ad physicam, perspectiva relate ad geometriam etc.

Ut aliqua scientia vere subalternatae natura induatur, quaedam requiruntur ex Doctore locis citandis. *Primum* est ut objectum ejus contineatur in objecto subalternantis, tamen coarctatum; v. g. objectum medicinae est corpus, non vero in genere, sicut in physica, sed in ratione sanabilitatis (*Prol.* q. IV. lat. n. 29).

Secundum est quod subalternata addat supra objectum subalternantis differentiam accidentalem, non vero essentialem (I. *Metaph.* q. IX. n. 7.). Ratio quia in differentibus essentialiter nulla est convenientia, sicut requiritur in his de quibus est sermo: nam subalternans et subalternata ita conveniunt, ut ubi prima desinit, altera incipiat et quae innuuntur solum a prima, profunde ac abundanter ab altera evolvantur (*Prol.* ibi n. 30.).

Tertium est quod principia subalternatae reducuntur in principia subalternantis (*Prol.* ib. n. 29. et III. D. XXIV. n. 18.). Ratio constat; quia objectum eorum differt solum accidentaliter et quia conclusiones hujus sunt principia

alterius; quae conclusiones a principiis subalternantis vim suam desumunt. Videas *Paris. Prol.* q. II. n. 4.

De natura subalternatae dicimus eam revera esse *scientiam distinctam a subalternante. Primum* demonstratur, quia in ea quidquid pertractatur, per causam ostenditur: hoc autem est solius scientiae: ergo subalternata revera est scientia.

Secundum sic ostenditur; primo quia evolutio subalternatae est diversa ab evolutione subalternantis; secundo ex facto, quia quis v. g. potest esse bonus geometra absque eo quod sit bonus perspectivus; potest esse bonus naturalis, absque eo quod sit medicus etc. Vide *Paris.* ibi.

Nota. Si subalternatio late sumatur pro subjectione, tunc nihil prohibet quominus plurium scientiarum similiter subalternatarum objecta substantialiter differant; sicut patet in metaphysica, cui caeterae scientiae subjiciuntur; nec tamen idem substantialiter hae pro objecto habent.

De SPECULATIVA ET PRACTICA dicimus eas differre *formaliter;* quia dirigere ad opus et non dirigere formaliter opponuntur et unum non est idem formaliter cum altero. Verum *nota* quod eorum essentialis differentia non est sita in eo quod una speculatur et altera a speculatione abhorreat, sed in eo quod prima incipit a speculatione et in ea sistit; altera vero incipit a speculatione et desinit in praxi. Ex quo corollarium deducitur, idest quod quo magis haec recedit a praxi, eo magis ad speculativam accedit. « Quando sunt, ait Doctor, duo extrema opposita, quanto aliquid recedit ab uno oppositorum, tanto accedit ad aliud: modo actualissimam rationem practici habet consideratio, quae nata est immediate esse con-

formis formaliter praxi eliciendae; et quanto aliquid magis recedit ab isto, tanto magis accedit ad speculativum; igitur habitus universalis, qui non est immediate natus esse conformis praxi eliciendae, potest dici speculativus respectu alicujus habitus, qui natus est esse conformis praxi eliciendae... Ita potest distingui medicina in speculativam, quae scilicet est de universalioribus causis et curis, quae cognitio est remotior a praxi elicienda; et in practicam, quae est de particularibus et propinquioribus praxi et immediatius conformibus praxi. Tamen secundum veritatem illa universalior est simpliciter practica, quia virtualiter includit illam particularem formaliter conformem praxi » (*Prol.* q. IV. n. 44.). Quod clarius patet ex eo quia practica dicitur ab objecto (n. 10. ibi): nunc vero per majorem vel minorem recessum, vel accessum ad praxim, non variatur objectum. Vide ibi totam quaestionem.

Illud autem praetermissum nolumus, quod licet generaliter speculativa sit *nobilior* practica, tamen datur *exceptio*, quando practica circa finem ultimum versatur, qualis est moralis. Ratio *primi*, quia nobilius est quod est gratia sui, quam quod est gratia alterius: sed speculativa est gratia sui; scientia vero practica est gratia alterius, quia, ut diximus, speculatur veritatem in ordine ad opus. Ratio *secundi*, quia in ea hypothesi *esse gratia alterius* nobilitatur superabundanter a fine excellentissimo, cui nata est ordinare. Ibidem n. 42.

ARTICULUS VIII.

De scientia relate ad fidem et opinionem.

Opinio definitur: *adhaesio mentis alicui parti contradictionis cum formidine alterius*. Fides vero: *assensus firmus alicui vero non ob evidentiam rei, sed ob testimonium dicentis*. Haec dupliciter dividitur, idest, in *divinam* et *humanam*, secundum quod vel Deum habet auctorem, vel hominem.

A. Scientia si comparetur fidei humanae nobilior est et certior, quia fundatur in evidentia, quae generaliter praefertur non evidentiae et in sensu proprio, de quo certiores licet esse quam de sensu et auctoritate aliorum. Si vero comparetur fidei divinae, dicimus:

I. Cum Doctore iii. D. xxiii. n. 19., si *vis auctoritatis et perfectio objecti* spectetur, ea scientiae est praeferenda; quia veracitas Dei est omnino infallibilis et infinite superior veracitati creatae, et objectum de quo est fides, longe est nobilius nobilitatibus finitis, nempe Deus tamquam auctor supernaturalis beatitudinis.

II. Si autem *attingentia objecti* spectetur, fide nobilior est scientia, quia haec revera objectum attingit videndo, quod fides non obtinet. Et optime Doctor id declarat exemplo. Oculus aquilae, ait, videt solem, oculus meus videt candelam: tunc simpliciter loquendo, visio aquilae est perfectior, quia a perfectiori et acutiori potentia est elicita; sed loquendo de actu secundum proportionem ad objectum, est e converso, quia visio mea magis attingit ad totam visionem candelae, quam visio

aquilae ad totam visionem solis in se. Vide et Seraphicum III. D. XXIII. art. I. q. IV.

B. De omnimoda praeexcellentia SCIENTIAE in ordine ad OPINIONEM nihil dicimus, cum res per se pateat.

Melius est examinare quamdam quaestionem quae in scholis exagitari solet de compossibilitate opinionis, fidei et scientiae simul de eodem; circa quam vel ipsi Doctores discrepant: seu disputatur *an de eodem simul scientia, fides et opinio in eodem intellectu haberi possit.* S. Bonaventura ibi D. XXIV. art. II. q. III. affirmat. Scotus vero et D. Thomas negant. Pro quo *nota* non agi de *habitu*, sed de *actu;* scilicet non de dispositione qua quis est paratus credere omnia quae a Deo revelata sunt et revelari possunt, etsi ad ea capienda non valeat; sed de actuali statu, in quo revelata in sua evidentia apparent: nam de primo concedit Doctor *Paris. Prol.* q. II. n. 13. posse haberi et scientiam et fidei habitum, ut patet; quia v. g. Paulus post raptum semper eam dispositionem servavit, quod si Deus permisisset eum omnino oblivisci arcana visa, his tamen assensum fidei praebuisset, sicut ante visionem. Non sic tamen de secundo, de quo sit propositio:

Prop. FIDES ET OPINIO ACTU DE EODEM NON POSSUNT ESSE CUM SCIENTIA. Est Doctoris ibidem et III. D. XXIV. n. 17.

Prob. Quando effectus sunt in aliquo incompossibiles, necessario et causae simul sunt incompossibiles in causando; quia simul nequeunt causare, cum ad invicem impediantur: quare fortior sola suum producet effectum, simul debiliorem impediens. Atqui actus fidei, opinionis et scientiae sunt effectus incompossibiles de eodem in eodem; quia actus scientiae destruit et cor-

rumpit actum opinionis et visio corrumpit actum fidei, cum hic suffectus fuerit a nobiliori. Ergo neque horum causae simul in eodem de eodem manent; scilicet opinio, fides et scientia. *Praeterea* fides et opinio se habent ad scientiam sicut imperfectum ad perfectum: sed adveniente perfectione, cessat imperfectum: ergo et adveniente scientia, fides et opinio cessant. *Tandem* in contraria sententia procederet quod semel opinatum et creditum, semper in eodem maneret similiter; vel saltem nulla ratio datur cur per aliquod tempus solummodo id accideret. Atqui adveniente scientia, cessat opinio, et adveniente beatifica visione, cessat fides: ergo fides, opinio et scientia non possunt actu esse in eodem de eodem.

Objectio. Ego credo quod Ecclesia sit una, et tamen possum etiam id ratione ostendere et tenere: ergo in me de eodem est fides et scientia.

Resp. Dist. Possum id ostendere de Ecclesia in genere conc., de Ecclesia catholica, apostolica, romana neg. Pro secundo enim occurrit fides in Christum, in Apostolorum praedicationem, in Romanum Pontificem tamquam legitimum Christi Vicarium etc. Quod autem in symbolo id intendatur, non vero de Ecclesia in genere, constat ex contextu; quia quaelibet secta in genere est una unitate alicujus, quomodoquumque sit, capitis, unitate doctrinae etc., sicut patet in Ecclesia graeca: nec tamen ipsa est una eo sensu quo una dicitur in symbolo.

Instatur: in eodem symbolo obligamur credere in unum Deum; et tamen unitas divinae naturae ratione sciri potest.

Resp. Dupliciter obviam iri potest difficultati, sic: vel quia ibi unitas ponitur in ordine ad personarum Trini-

tatem, idest, obligamur credere unitatem simul cum Trinitate, ne unum sejungatur ab altero; vel sic, quia haec vulgo non cognoscitur per demonstrationem, et objectum fidei solum est rudibus, non vero his qui scientifice jam in ejus cognitionem devenerunt. Neque per hoc detrahitur fidei, quia, ut animadvertit Doctor III. D. XXIV. n. 21., fides est una; quae non desinit per hoc quod ad aliquid non se extendit jam ratione apprehensum, cum multa alia credenda supersint.

ARTICULUS IX.

De arte.

Ars a Philosopho et a Doctore *Quodl.* VIII. n. 11. definitur: ***habitus cum recta ratione factivus.*** Dicitur ***habitus*** quia non fugaciter, sed permanenter manet in intellectu. Additur ***cum recta ratione,*** tum quia ars dirigitur secundum regulas a sapientissimis traditas, non vero pro lubito cujusque; tum quia in arte quae docentur, sunt ab intrinseca natura artificialium. Dicitur tandem ***factivus,*** ut a ***scientia*** distinguatur, quae est ***speculabilium,*** et a ***prudentia,*** quae est ***agibilium.***

Hanc ***distinctionem*** optime exponit Doctor l. I. *Metaph. Text. Sum.* I. c. I. n. 17., etsi utriusque habitus in intellectu resideat. Et imprimis ***non eadem est ars cum scientia speculativa,*** ut patet; quia haec minime versatur circa praxim, sicut ars. Secundo, ***distinguitur a scientia practica;*** quia haec ***agibile*** pro objecto habet, ars autem ***factibile:*** actio autem et factio distinguuntur: ergo et scientia practica et ars. Declaratur minor, quia scientia dirigit in praxim actionem immanentem, idest non trans-

euntem in materiam exteriorem ad eam immutandam, sicut in arte accidit.

Ab arte distinguitur etiam *experimentum*, quia hoc versatur circa particulare, ars vero circa generale.

Ut magis ac magis distinctio allata pateat, distinguere oportet in arte *leges generales in se*, praecisione facta a praxi; easdem leges *in praxi;* et *solam praxim* absque legum generalium ratione intrinseca. Nunc autem primum potest stare absque aliis: quia quis potest habere habitum recte factivum, absque praxi: tertium item potest stare sine primo; quia quis potest apprehendere modum efficiendi aliquid artificiale, quin sciat rationem intrinsecam etc. Secundum item ab utroque distinguitur, quia in eo tum praxis, tum ratio praxis habetur. Nunc vero solum in hac ultima hypothesi *ars* habetur; et solus qui utrumque possidet, *artifex* appellatur: contra, qui sola opera artis in praxim deducit, *opifex* dicitur et ejus opus *experimentum* audit. Tandem in prima hypothesi *non ars*, sed *artis scientia* obtinet; quae dicitur *esthetica* si versetur circa artes ingenuas (*belle arti*), et *technica* si circa solidarum artium principia versetur.

Declaratur per comparationem desumptam a medicina. Medicus dum membra incidit, vel aegrotis curam suam impedit, non emittit actum scientificum, sed solam physicam actionem perinde ac opifex: verum quoniam ratione ducitur, artificis munus exercet; ex quo etiam *ars* medicina dicitur. Si vero haec consideretur in praeceptis et legibus tum generalibus, tum non generalibus, sicut accidit cum praeceptores eam discipulis tradunt, tunc scientiae naturam induit. Concludendo igitur dicimus *artem repositam esse* in habitu cum recta ratione

factivo, non tantum speculative considerato, sed in ordine ad praxim.

Doctor ibi de artifice et opifice loquens, scribit eos inter sese differre, sicut differt *sciens propter quid* et *sciens quia*. Imo in I. *Metaph.* q. v. n. 3. adimadvertit quod expertus seu opifex, quoniam semper circa singulare operatur, certius operatur artifice inexperto, seu eo qui scientia artis imbutus, nonnisi raro opera artis exercet.

Ars in UNIVERSALEM et PARTICULAREM dividitur, prout vel leges generales tradit, vel resolvitur in conclusiones practicas. De his disputatur an utraque sit practica. Pro parte affirmante stat Doctor (*Quodl.* ibid.). « Illud... quod dicitur de arte universali quod ipsa sit speculativa et ars particularis practica, non videtur verum, quia secundum definitionem artis, VI. *Ethic.*, ars est habitus cum recta ratione factivus: patet ergo quod omnis ars est habitus practicus, quia omnis habitus factivus est practicus. Hoc etiam arguitur ex eo quod dicitur artem particularem concipi de arte universali; quia conclusiones practicae resolvuntur in principia practica, saltem ut in principia proxima: imo videtur quod non possit resolvi aliquo modo in principia speculativa, nisi practica sit subalternata speculativae (sicut medicina *physicae*); quia omnis doctrina conclusiones proprias resolvit in principia propria, nisi sit subalternata alicui superiori, cujus conclusiones habet pro principiis. Si quandoque ergo inveniatur dictum ab aliquo auctore, quod ars universalis est speculativa et particularis practica, hoc indiget expositione et potest sic intelligi: quanto aliquod medium recedit magis ab uno extremo, tantum non solum accedit ad alterum, sed dicitur habere rationem alterius... Pro tanto

igitur notitia artis universalis potest dici speculativa pro quanto non est immediate directiva in opus, sicut est particularis. »

Ars ut sit PERFECTA debet IMITARI NATURAM; nam cum Deus sit supremus artifex et ipse naturae auctor, qui ipsum imitatur, certe perfectus evadere potest.

Verum *notandum* cum Doctore II. D. XVIII. n. 3. in duobus artem a natura *discrepare; primo* ratione principii activi; quia in natura hoc principium est determinatum ad unum; contra, in arte; quia homo ratione, phantasia et libertate praeditus artificialia potest diversimode concipere et exequi. *Secundo* ratione principii passivi; quia naturalia istud principium habent in se inclinans ad hoc ut sic agantur; artificialia vero non sic, et insuper varietatem formarum patiuntur; v. g. domus non exigit de se determinatam formam, sicut planta etc.

Praecipua divisio artium est in artes MECHANICAS et in artes INGENUAS. Hae in musicam, poesim, oratoriam, picturam, sculpturam et architecturam partiuntur. Illae variae sunt: vide ibid. *Metaph. Text.*

CAPUT VII.

De syllogismo dialectico.

Etsi tractatus de syllogismo scientifico magni in logica sit momenti ratione materiae de qua est et ratione effectus quem parit, non admodum minoris praetii est tractatio de syllogismo dialectico ratione suae latissimae extensionis et usus; quia in multis is occurrit et influit quam maxime in demonstrationem ipsam; cum ex so-

lutione quaestionis dialecticae facilis sit transitus ad inquirendam causam primam eorum quae de subjecto dialectice monstrata sunt.

ARTICULUS I.

De dialectica in genere.

A recentibus nomine *dialecticae* tota logica designatur. Verum qui pressius vestigiis scholasticorum et Aristotelis insistunt, solam eam partem logices intelligunt, quae DE SYLLOGISMO PROBABILI loquitur, vel arguente ex communibus et non propriis. « Dialectica, ait Doctor, est ex communibus et in singulis scientiis ad proprias conclusiones ex communibus arguit » (*Elench*. q. I. n. 3.).

Dialectica itaque non procedit a principiis intrinsecis, propriis et per se rei ad passiones, sed aliunde; et ea omnia complectitur quae demonstratione *propter quid* et *quia* non inferuntur. Latissime ideo patet. Pro quo *nota* ad id non requiri ut cuncta, quae in ea sunt, sint istiusmodi, sed sufficit vel una praemissarum; quia pejorem sequitur semper conclusio partem. Hinc dialectice concluditur sic arguendo: omnis homo est capax scientiae; atqui aliquis homo est albus: ergo aliquis albus est capax scientiae: nam etsi *major* sit necessaria et ex causa rei, *minor* tamen non est talis; hinc conclusio a scientiae ratione deficit.

Ex his definitio syllogismi dialectici non difficulter eruitur, qui etiam dicitur *topicus* a loco quo innititur.

Duo de dialectica in genere inquiruntur: primum AN SIT SCIENTIA; secundum, an sit scientia COMMUNIS vel PARTICULARIS?

Ad primum Doctor respondet *distinguendo* (ibi q. iii.); vel enim agitur de traditione legum dialecticarum, vel de usu. Si *primo* modo consideretur, recte dicitur scientia: quia quae de se tradit, ex natura sua tradit. Si de *secundo* sit sermo, a scientiae natura recedit, quia conclusiones inde educendae non sunt scientificae.

Ad secundum item *distinguendum* est: vel agitur de communitate subjecti, vel de communitate applicationis. *Primo* modo non est communis dialectica, quia objectum ejus est particulare, idest, syllogismus probabilis: potest tamen dici communis in *secunda* hypothesi, quia usus et applicatio ejus cunctis accidere potest, cum non semper in unaquaque scientia utamur syllogismo demonstrativo, sed saepius etiam dialectico (i. *Poster.* q. xliii.).

ARTICULUS II.

De quaestionibus dialecticis.

Quaestiones quae in genere institui possunt, sunt: *an res sit, qualis sit, quid sit, cur et unde sit. Prima* inquirit de rei existentia, *secunda* de qualitatibus, *tertia* de essentia, *quarta* praecipue de fine, *quinta* de causa rei efficiente. Diximus *cur* praecipue inquirere finem; nam a quibusdam usurpatur tamquam expressivum principiorum, quae sunt causa *cur* res sit talis, v. g. cur homo sit homo.

Verum non immerito numerus praefatus restringitur a logicis; quia per *an sit* et *quid sit* sufficienter omnia inquiruntur; per primum quidem non sola existentia rei, sed etiam qualitatum ejus; per secundum non sola causa formalis et materialis, sed etiam efficiens et finalis ad primas ordinem habentes.

Quaestio *an sit* tunc instituenda est quando vel ex parte nostra, vel ex parte aliorum, subjecti existentia incerta, vel dubia est; in quo casu reliquis omnibus praeponenda est. Ratio, quia invanum mens laborat superextruendo in incerto et labili.

Si autem inquiratur quaenam e praefatis quaestionibus ad dialecticam spectant, resolutio facile habetur ex dictis hic et Capite superiori; scilicet solam quaestionem *an sit et qualis sit* certo ad eam pertinere: cum per eas acquiratur sola notitia rei per extrinseca principia et communia pluribus. Idem est dicendum generaliter in nostra sententia (vide art. IV. Cap. praecedentis) de causa finali et efficienti; quia cum hae communes sint pluribus et rei externae, in se habent rationes spectantes ad hanc partem Logicae. Et quamvis saepius conclusionem certam praebeant prae reliquis mediis extrinsecis, non ideo tamen exuunt naturam medii extrinseci, communis et mediati rei et passionum ejus. Hinc si quis arguat hominem esse opus perfectum ex eo quod est a Deo, vel ex eo quod Deum pro fine habet, non argueret vere demonstrative, quia primum est commune creaturis cunctis; alterum item: et licet ordinatio hominis in Deum sit specialis, tamen perfectio semper nota communitatis afficitur: vel potest esse conclusio scientifica in scientia superiori, v. g. in ontologia et cosmologia; non vero in inferiori, v. g. in anthropologia.

De *requisitis* ad quaestionem Doctor II. *Poster.* q. II. n. 2. docet, *primo,* quod id de quo quaeritur, sit dubitabile; quia de manifestis nulla inquisitio: *secundo,* quod quaeribile aliquid praesupponat; scilicet, praerequiruntur notiones subjecti, passionis et principii: *tertio,* quod habeat medium.

ARTICULUS III.

De locis dialecticis.

Dialectica praecipue oratoribus inservit, qui ex lege generali postquam unum, vel alterum argumentum ex natura rei attulerunt, immorari solent in argumentis ad extra, quorum intellectio facilior est universitati auditorum, et usus permittit liberius hos et elegantius dicere. Verum quemadmodum est impossibile demonstrative arguere sine principiis propriis cujusque scientiae, ita in modo sciendi communi est impossibile arguere, nisi principia pari communitate praedita habeantur, quae in dialectica *loci* appellantur.

Locus a Theophrasto definitur: ***propositio omnium maxime universalis, quae per diversa genera rerum determinata, solutioni quaestionum dialecticarum inservire potest;*** v.g. si quis velit demonstrare melius esse servire Deo, quam servire hominibus, uti potest eo loco dialectico: ***bonum incommutabile praeferendum esse bono mutabili.***

Pro adolescentium commoditate apponimus varios locos, qui a logicis assignantur pro solutione quaestionum dialecticarum. *Nota* tamen quod loci a genere, a definitione et a proprio hic non considerantur ut ab his descendatur ad concludendum aliquid, cum sic demonstratio procedat; sed ad judicium ferendum de scientifice cognitis, sub quem locum cadant, scilicet utrum sub genus, vel speciem, vel proprium, vel definitionem etc.

I. Loci a definitione. 1° Definitio omni et soli definito convenit et cum eo reciprocari debet. 2° Quidquid affirmatur vel negatur de aliqua definitione, affirmatur et

negatur etiam de definito. 3° Quod rei naturam non ingreditur, ad illius definitionem non pertinet.

II. Loci a genere et specie. 1° A quocumque removetur genus et species, removetur etiam res subjecta. 2° Cuiquumque convenit genus, convenit etiam aliqua ex speciebus eidem generi subjectis. 3° Id quod non convenit alicui speciei, aut individuo, non est genus, cui illa species, aut illud individuum subjicitur.

III. Loci a proprio. 1° Id, quod non est simul cum re, sed vel prius, vel posterius ea, non est proprium ejus. 2° Si subjecto est proprium aliquod attributum, contrarium hujus attributi est etiam proprium contrario illius subjecti. 3° Proprium fluit a principiis rei.

IV. Loci ab accidente. 1° Accidens est quod adest, vel abest absque subjecti corruptione. 2° Contrariorum contraria sunt attributa. 3° Eidem subjecto contraria attributa inesse nequeunt.

V. Loci communes multis. 1° Finis est melior his quae ad finem ducunt. 2° Finis quo melior, eo magis praeferibilis. 3° Inter media ad finem, praeferenda sunt quae certius ducunt ad illum. 4° Quod viri probi, vel prudentes melius aestimant, id melius esse putandum est. 5° Bonum honestum praeponendum est utili et delectabili. 6° Res eo magis est eligenda, quo est opportunior tempore etc.

CAPUT VIII.

De syllogismo sophistico.

Alia pars logicae materiam respiciens ea est, quae solutioni difficultatum studet, quaeque *sophistica* appellatur. Breviter de ea hic.

ARTICULUS I.

De sophistica in genere.

Sophistica ad adversariorum cavillationes solvendas ordinatur: seu a nobis non consideratur ut aliquibus obliquitatibus utamur, quas continet, sed ut ab eis caveamus; nam sophistica, prout a nobis consideratur, non determinat ut decipiamus sicut ex parte adversariorum, sed ut deceptionem vitemus. Et quoniam evitari non potest quod non cognoscitur, ideo de modo decipiendi est hic considerandum (*Elench.* q. III.).

Modus hic per sophisma vel syllogismum sophisticum habetur, qui definitur: *syllogismus ita confectus ut sub specie veri falsum exhibeat.* Quicumque enim vult decipere, non manifeste suae doctrinae falsitatem ostendit, ne ab hominibus naturaliter amore veritatis affectis, statim respuatur; sed ita tegat falsitatem oportet, ut vera appareat. Hinc *duo* ex ibidem q. XIX. n. 4. requiruntur ad sophisma, quae tamquam illius principia haberi jure possunt, « scilicet *apparentia* et *non existentia:* si enim aliquid apparet et simul cum hoc existat, deceptionem non causat: similiter si aliquid non existat, nec apparentiam habeat, nullam causabit fallaciam. »

Sophismata vel fallaciae aliae sunt *in dictione,* seu in terminis, aliae *extra dictionem:* quae si in materia deficiunt, dicuntur *peccare in materiam,* si vero laedant leges syllogisticas, dicuntur *peccare in formam.*

Sophismata in dictione sex enumerantur, idest, fallacia aequivocationis, amphibologiae, compositionis, divisionis, accentus et figurae dictionis. Sophismata autem

EXTRA DICTIONEM SEPTEM sunt, fallacia accidentis, transitus a dicto secundum quid ad dictum simpliciter, ignorationis elenchi, consequentis, petitionis principii, non causae pro causa et plurium interrogationum; de quibus in sequentibus articulis.

Nota sophisticam, si prout ordinatur ad decipiendum consideretur, *non esse scientiam,* imo scientiae et cuilibet rectae notitiae contrariari (ibi q. VII. n. 8.): si vero prout solutioni difficultatum inservit, consideretur, *esse scientiam* asserimus: pro quo videas in artic. primo Cap. praecedentis.

ARTICULUS II.

De fallaciis in dictione.

I. Fallacia AEQUIVOCATIONIS existit quando vox quae plura significat, sic sumitur quasi unum tantum significans. *Dupliciter* fieri potest, quatenus vox vel est aequivocans *in se*, vel *ex adjuncto,* seu ex positione; exemplum primi, *canis latrat:* exemplum secundi, *sanus laborans,* quod dupliciter redditur *actu sanus,* vel qui prius erat sanus, nunc laborat (*Elench.* q. XV. et XVII.).

II. AMPHIBOLOGIA est fallacia procedens ab ambiguitate *sermonis;* et distinguitur ab aequivocatione eo quia haec est in *terminis;* v. g. vellem me capere hostes (ibi q. XIX. n. 2.). Amphibologia *tripliciter* accidit: *primo* modo quando eadem oratio plures habet *aeque principales* significationes; v. g. liber Aristotelis: etenim per eam intelligitur tum habitudo efficientis ad effectum, ut sit sensus *liber est* Aristotelis ut auctoris; tum habitudo possessi ad possidentem, ut sit sensus *liber est* Aristotelis ut do-

mini. *Secundo* modo accidit, quando eadem oratio plura significat, sed *unum principaliter, alterum vero minus principaliter;* v. g. littus aratur; haec enim oratio significat scissionem terrae per aratrum et absque diversa construendi ratione transfertur etiam ad significandam perditionem temporis (ibi n. 5.). *Tertio* modo accidit quando oratio unum in se significat, sed *addita alteri duplicem significationem acquirit;* v. g. scit saeculum: haec oratio in se exprimit saeculo inesse scientiam: si autem dicatur: « Socrates si est sapiens scit saeculum, hoc consequens *scit saeculum* est distinguendum ex eo quod *ly* saeculum potest construi a parte post de *ly scit* et tunc est sensus, si Socrates est sapiens, ipse habet scientiam de saeculo; et sic est propositio vera. Si *ly* saeculum construatur a parte ante de *ly scit,* tunc propositio est falsa sub hoc sensu, si Socrates est sapiens, saeculum habet scientiam » (ibi q. XXII.).

III. - IV. Fallacia COMPOSITIONIS et DIVISIONIS existit quando oratio plura significat ex eo quod quae accipienda sunt divisim, accipiuntur conjunctim, vel viceversa, quae accipienda sunt conjunctim, divisim sumuntur; exemplum pro fallacia compositionis; *caeci vident, surdi audiunt, claudi ambulant,* si haec sumuntur in sensu composito: exemplum alterius, si concludatur Petrum Apostolum esse duodecim, eo quod duodecim sunt Apostoli (q. XXIII. XXIV. XXV.). Doctor I. D. XXXIX. n. 17. de his loquens ait: divisionem, seu quae in sensu diviso accipienda sunt, *duplicem* in se continere propositionem, si resolvantur: unde praefatae sententiae sic redduntur: hi qui quondam erant caeci, surdi, claudi, nunc vident etc.; compositionem vero esse *unam.*

V. Fallacia ACCENTUS habetur quando causatur a voce multa significante ob varietatem accentus; v. g. *occidit,* diversa significat prout secunda syllaba producitur vel corripitur. Idem est dicendum si fallacia causetur ab aspiratione. Vide alia ibi q. XXXIV.

VI. Denique FIGURA DICTIONIS habetur quando plures dictiones diversa referentes, sumuntur quasi unum significantes praecipue ob similitudinem desinentiae; v. g. si sic arguatur: quaequumque sunt alba, sunt plura: sed mulier est alba; ergo mulier est plura. Vide tres modos hujus fallaciae ibidem q. XXXVII. et caeteras a q. XXXV. ad XLIII.

ARTICULUS III.

De fallaciis extra dictionem.

I. Fallacia ACCIDENTIS committitur quando id quod accidens est in re, sumitur ut substantiale, vel essentiale; v. g. si sic arguatur: homo est species: Petrus est homo: ergo Petrus est species: esse enim speciem est accidens intentionale, a quo non licet transitum facere ad substantiale, ut supponit argumentatio. De hac vide multa ibidem a q. XLIV. ad L.

II. Fallacia TRANSITUS A DICTO SECUNDUM QUID AD DICTUM SIMPLICITER fit extendendo ad significandum absolute, quod dictum est secundum quandam rationem: talis fallacia existeret, si ex verbis Pauli dicentis vetus Testamentum abrogatum esse, erueretur abrogata esse etiam praecepta naturalia praeter legalia: quae sola intendebantur ab Apostolo. De ea vide ibi a q. L. ad LV.

III. Fallacia IGNORATIONIS ELENCHI, seu REDARGUTIONIS

consistit in eo quod sophista objiciat contradictionem in aliqua doctrina, quae revera non est: v. g. Christus est aeternus; sed Christus natus est in tempore; ergo Christus est aeternus et non aeternus; quod sophistae ignoranti doctrinam catholicam videtur absurdum. Vide ibi q. LV. ubi etiam habetur fallaciam hanc causari ex eo quod varii rei respectus reducuntur *ad idem, secundum idem, similiter* et *in eodem tempore,* qui taliter reduci non possunt.

IV. Fallacia CONSEQUENTIS efficitur quoties ex consequenti propositionis connexae inducitur antecedens, et ex negatione antecedentis negatur consequens in conclusione; breviter quoties non servantur regulae traditae pro syllogismo hypothetico.

V. Fallacia PETITIONIS PRINCIPII sita est in eo quod idem diversis verbis sumitur ad probationem suipsius; v. g. immortale est omne id quod non moritur: sed anima nostra non moritur; ergo est immortalis (q. IV. ibi).

VI. Fallacia NON CAUSAE PRO CAUSA adest quando aliquid sumitur tamquam causa alicujus effectus, cujus revera non est; v. g. si quis argueret Ecclesiam Christi non esse bonam ex eo quod male vivant christiani: nam ratio malae vitae ex parte fidelium non est ab Ecclesia, sicut supponit sophista. Haec fallacia non fundatur in aliquo expresso, sed in aliquo praesupposito; ut in exemplo allato est propositio, omnes necessario fieri sanctos in vera Ecclesia.

VII. Denique fallacia PLURIUM INTERROGATIONUM habetur cum a sophista ita de multis fit interrogatio, ut quodcumque respondeatur sine distinctione, semper in aliquod falsum fiat lapsus; v. g. si quis interroget: habesne quod non amisisti? Si respondeas affirmando, tunc

sophista reassumit: atqui non amisisti cornua; ergo tu cornua habes: si vero respondeas negando, arguet: atqui oculos non perdidisti; ergo oculos non habes.

ARTICULUS IV.

De solutione sophismatum.

Solutio sophismatum *est manifestatio defectus qui in syllogismo a sophista opposito inveniuntur* (ibi q. LV. n. 4.). Neque enim quis induci potest ad veritatem amplectendam, nisi praeter expositionem rationum ex natura rei, vel extrinsecus deductarum, ejus etiam praejudicatas opiniones, quibus imbutus est, falsas esse demonstretur.

Solutio vel in sui generali ratione consideratur, vel relate ad fallaciam hanc, vel illam. Si *primo modo*, dicimus: quoties sophisma in materiam peccat, neganda est praemissa sic peccans: ratio quia falsum absolute est negandum: quoties autem peccat in formam, tunc distinguenda propositio est secundum partem veram et falsam et concedi debet quae veritate pollet et neganda quae redolet falsitate. Aliquando in formam peccatur per hoc quia deest nexus inter antecedens et consequens, sicut accidit v. g. quando latius patent termini in conclusione quam in praemissis: in hoc casu sophisma solvitur negando *consequentiam* et addendo rationem negationis. Caeterum meminerint adolescentes illius famosi effati logicorum: *Raro nega, saepe distingue, numquam concedas:* nam sophistae ex lege generali ad apparentiam inducendam *semper* falsum intendunt, cum aliqua tamen specie veritatis.

Si solutio relate ad *modos particulares* fallaciae consideretur, dicimus in aequivocatione, amphibologia, com-

positione, divisione, fallacia accentus, accidentis, transitus a dicto etc., ignorationis elenchi et plurium interrogationum ex regula generali semper *distinctio* adhibenda est. In figura dictionis *negatio* adhibeatur. In fallacia consequentis *negatur consequentia*. In fallacia petitionis principii impellitur sophista *ad probandum*. In fallacia non causae etc. *negatur suppositum*, in quo ratio opposita fundatur.

CAPUT IX.

De methodo.

Mentis humanae est a notis ad ignota procedere non unico syllogismo; sed saepius per longum iter ipsi conficiendum est antequam complete notitiam alicujus rei sibi acquirat. Quomodo autem semper tuta via incedere poterit, nisi plane iter tenendum sciverit? Id autem docetur a methodo; cujus utilitas vel a prima et superficiali notitia apparet manifestissime. Tractatus hic in tres partes dividitur; in quarum prima de methodo in genere et de methodo in ratione procedendi agitur; in altera de methodo agitur in ratione addiscendi et docendi; in ultima sermo est de methodo in ratione inchoandi; cui pauca addentur de methodo disputandi.

ARTICULUS I.

De methodi natura, divisione et legibus.

Methodus definitur: *ordo quem mens nostra in comparanda sibi scientia sectatur*: in quo ordine tria occur-

runt, nempe *principia* a quibus scientia proficiscitur; *processus*, seu discursus a principiis ad illationes; *finis*, seu scientiae acquisitio: verum proprie methodus in secundo sita est; deque ea hic loquimur. Sub quo respectu (nempe ratione modi procedendi) *dupliciter* dividitur, idest in *analyticam* et *syntheticam*.

Dicitur ANALYSIS ea methodus quae procedit ab effectibus ad causam, a particularibus ad universalia, a composito ad simplicia, a toto ad partes.

Dicitur SYNTHESIS ea methodus quae via opposita progreditur, scilicet a causis ad effectus, ab universalibus ad particularia, a simplicibus ad compositum, a partibus ad totum (*Metaph. Text.* l. II. n. 3. c. II.). V. g. physicus resolvens corpus in elementa, vel ex consideratione particularium phoenomenum inducens universale, vel ex visione effectuum inquirens causam, analysi utitur: contra metaphysicus a causa rei deducens passiones, ab universali deducens particulare, vel partes reducens ad unum vel ex axiomatibus probans aliquod, methodo synthetica progreditur.

Analysis vocatur methodus *resolutionis*; *synthesis* vero methodus *compositionis*: quod patet facile ex definitione utriusque.

DE LEGIBUS METHODI. *De legibus generalibus.*

Lex 1ª. A notis ad ignota, vel a magis notis ad minus nota procedatur, cum id expostulet natura mentis nostrae.

Lex 2ª. Ordinatim procedatur; quia methodus est ordo et via, qua mediante mens veritatem assequitur.

Lex 3ª. Termini sint naturales, manifesti et accomodati; quapropter excludendus est a methodo sensus me-

taphoricus et translatus; quia hic non modo oratorum progredi, sed rigorose fas est.

Lex 4ª. Simplicitas comes sit; quia complicatio generat confusionem, et confusio est maxime scientiae exitialis.

Lex 5ª. Si necesse est, veritas de qua est sermo, utraque methodo demonstretur.

De legibus analysis.

Lex 1ª. Observentur regulae divisionis, ut C. II. a. XIV. dictum est.

Lex 2ª. Serventur leges bonae inductionis, ut C. V. a. VI. exposuimus.

De legibus synthesis.

Lex 1ª. Initium sumatur semper ab universalioribus, vel a definitione quidditativa.

Lex 2ª. Si necessarium est, ponatur explanatio principiorum. Ratio quia nobis difficilius est progredi methodo synthetica; quare si omnia non forent aperta et manifesta, mens facile difficultatibus implicaretur, vel unum vel alterum inobservatum praetermitteret.

ARTICULUS II.

De methodo in docendo et addiscendo.

In quolibet progressu scientifico, vel analysi, vel synthesi progredi licet; ideoque etiam in docendo et addiscendo.

« ADDISCERE est acquirere cognitionem alicujus de novo et sub propria ratione » (I. *Post.* q. II.); scilicet quod prius solum universaliori et imperfectiori ratione scie-

batur, scitur in sui ratione formali, quod est quasi aliquid de *novo* addiscere.

Docere est causare scientiam in mente aliorum.

« Dicendum (de his scribit Doctor I. *Metaph.* q. IV. n. 3.) quod dupliciter generatur scientia, per inventionem et per doctrinam; scilicet illa quae per inventionem prior est; nullus enim docet nisi qui didicit vel per doctrinam vel per inventionem; et si per doctrinam, adhuc habuit ab alio prius sciente. Est autem de istis duobus modis addiscendi sicut de sanatione: quandoque enim natura est ita potens, quod sine adjutorio extrinseco inducit sanitatem; quandoque indiget adjutorio extrinseco: sed adhuc illud extrinsecum non est nisi instrumentum et natura principaliter est sanans: ita in quibusdam naturale lumen intellectus est ita potens quod ex se sufficiat quod applicet principia ad omnes; et tunc dicitur scientia acquiri per inventionem. Quandoque non potest, et tunc juvatur quibusdam signis sensibilibus propositis sibi a docente; per quae docens exprimit applicationem quam apud se habuit et addiscens concipit et in virtute luminis proprii conclusioni consentit, quam deductam esse videt ex principiis sibi prius notis. » Videas et II. D. XI. n. 5.

Verum *utra methodo* utrisque utendum est, *analysi* vel *synthesi?*

I. Dicimus generaliter cum schola *utramque esse necessariam; tamen analysis debet synthesim praecedere.* Ratio *primi,* quia sola analysis non est sufficiens, cum per eam causa omnium passionum ignoretur, nisi retrogrediatur post inventam causam ad nexum ejus cum passionibus. Ratio *secundi,* quia mentis nostrae est, ut clarius patebit in Psychologia, ab effectibus ad causam procedere, seu

methodo analytica: quod autem est secundum naturam, sectandum est. Ergo etc.

II. Dicimus in particulari, in scientiis physicis et his affinibus melius esse in initio uti analysi. Ratio patet, quia in hujusmodi scientiis experimentum praevalet, ideoque et methodus analytica. Contra in mathesi optime uti licet methodo synthética, licet etiam analysis non sit ei extranea. Ratio primi eruitur ex evidentia ex parte objecti de quo est ea scientia.

III. Quando non traditur scientia adolescentibus, sed sermo est cum viris doctis, sicut saepius accidit in academicis dissertationibus, altius et sublimius exponitur sermo, si synthesis adhibeatur.

IV. Discipuli in praxi diligenter in magistri verba incumbere debent et praeceptis illius obtemperare: magistros vero ordini, claritati, simplicitati studere oportet.

Pro conclusione articuli animadvertimus falso asseri a Cartesianis in cunctis scientiis methodum geometricam commendandam esse, in hisque semper mathematicam certitudinem requiri. Non enim quaelibet scientia suum objectum similiter habet abstractum a materia, ideoque a principiis qualibet mutatione exutis. Et quoniam ab objecto scientiae distinguuntur, non omnes ratione eorumdem objectorum pari ratione participant certitudinem et necessitatem. Hinc etsi in mathematicis et metaphysicis ne ex miraculo quidem possit fieri derogatio, non tamen in physicis. Et nihilominus hae ultimae non excluduntur a campo scientifico. Concludendum ideo est non in omnibus scientiis mathematicam certitudinem requiri, neque semper methodum geometricam commendandam esse.

ARTICULUS III.

De methodo in inchoando.

Methodus in ratione inchoandi inquirit DE PRINCIPIO a quo initium ducendum sit in perlustratione veritatis. Quidam hoc principium reponunt *in sola experientia*, praecisione facta ab inquisitione causae quam spernunt; sicut positivistae. Quidam e contra oppositam viam tuentur, initium desumentes *ab intrinseco:* qui tamen in diversas abeunt opiniones. Ontologi principium philosophandi reponunt in intuitione Dei, in qua omnia videntur: Innatistae reponunt in ideis innatis: Jouffroy cum suis in caeca fide facultatibus adhibenda: Cartesius in dubio universali, statuens ante initium philosophandi dubitandum esse de omnibus, excepta conscientia de propria existentia; quae primo cognoscitur per illud, *cogito; ergo sum:* tandem scholastici initium reponunt IN EXPERIENTIA CUM PERFECTIONE IN INTELLECTU.

Quaenam autem harum sententiarum sit vera, breviter hic explicatur. Dictum est breviter, quia de hac materia longus erit sermo in Psychologia, cum de origine idearum agetur; quia methodus in ratione inchoandi arcte connectitur cum quaestione de origine idearum.

Ut clara sit resolutio, *duo* tamquam principia certa ponenda sunt:

I.um Talis methodus est ponenda, quae apta est acquisitioni scientiae; et ratione contrariorum rejicienda est quae ad id impar est. Ratio deducitur ab intrinseca methodi natura, quae est via ad scientiam.

II.um Dum per methodum consulitur scientiae, neces-

sarium est ut aptetur naturae cognoscenti: quod item de se patet.

Nunc vero inter praefatas sententias, solummodo ultima hisce principiis consonat; caeterae ideo erunt rejiciendae. Tota haec materia sequentibus propositionibus expletur.

Prop. I. INITIUM PHILOSOPHANDI REPOSITUM IN SOLA EXPERIENTIA NON PRAEBET DE SE SCIENTIAM; IDEOQUE REJICIENDUM. Est Doctoris III. D. XXIV. n. 19. et alibi.

Prob. Per solam experientiam acquiritur notitia factorum; sed horum causa negligitur, quae indiget perscrutatione, cum saepius sit occulta: atqui scientia est notitia per causam: ergo in prima opinione numquam scientia acquiritur: sed scientiae acquiruntur, quia rerum multae causae a nobis inveniuntur. Ergo etc. *Item* apud sanae mentis philosophos in aestimatione est demonstratio potissima, per quam scientia praebetur: atqui positivistae suo principio repellunt demonstrationem: ergo methodus positivistarum rejicienda est.

Prop. II. INITIUM PHILOSOPHANDI NON EST SUMENDUM SOLUM AB INTRINSECO, QUOCUMQUE MODO EXPONATUR. Est Doctoris I. D. III. q. VII. et VIII.

Prob. Scientia etsi mente acquiratur, tamen versatur circa aliquod objectum quod saepissime est menti extrinsecum. Verum ad notitiam scientificam oportet ut objectum intellectui conjungatur, ita ut videatur in sui natura et causa; quod sane non intelligitur sine cooperatione intellectus et objecti in idem. Atqui in sententia praeposita prorsus negligitur objectum et cooperatio illius ad notitiam. Ergo non potest ea sententia esse rectum initium philosophandi. *Item* initium philosophandi certissimum

et absolutum sit oportet; quia si fundamentum vacillat, tanto magis id quod superstruitur. Sed opiniones praefatae non solum sunt dubiae ob incertitudinem de Dei intuitione et de innatis ideis, ut in Psychologia videbimus, sed insupér opponuntur conscientiae. Ergo etc.

Prop. III. Caeca fides non est methodus philosopho digna.

Prob. Methodus debet esse rationalis: atqui caeca fides facultatibus praebenda non est rationalis, cum inquisitionem rerum per rationem spernat. *Item* non semper facultates verum referunt: per caecam autem fidem nequiret distingui quando ipsae verae sunt et quando falsae.

Prop. IV. Dubitatio Cartesii futilis est et debilitat admodum fundamentum totius certitudinis.

Prob. I. pars, quia nulla apparet necessitas illius dubii: nam « quantum ad certitudinem de principiis dico sic, quod termini principiorum per se notorum talem habent identitatem, ut alter evidenter necessario alterum includat; et ideo intellectus componens illos terminos ex quo apprehendit eos, habet apud se necessariam causam conformitatis illius actus ad ipsos terminos, quorum est compositio, et etiam causam evidentem illius conformitatis et ideo necessario patet sibi conformitas illa, cujus causam necessariam et evidentem apprehendit in terminis; igitur non potest esse in intellectu apprehensio terminorum et compositio eorum, quin stet conformitas illius compositionis ad terminos, sicut non potest stare albedo et albedo quin sit similitudo etc. » (I. D. III. q. IV. n. 7.). Breviter; dubium de his solum est habendum quae difficiliora sunt exploratu; non vero de his quae patent, sicut accidit in multis.

Prob. II. pars: quae consequitur ex prima: multa enim ita patent, quod si de his dubitandum foret, etiam de conscientia relate ad propriam existentiam induci posset dubium.

Prop. V. Vera methodus est sola illa a scholasticis tradita.

Prob. Tum quia scientiae adeptioni accomodata est, tum quia aptissima naturae mentis nostrae. *Primum* sic ostenditur. Methodus scholastica incipit a sensu; verum sua perfectio est in intellectu: incipit ab effectu; tamen non spernit causam; imo jubet causam inquirere in omnibus, ubi licet. *Secundum* sic probatur. Natura mentis nostrae non ita soluta est a sensu, ut ab eo nihil habeat: imo experientia compertum est nos prius perfici et evolvi in parte inferiori, indeque in superiori; itemque carentiam alicujus sensus in causa esse privationis scientiae illius objecti quod per sensum illum percipitur; tandem maxime in intellectum influere evolutionem perfectam vel imperfectam sensuum: quibus omnibus scholastica methodus apprime correspondet.

ARTICULUS IV.

De eclectismo.

Eclectismus ea methodus dicitur quae tuetur *tutam et expeditam viam ad scientiam reponendam esse in selectione veritatum in quolibet systemate philosophico contentarum.* Sic autem a Cousino ejus inventore exponitur.

1. Errorem purum non posse in mentem humanam cadere, sed errorem nihil aliud esse nisi veritatem incompletam.

II. Ideo philosophorum systemata dici falsa quia incomplete veritatem exhibent, non quod nullam partem veritatis contineant.

III. Nullum adhuc philosophum in unum collegisse veritates: quare nostrum esse asserit hoc opus aggredi. (*Fragm. Préf.*).

De eclectismo notamus, *primo* falsum omnino esse errorem nonnisi veritatem incompletam dici; quia si quid hi termini significent (*veritas incompleta, error*) inquiratur, statim fallacia apparebit; cum quilibet per veritatem incompletam intelligat partem veri tantum, quin aliquid asseratur de parte ignota; sicut revera per errorem asseritur et quidem contra rei naturam.

Secundo, a Cousino inquirimus an in colligendis veritatibus aliquae regulae servandae sunt vel non: si hoc, vere chaos inordinatum ex ea methodo resultabit: si alterum, eclectismus non erit methodus, sed sub methodo.

Tertio, falsum esse in quolibet systemate philosophico, etiam quando falsitatis accusatur, reperiri veritatem in parte; quia systema non materialiter, sed formaliter considerandum est: sub quo respectu nullimode vera evadit sententia Cousini. V. g. cum materialistae asserunt *omnia esse materialia*, non disjunctive id est sumendum, sed sensu composito; ita ut sensus sit *nihil esse quod spirituale sit*: sub quo respectu omnino falsa est assertio materialistarum.

ARTICULUS V.

De disputatione scholastica.

SCHOLASTICA DISPUTATIO sic instituitur. Ante omnia seligatur thesis non minimi momenti, atque designentur defendens et objiciens vel objicientes.

Studium autem defendentis erit ante omnia declarare quid sibi termini velint et quid propositio: si multiplex sit in eis sensus, determinetur quinam defendatur et quinam rejiciatur; nec praetermittendum est oppositas sententias innuere cum suis patronis.

Hoc praestito, afferat rationes pro sua propositione sectando methodum rigorosae argumentationis et brevitati in verbis studeat, ut facile ab adstantibus intelligatur. Nec spernenda erit quaedam elegantia in dicendo: licet praecipue claritati et soliditati rationum studendum sit. Completa demonstratione, invitet objicientes ad suas difficultates proponendas.

Opponens tenetur in forma arguere, idest tenetur assumere contradictoriam thesis defensae, illam argumento stabilire, atque dein secunda et tertia vice partem a defendente negatam affirmare et hoc probare. Hinc ipsius erit prius objectiones latiores exponere, inde restrictiores, ut locus detur reassumptioni; itemque ipsius erit semper proponere ea quae distinctioni occasionem praebent.

Inter objectiones autem eligat objiciens quae solidae vel sunt vel saltem habentur aut apparent, omissis, imo spretis futilibus.

METAPHYSICA GENERALIS

SEU

ONTOLOGIA

PROOEMIUM.

Metaphysica etymologice spectata *scientia transcendens* dicitur, a graecis vocibus « μετὰ » quod est *trans* et « φύσις » quod est *natura* (*Prol. Metaph.* n. 5.), tum quia causas praecipue altissimas rerum perscrutatur; tum quia transilit experimentalia et speculabilia considerat.

Quod ut clarius pateat *notandum* rationes rerum in *particulares* et *generales* dividi: priores constituunt naturam hanc vel illam, et sic propriae evadunt rei ut alteri tribui nequeant: v. g. ratio seu causa hominis: alterae vero communes sunt multis vel cunctis rebus. Ex quo enascitur divisio metaphysicae in *generalem* et *particularem*, prout vel ens in genere considerat, vel determinatum genus entis. De ente determinato agit cosmologia, psychologia et theologia naturalis: de ente vero in genere est *ontologia*, seu *metaphysica generalis*.

Haec definiri solet: *scientia quae considerat ens et quae ens sequuntur:* neque enim in particularibus, vel inferiorum notitia sistit; sed facta ab his abstractione,

ens in genere vel in suo simplici conceptu cum his quae propria sunt entis, ut ens est, speculatur: « Maxime scibilia, scribit Doctor ibid... sunt communissima, ut est ens inquantum ens et quaequumque sequuntur ens inquantum ens... haec autem communissima pertinent ad considerationem metaphysicae secundum Philosophum in 4. hujus in principio: *Est enim scientia quae speculatur ens in quantum ens et quae huic insunt secundum se.* »

Metaphysica generalis multimodis appellari solet: et imprimis simpliciter *philosophia prima* dicitur, utpote quae de fundamento totius scibilis est: ob quam causam additur *prima*. Vocatur etiam *sapientia*, quia altissimas et supremas rerum causas investigat. Item *protologia* aut *theoria scientiae* dicitur ob influxum ejus in directionem scientiarum omnium. Tandem *ontologia* usitatiori vocabulo appellatur ab ente, cujus naturam et passiones considerat.

Quamvis non difficulter ex dictis appareat hujus scientiae *objectum*, tamen quoniam a quibusdam contrarium traditur, sic breviter enti vindicatur haec dignitas: metaphysica est scientia communissima, ideoque considerans id in quod ultimo resolvuntur objecta cuncta reliquarum scientiarum: sed hoc est ens: ergo ens est objectum ejus (ibi et VI. q. IV. et *Prol.* q. I. n. 14. et q. II. lat. n. 20.).

Pari facilitate declaratur ei convenire dignitatem *scientiae speculativae:* tum quia ei convenit generice definitio scientiae, cum notitiam certam et evidentem entis et passionum ejus per causam illius intrinsecam praebeat; tum quia haec non considerat suum objectum in ordine ad opus et ad praxim, sed in se et absolute.

Potius dubium exoriri potest relate ad dignitatem et utilitatem, cum metaphysica videatur versari circa levissimum, idest, ens, levissima idcirco notitia mentem adornans. Verum non ita est, cum ipsa *maxima scibilia* tradat. Dicuntur autem « maxima scibilia dupliciter, vel quia primo omnium sciuntur sine quibus non possunt alia sciri; vel quia sunt certissima scibilia: utroque autem modo ista scientia considerat maxime scibilia... Probatio minoris quantum ad utramque partem. Quoad primam partem sic: maxime scibilia primo modo sunt communissima, ut est ens in quantum ens et quaequumque sequuntur » ipsum; nam « alia specialiora non possunt cognosci nisi illa communia prius cognoscantur, et non potest istorum communium cognitio tradi in aliqua scientia particulari... Secunda pars minoris probatur sic: certissima cognoscibilia sunt principia et causae et tanto secundum se certiora, quanto priora: ex illis enim dependet tota certitudo posteriorum: haec autem scientia considerat hujusmodi principia et causas: » ideoque dignissima evadit atque utilissima (*Prol. Met.* n. 5. et 6.).

Neque contra hanc conclusionem opponi potest theologia de Deo, ideoque de objecto omnium dignissimo disserens: quia etsi inter *particulares* scientias primatum obtineat, non tamen absolute id sibi vindicat. Ratio, quia objectum ejus resolubile est in objectum metaphysicae; cujus idcirco tamquam pars cujusdam totius considerari potest: tum quia haec non indiget theologia ad sui evolutionem, quemadmodum theologia hac indiget ad sui tractationem plenam et certam: nulla enim est scientia quae ab ea non mutuetur, idest, fundamentum et firmitatem, nullaque quae ad ipsam non ordinetur (ibid. n. 8.).

Pro coronide apponimus hic conditiones ad sapientiae naturam praerequisitas discerptas ex *Met. Text.* l. XI. n. 3. etc., quas omnes metaphysicae appropriari posse patet. *Prima* conditio est ut universalitate gaudeat. *Secunda* ut sit circa difficillima et a sensibus remota; quorum primum a secundo profluit, cum nimis saltem pro nunc sensibus implicemur in evolutione nostrae cognitionis. *Tertia* ut sit omnium certissima. *Quarta* ut principia proferat et statuat aliarum scientiarum. *Quinta* ut propter se, seu gratia sui expetatur, nec alteri subjiciatur. *Sexta* tandem ut ad se caetera trahat quasi ad famulandum.

De hac sapientia igitur acturi totam materiam in varia capita partiemur; cujus ordo ita disponetur. *Primo* de ente, ejusque natura agemus. *Secundo* de entis principiis tum essendi, tum cognoscendi sermonem faciemus. *Tertio* de illius proprietatibus vel passionibus. *Quarto* de causis. *Quinto* tandem de divisionibus entis pertractabimus.

CAPUT I.

De entis natura.

Jam in Logica innuimus duplicis esse generis ens, scilicet, *rationis*, quod in mente existit et *rei* quod praeterea in rerum natura invenitur. Quoniam vero differentia formalis logicae a metaphysica in eo sita est quod illa directe de intentionibus et solum indirecte de rebus intentionibus respondentibus peragit; contra metaphysica de rebus directe loquitur et nonnisi indirecte de ideis; hinc praesens tractatio directe de ènte in re erit; et si

quandoque de conceptibus, de his tamen per accidens considerat et semper in ordine ad rem. Quod saepe prae mente habendum est ad evitandam confusionem, praecipue his in locis, in quibus quaedam innuuntur jam in Logica pertractata ob nexum eorum cum metaphysicis.

ARTICULUS I.

De ente in genere.

Ens vel prout est *participium* verbi substantivi *sum*, vel prout est *nomen* considerari potest. Tamen a nobis hic non sub primo aspectu, sed sub altero inspicitur. Sub quo *notandum* ipsum vere et proprie definitione carere: ad hanc enim, ut in Logica visum est, tum genus, tum differentia necessaria est: vel requiritur ut definibile resolvatur in duas realitates, quarum una sit loco generis, altera vero loco differentiae. Atqui ens, utpote omnium simplicissimum, plures has realitates non continet; imo est id in quod realitates omnes ultimo resolvuntur; ergo proprie et vere definiri non potest.

Nihilominus nihil prohibet quominus describatur et ita designetur, ut a quolibet alio distinguatur. Sic autem descriptio traditur: *Ens est quidquid habet esse*. Dividitur in *reale* et *ideale*. *Primum* dicitur quod habet esse in rerum natura; seu « est illud quod ex se habet esse, circumscripto omni opere intellectus, ut intellectus est » (I. D. VIII. q. IV. n. 10.). *Alterum* habet esse solum in intellectu.

Si ens consideretur prout est cognitum, ideoque medio quodam modo inter realitatem et idealitatem, *conceptus objectivus* entis obtinetur; circa cujus naturam tres

exagitantur quaestiones inter scotistas et thomistas: scilicet: *primo,* an conceptus entis objectivi sit unus? *secundo,* an sit distinctus a conceptibus inferioribus? *tertio,* an sit univocus omnibus etc.? Hic breviter prima et secunda quaestio resolvitur: de tertia in sequenti articulo sermo erit.

Sensus quaestionis est: an conceptus entis plura referat, vel unum tantummodo? ita ut conceptus hic sit alius a conceptu inferiorum, v. g. hominis, substantiae, accidentis etc.? Thomistae negant; contra scotistae affirmant. Ad quod probandum statuitur sequens propositio:

Prop. CONCEPTUS OBJECTIVUS ENTIS EST UNUS ET SIMUL DIVISUS AB INFERIORIBUS. Est Doctoris ibidem n. 6.

Prob. I. pars. Cum ens audimus vel intelligimus, non distrahimur in plures conceptus, sed in uno tantum sistimus, sicut quando objectum aliud inferius apprehendimus. Conceptus entis ergo unus est. Vel sic argue. Si conceptus entis foret multiplex, multa simul repraesentaret. Atqui conceptus entis non multa repraesentat, sed simpliciter *actum* essendi. Ergo etc.

Prob. II. pars. Conceptus ille dicitur metaphysice distinctus ab alio, qui ex natura sua pauciora dicit quam alter. Sed conceptus entis simpliciter pauciora dicit quam conceptus inferior: patet: nam dum ens importat solum actum essendi, *homo* e contra importat actum essendi sic et sic, scilicet *ens substantia vivens animal rationale.* Ergo conceptus entis ex natura sua est distinctus a conceptu inferiori. *Item* quae non distinguuntur, eamdem exquirunt definitionem: atqui descriptio entis est distincta a definitione inferiorum. Ergo sunt distincta ab invicem.

Neque obstat quod ens, utpote universale, continet

omnia sub se posita; quia non agitur de continentia physica, sed de metaphysica; ideoque et de metaphysica unitate, quae obtinetur per abstractionem et praecisionem. Quisnam negat conceptum hominis esse unicum? Et tamen est resolubilis et in alias notiones quas continet. Multo igitur magis verum id evadet de ente, cui deest capacitas divisibilitatis.

Quod autem eadem continentia non noceat distinctioni praefatae, patet: quia universalitas entis ad inferiora se habet sicut conceptus indeterminati ad conceptum determinati: atqui hi conceptus distinguuntur: ergo et entis conceptus ab inferioribus.

ARTICULUS II.

De entis univocatione vel analogia.

Circa hoc, ut innuimus superius, discrepant schola *thomistica* et *scotistica*: prima tuetur ens dici solum *analoge*: secunda vero tuetur illud dici *univoce*. Quid hi termini inferant, videas in *Logica Majori* C. I. art. VI. Hic solum revocamus *quatuor gradus univocationis* a nostratibus dispositos; quorum primus (qui et perfectior) obtinet quando idem reperitur in diversis et secundum idem *nomen* et *rationem, modum essendi, ordinem* et *perfectionem*: si dematur perfectio eadem, habetur secundus gradus: si perfectio et ordo, tertius gradus: si praeterea dematur et modus essendi, habetur quartus; qui simpliciter consistit in habendo idem nomen et eamdem rationem.

Dum scotistae suam sententiam defendunt de univocatione in praefatis, non de primis tribus gradibus loquuntur, sed *de quarto* solum; qui cum admodum a per-

fectione gradus primi deficiat, a quibusdam vocatur etiam *univoco-analogum*. Sit igitur propositio:

Prop. Ens est univocum Deo et creaturis, substantiae et accidenti. Est Doctoris I. D. III. q. II. n. 6. et q. III. n. 9. et alibi.

Prob. Dicitur univocum quod pluribus inest et secundum idem nomen et eamdem rationem: atqui ens secundum idem nomen et eamdem rationem, vel secundum veram entitatem tum Deo et creaturis, tum substantiae et accidenti inest; quia revera de his dicitur et praedicatur. Ergo ipsis omnibus est univocum.

Praeterea « aliquis videns philosophos discordare, potest esse certus de quoqumque eorum, quod quilibet posuit primum principium esse ens; et tamen propter contrarietatem opinionum eorum, potuit simul dubitare utrum sit hoc vel illud; et tali dubitanti si fieret demonstratio concludens, vel destruens aliquem conceptum inferiorem, puta quod ignis non erat ens primum, sed aliquod praestantius primo ente, non destrueretur ille conceptus primus sibi certus, quem habuit de ente, sed salvaretur in illo conceptu probato de igne » (q. II.): quod sane innuit conceptum entis, ideoque ens ipsum esse univocum etc. *Tandem* sic argue: nos in Dei notionem per creaturas pervenimus, sicut in notionem substantiae mediantibus accidentibus; non vero e contra: atqui ex opposito accideret in contraria sententia; quia in notione analogi nos pervenimus per anteriorem notitiam univoci. Si ergo ens vere soli Deo convenit et creaturis analogice tantum, prius notitia Dei requireretur ut perveniretur ad notitiam creaturae. Idem de substantia relate ad accidens dicatur. Videas et in *Paris.* ibi q. I. n. 5. etc.

Objectio. In sententia Scoti favetur pantheismo, quia idem actus cunctis rebus perinde ac Deo tribuitur.

Resp. Dist. Tribuitur cunctis idem nomen et ratio, conc.; tribuitur idem actus secundum eamdem perfectionem et ordinem et modum essendi, neg.

Instantia. Univoco-analogum videtur involvere contradictionem. Ergo etc.

Resp. Negatur. Ratio habetur in praenotandis. Videas, si cupis, II. D. XII. q. II. n. 8. ubi Doctor ostendit falsum esse analogum semper reperiri tantum in uno realiter et in aliis per attributionem ad illud: exceptio enim ponenda est in creatura ad Deum; quia licet *esse* primo et principaliter conveniat Deo, tamen *realiter* et *univoce* convenit etiam creaturae. — Caeteroquin illa apparens contradictio spectat non Scoti, sed quorundam discipulorum doctrinam.

ARTICULUS III.

De ente in relatione ad sua inferiora.

Duo de ente sub hoc respectu sunt consideranda; quorum *primum* sic exprimitur: an ens relate ad sua inferiora sit genus? Et quoniam resolutio est negativa, adhuc inquiritur *secundo:* quomodo ergo ipsum ad illa se habet?

PRIMA inquisitio ortum ducit a traditis in praecedenti articulo; quia esse *univocum* simul cum inferioribus videtur esse idem ac esse *genus*.

Negatur tamen. Ratio, quia genus indiget in speciem determinari per aliquid quod est extra rationem formalem sui: quapropter si ens genus foret, per *non ens* indigeret determinari; quia extra ens, solum *nihilum* est. Atqui

nihil non potest determinare. Ergo repugnat etiam ens tamquam genus assignari. Vide S. Thom. I. q. III. art. 5.

Ratio autem dubio praefato originem tribuens, idest, idem esse univocum et genus, nulla est: quia univocum latius patet quam genus, cum hoc non expleat totum univocationis ambitum; ut videre est in inferioribus speciei, quae sunt vere, imo in gradu primo univocationis, quin tamen eorum superius sit genus. Etsi ergo sit verum quod quidquid dicitur de superiori, etiam de inferioribus dicatur, non tamen ex opposito.

Notandum tamen cum Doctore *Rer. Princ.* q. XVI. n. 11. non repugnare ens dici posse *genus transcendens*, si consideretur in sua generalissima divisione in categoricum et transcendens; quia revera ad modum generis ad categorias se habet, non quidem determinatum per veras differentias, sed per diversos modos essendi, ut statim tradetur.

Pro solutione SECUNDAE quaestionis *praenota primo* ens revera in sua inferiora determinari et discerpi: quo nil clarius, cum prae oculis entia innumera habeantur, quae dum in *ente* conveniunt, *differunt* tamen essentialiter ad invicem; ideoque praesupponuntur variae entis determinationes.

Secundo praenota recte a scotistis distingui modos a differentiis. Dicitur metaphysice *differentia* realitas seu formalitas quaedam *perficiens, constituens, distinguens* et *contrahens* realitatem vel formalitatem superioris, ita ut ex utroque fiat metaphysicum quoddam compositum; ut videre est in *rationali* relate ad *animal*. *Modus* vero est qui additus rei, tantummodo eam modificat vel in se, vel in alio, vel ad aliud, vel quoad esse, vel quoad operatio-

nem, quin tamen constituat cum re compositum metaphysicum; v. g. gradus albedinis. Differunt ergo quam maxime ad invicem.

Modus in *intrinsecum* et *extrinsecum* dividitur. *Extrinsecus* dicitur quando forma licet rem afficiat, tamen ens additum est extra totam rei essentiam: talis modus habetur in praesentia locali, in situ, in habitu etc. etc. relate ad rem locatam, sitam etc. Modus dicitur *intrinsecus* qui rem intrinsecus afficit, quin variet rationem formalem rei, vel constituti; v. g. gradus octavus in albedine (1. D. VIII. q. III. n. 26.). De quo sic ibidem n. 28. scribit Doctor: « quando intelligitur aliqua realitas cum modo intrinseco, ille conceptus non est ita simpliciter simplex, quin possit concipi illa realitas absque modo illo; sed tunc est conceptus imperfectus illius rei: potest etiam concipi sub illo modo, et tunc est conceptus perfectus illius rei. » — *Tandem nota* modos, quibus ens dividitur, non esse extrinsecos, sed intrinsecos.

Prop. Ens ad sua inferiora contrahitur non quidem per differentias, sed per diversos modos essendi. Est Doctoris ibidem.

Prob. I. pars. Differentia cum sit extra rationem formalem generis, facit cum eodem compositionem metaphysicam. Atqui repugnat ens cum inferioribus facere compositionem talem. Ergo repugnat esse genus et dividi et contrahi per veras differentias. Minor patet; quia secus, dum ad increatum determinaretur, Deum faceret compositum ex genere et differentia; quod repugnat, ut videbimus in Theologia ubi de simplicitate Dei: itemque primum Ens in specie constitueretur per differentiam finiti et infiniti. Minor item constat relate ad categorias:

quia ens determinari exquireret per aliquid extra se, idest per nihilum: nihilum autem, ut diximus, repugnat esse differentiam: ergo etc.

Prob. II. pars, quae consequitur ex prima gradiens media inter utrumque extremum. Infinitum enim et finitum, substantia et accidens non variant rationem formalem entis, sed tantum ipsum ens intrinsece modificant; quia addita illi, non faciunt novam entitatem, sed simpliciter reddunt ens hoc vel illo modo affectum. Et licet non sit idem ens et modus, tamen non sunt duae formalitates sicut genus et differentia.

Obiect. Ens, in Deum et creaturam, in substantiam et accidens contrahitur, sicut aliquid potentiale per actuale, constituens essentialiter diversa, ut patet. Sed hoc est proprium differentiae. Ergo ens per veras differentias contrahitur.

Resp. Dist. prima pars majoris: ens contrahitur per modum cujusdam late potentialis, conc.; stricte potentialis, sicut accidit generi vero, neg. Dist. altera pars: constituit essentialiter diversa et ad id est sufficiens modus, conc.; secus, neg. Neg. min. et cons. Quoniam ens per modum generis transcendentis est relate ad inferiora, ita haec per modum differentiarum considerare licet relate ad ens; non tamen proprie ut talia haberi queunt. Hoc quoad primam partem distinctionis. De secunda dicimus: non semper quidquid facit aliquid differre essentialiter, est differentia vera; sed solum quando plura in vero genere conveniunt: differentia enim est correlativa generi.

ARTICULUS IV.

De nihilo.

Mos est in scholis post institutum sermonem de aliqua re, etiam de suo opposito peragere: tum quia opposita juxta se posita magis elucescunt; tum quia id admodum confert ad plenitudinem scientiae, cum contrariorum eadem sit scientia, seu eadem ad contraria etiam porrigatur.

Nihilum definiri non potest; cum enim nihil ponat, non habemus unde ratio generis et differentiae sumatur. Declaratur tamen sic: *nihilum est carentia entis.* De quo Augustinus contra Julian. l. v. n. 44. scribit: « Nihil nec corpus est ullum, nec spiritus, nec his substantiis aliquid accidens, nec ulla informis materies, nec inanis locus, nec ipsae tenebrae, sed prorsus nihil. »

Nihilum *dividi* potest in nihilum *proprie* et *improprie.* Primo modo dicitur quod excludit simpliciter esse ab ente; in quo nihilo mundus erat ante creationem. Dicitur *improprie* quod excludit aliquod esse ab ente determinato; v. g. carentia visionis in homine, in lapide etc.

Sumptum *proprie* nihil subdividitur in *verissime* nihil, *simpliciter* et *communiter.* « *Verissime* illud est nihil quod includit contradictionem et solum illud: quia illud excludit omne esse extra intellectum et in intellectu: quod enim est sic includens contradictionem, sicut non potest esse extra animam, ita non potest esse aliquid intelligibile, ut aliquod ens in anima: quia numquam contradictorium cum contradictorio constituit unum intelligibile, neque sicut objectum cum objecto, neque sicut modus cum objecto.

Alio modo (*simpliciter*) dicitur nihil quod nec est, nec esse potest aliquod extra animam » (*Quodl.* III. n. 2.). Dicitur tandem nihil *communiter*, quod non est, sed tamen non repugnat esse tum in anima, tum extra animam. Exemplum primi habetur in circulo quadrato; secundi in chimaera; tertii in possibilibus.

Nihilum *improprie* dividitur in *negativum* et *privativum;* quorum primum dicitur negatio *extra genus*, alterum vero *infra genus*. Negatio extra genus habetur quando negatur aliquid absque respectu ad exigentiam subjecti; v. g. negatio visionis in lapide. Negatio infra genus habetur quando negatur aliquid non absolute, sed infra metas cujusdem generis nati apti habere; v. g. negatio visionis in homine. Videas *Metaph. Text.* l. IV. n. 14.

De modo quo in nihili notitiam mens pervenit, dicimus id accidere per remotionem entis, juxta definitionem. Verum quoniam id ad Metaphysicam generalem non pertinet, non immoramur.

CAPUT II.

De principiis entis.

Quodlibet ens sui principia intelligitur habere: quae dupliciter distinguuntur, idest, in principia essendi et in principia cognoscendi. Priora naturam entis intrinsecam respiciunt; altera cognitionem. Materia ideo late patet. Quapropter in duo capita partiemur de his tractatum: in primo de essendi principiis, in altero de principiis cognoscendi loquemur, quae ens sequuntur.

ARTICULUS I.

De principiis essendi in genere et imprimis de potentia.

Praeprimis *nota* cum Doctore q. II. lat. *Prol.* n. 18. et I. D. III. q. II. n. 12. proprie ens reale, de quo metaphysicus, ideoque in sua universali abstractione consideratum non habere *vera principia* essendi, sicut ens particulare, v. g. homo, brutum etc. Ratio, quia sub eo respectu ens est omnium simplicissimum, et ejus notio est irresolubilis in aliud: respuit ideo superiora sibi, seu principia sui.

Nihilominus si principia late sumantur, optime enti convenire queunt; quia in quolibet ente creato invenitur actus et potentia, quae sunt loco quasi principiorum.

Quoniam autem principia essentiam rei constituunt et nullum ens in rerum natura invenitur carens sua essentia, simul cum principiis entis, de essentia in genere erit sermo. Primo igitur de potentia et actu; deinde de essentia; tandem de existentia, qua essentia realis evadit, agemus.

Potentia ex Doctore *Metaph.* l. IX. q. II. n. 2. et I. D. VII. n. 7. tripliciter sumi potest: *metaphorice* seu *mathematice*, *logice* et *metaphysice*. Dicitur potentia in *mathesi* dispositio in quantitate aliqua ad suas comparationes: v. g. lineae ad quadratum; quia « imaginamur punctum fluere et per ejus fluxum lineam causari et lineam fluere et per ejus fluxum quadratum ejus causari. » Potentia *logica* « est modus quidam compositionis factus ab intellectu, causatus ex habitudine terminorum illius compositionis, scilicet, quod non repugnat » (*Met.*): seu,

ut clarius habet in *Sent.:* « dicit modum compositionis factae ab intellectu et ista notat non repugnantiam terminorum; » v. g. alius angelus est *possibiliter* creabilis.

Denique dicitur « potentia *metaphysica* prout non stat cum actu circa idem » (*Met.*): seu prout opponitur actui; v. g. potentia in qua est Antichristus venturus. Vide haec omnia in *Metaph. Text.* l. v. n. 90.

Potentia metaphysica ex eodem ibidem n. 2. *Metaph.* adhuc dupliciter spectari potest, vel prout dicit quemdam *modum entis* et ad esse refertur; vel prout importat rationem principii et ad *agere* ordinatur.

Primo modo in objectivam et subjectivam discerpitur. Dicitur *objectiva* quae « est ad esse proprium et simpliciter illius quod est in potentia; » seu quae est ad totum esse formale rei: qua in potentia fuerunt omnia creata ante mundi constitutionem ex nihilo. Dicitur *subjectiva* quae est « ad esse extrinsecum quasi et secundum quid illius quod est in potentia ad illud esse » (ibi n. 8.): seu ea est quae invenitur in aliquo subjecto reali ad aliquid quo caret, quod tamen non repugnat habere; v. g. homo ignarus dicitur in potentia subjectiva ad scientias; genus etiam, licet improprie, dicitur ut sic in potentia ad differentiam. Videas ibidem alias potentiae sub hoc respectu consideratae subdivisiones.

Potentia in ratione principii dividitur in activam et passivam (ibi q. iv. n. 7.). *Activa* est ea potentia quae in dando alicui principio; non patitur ab alio, sed ex vi sibi insita movetur ad producendum; v. g. voluntas ad actus volitionis etc. *Passiva* est ea potentia quae ab alio patitur in producendo suo effectu; v. g. tactus igne excitatus. Quarum Doctor ibidem n. 8. volens definitionem

metaphysice praebere, ita scribit: « Est autem potentia activa secundum ejus unam significationem, metaphysice loquendo, principium agendi agibile; secundum aliam, principium actuandi actuabile. Potentia vero passiva, secundum unam ejus significationem, est principium ex quo aliquod potest mutari; secundum aliam, est principium actuabile, sive informabile ab actu, sive a principio actuali: » scilicet, activa intelligitur id quo aliquid proprie dicitur agere; passiva vero id quo aliquod dicitur proprie pati.

ARTICULUS II.

De divisione potentiae in ratione principii.

Quoniam potentia tum activa, tum passiva multipliciter dividitur, specialiter in hoc articulo de ea divisione peragimus.

Activa potentia ex Doctore ix. *Metaph.* q. xi. n. 3. partitur in rationalem et irrationalem, in proprie et minus proprie activam, in innatam et acquisitam, in univocam et aequivocam, in totalem et partialem, in naturalem et supernaturalem.

Dicitur *rationalis* quae circa aliquod rationale, ut rationale, versatur, et rationali modo operatur; v. g. potentia intellectiva et volitiva hominis: dicitur *irrationalis*, quae ratione opposita geritur; v. g. sensus brutorum etc.

Activa proprie est cujus finis ultimus est usus et non aliquid actum, et cujus actio etiam manet in agente; v. g. intellectus. *Activa minus proprie* est cujus actio manet in agente, et finis est aliquid actum, non vero usus; v. g. potentia subjecti ad suas passiones, scilicet hominis ad risi-

bilitatem etc. etc., neque enim subjectum vere agere dicitur in productione passionum suarum.

Potentia dicitur *innata* quae naturam sequitur; dicitur vero *acquisita* quae per actuum repetitionem acquiritur: v. g. habitus virtutis, scientiae etc., quia hi revera agunt et influunt active in actum, ut alibi videbimus (*Psychologia*, c. III. art. VI.).

Potentia *aequivoca* dicitur, cujus productum est alterius rationis a potentia producente; v. g. substantia producens accidens: dicitur autem *univoca*, cum productum cum producente est ejusdem rationis; v. g. virtus generativa relate ad generatum.

Totalis est potentia quae totum producit effectum: quae si partem praebeat, *partialis* evadit: exemplum primae est in voluntate relate ad suas volitiones: exemplum secundae est in virtute generativa sive patris, sive matris divisim.

Potentia *naturalis* dicitur « quando receptivum comparatur ad tale agens quod natum est naturaliter imprimere formam in tali passo; » dicitur vero *supernaturalis* « quando comparatur ad tale agens, quod non est naturaliter impressivum illius formae in illo passo » (*Prol.* q. I. n. 20.). Haec ibidem subdividitur in supernaturalem quoad *substantiam* et supernaturalem quoad *modum*, secundum quod agens non est naturaliter impressivum quoad substantiam; v. g. visio immediata Dei; vel quoad modum; v. g. potentia sanativa corporis in instanti.

Activae potentiae accedit *potentia factiva*, cujus definitio sic a Doctore II. D. XXV. n. 24. traditur: principium transmutandi aliud in quantum aliud. Dum ergo prima ad *agibile* dirigitur, altera ad *factibile*, seu ad trans-

mutandam materiam corpoream pro inductione novae formae accidentalis.

Potentia passiva (*Metaph.* ibi q. xii. et *Prol.* q. i. n. 20.) partitur in naturalem, violentam, neutram et obedientialem. *Naturalis* ea est quae naturaliter inclinatur ad receptionem formae: v. g. lapidis ad descendendum: est *violenta* quae ad formam recipiendam inducitur contra naturalem inclinationem: v. g. lapidis ad ascendendum: *neutra* est quae ad formam neque inclinatur, neque contrariatur: v. g. aquae ad receptionem caloris vel frigiditatis. Tandem *obedientialis* potentia dicitur subjectio quae rebus creatis inest respectu agentis potentis de obediente facere quod vult. De hac speciatim in Cosmologia, quando de miraculis agendum erit.

Complemus articulum *animadvertendo* cum Doctore 1. D. xxvii. q. iii. n. 10. quod « nihil perfectionis est in creaturis inferius ratione potentiae passivae in quantum passiva est. » Ratio cuique est manifesta: quia passiva, ut sic, patitur; quod patitur alicui potentiori subjicitur: quod subjicitur est inferius. Dum ergo agens magis vel minus perficitur secundum magis et minus suae activitatis: ita patiens magis, vel minus de imperfectione participat, prout magis et minus patitur.

ARTICULUS III.

De actu.

Actus *est id quo aliquid ponitur extra suam potentiam:* huic ideo opponitur. Actus multipliciter dividitur: et imprimis (*Metaph. Text.* l. ix. n. 27.) in primum et secundum. Dicitur *primus* ipsa forma rei qua primo res in

suo esse reali constituitur: v. g. actus quo Petrus sui existentiam inchoavit et retinet. Dicitur *secundus* (quia jam primum supponit) operatio cujuslibet virtutis; v. g. actus intellectus, attractio electrica etc.

Secundo (ibi n. 27. 28.) actus dividitur in *conjunctum potentiae* et *divisum a potentia*. Hic nullam sibi admixtam habet potentiam in ratione essendi; qua actualitate solus Deus dicitur actus; ille e contra sibi semper unitum habet aliquod potentialitatis; qua actualitate cunctae creaturae sunt praeditae.

Tertio actus dividitur in entitativum et formalem. Dicitur *entitativus* actualitas ipsa qua res primo est: qui actus non differt a *primo*, de quo supra. Dicitur *formalis* ea forma quae potens est aliud in aliquo genere actu constituere: v. g. differentia specifica quae genus in speciem constituit. Ad hunc actum reducuntur quaequumque actuationes potentiae subjectivae.

Quod ut clarius pateat, revocandum est, potentiam et actum sibi invicem relative opponi. Unum ergo infert aliud. In ratione essendi actus primus et entitativus, qui et objectivus audit, potentiae objectivae respondet: actus vero formalis, potentiae subjectivae: et quidem late sumptae potentiae, si agatur de formali actuante essentiam, sicut differentia specifica: rigorose sumptae potentiae subjectivae, si agatur de actu formali actuante extra essentiam; v. g. actus scientificus relate ad subjectum, actus coloris ad parietem etc. Ratio primi est, quia potentia objectiva nihil ponit reale: ergo non potest ad actum reduci nisi per id quod praebet simpliciter esse; idest actus entitativus et objectivus. Ratio secundi, quia potentia illa aliquid praesupponit; quod est subjectum, vel quasi

subjectum: quod ultimum dictum est de genere, cujus est non esse vere potentiam, neque ideo vere subjectum relate ad differentiam suam.

Potentiae in ratione *principii* respondet actus secundus; qui prout inchoat aliquid, respondet potentiae *activae:* prout verò inchoatur, respondet potentiae *passivae.*

ARTICULUS IV.

De actu et potentia in ordine ad se invicem.

Etsi in praecedenti articulo aliquid innuerimus de reciproca relatione actus et potentiae, multa tamen de his agenda supersunt.

Primo inquirere licet *an actus et potentia revera opponantur et quomodo?* Ad hujus solutionem propositio sequens dirigitur. Pro qua prae caeteris *nota* quaesitum esse intelligendum de potentia in relatione ad actum sibi correspondentem, juxta dicta superius; scilicet de potentia objectiva relate ad actum primum et objectivum, de subjectiva relate ad formalem: nam non repugnat in altera relatione actum et potentiam cohaerere et oppositione carere; v. g. actus objectivus cohaeret bene cum potentia subjectiva ad subjecti perfectionem etc. Neque intelligitur de potentia in ratione *principiandi;* quia facultas et actus simul stare possunt et unum alterum non excludit, sed se invicem perficiunt positive manentes.

Prop. Actus et potentia reciproce opponuntur, oppositione relativa, non tamen mutua. Est Doctoris IX. *Metaph.* q. II. n. 3. 4.

Prob. I. pars, idest de *oppositione.* Eà quorum unum

alterum excludit, nec simul stare possunt, opposita dicuntur. Atqui actus et potentia sunt hujusmodi: nam actus est destructivus potentiae et potentia actus. Ergo hi ad invicem opponuntur.

Prob. II. pars, idest, haec oppositio est *relativa*. Opponi relative idem est ac in ipsa oppositione referri. Id autem accidit inter potentiam et actum. Ergo etc. Minor patet; quia potentia de se ad actum dicitur a quo perficitur: ita ut si ad actum nullimode referretur, potius impotentia quam potentia foret.

Prob. III. pars, scilicet, quod hujusmodi relatio *non est mutua*. In mutua relatione semper unum relativum suum correlativum habet. Atqui actus non semper praesupponit potentiam, quemadmodum haec actum; v. g. Deus, qui cum sit purus actus, respuit quodlibet genus potentialitatis. Ergo non semper referuntur relatione mutua: quod est satis ad negandum in genere proprietatem relationis mutuae in propositione universaliter asserenda.

ALTERUM quod inquiritur de actu et potentia in ordine ad se invicem, est de horum prioritate: quae duplex assignatur, *temporis* et *naturae*. Temporis *prioritas* est ea relatio qua aliquid dicitur prius tempore alio. *Prioritas naturae* est ea qua res in sua entitate dicitur dignior altera; vel etsi alteri praecedat, tamen sine hac existere non potest.

Prop. ACTUS OBJECTIVUS ET FORMALIS NATURA EST PRIOR POTENTIA OBJECTIVA ET SUBJECTIVA; RATIONE VERO TEMPORIS, SI RES ID PATITUR, POTENTIA EST PRIOR ACTU. Est Doctoris implicite ibid. n. 4. et explicite in *Metaph. Text.* l. III. n. 92.

Prob. I. pars. Perficiens natura est prius perfectibili; neque enim aliquid perfectionis reperitur in hoc, nisi vir-

tute perficientis: cum repugnet sibi aliquid posse dare quod non habet. Atqui potentia est perfectibilis et actus perficiens. Ergo hic prior illa est natura. Minor ex traditis eorum definitionibus clarissime patet.

Prob. II. pars: nam potentia eo dicitur quia ad actum potest reduci; ita ut si potentiam tempore praecederet actus, illa evanesceret et nullimode foret; unde nec referri posset ad actum.

Nota tamen id verum evadere in his quae tum actum, tum potentiam patiuntur: quia repugnat in Deo utraque praefata potentia; de quo ideo non licet in casu quaestionem instituere.

Haec de potentia et actu prout dicunt quemdam modum *entis*. Si autem considerentur in ratione *principii*, diversa est doctrina, quae statuitur in sequenti propositione.

Prop. POTENTIA PROUT DICIT PRINCIPIUM, SI EST ACTIVA, PRAECEDIT ACTUM TUM TEMPORE, TUM NATURA: SI EST PASSIVA, NATURA EST POSTERIOR, PRIOR TAMEN TEMPORE.

Prob. I. pars: et imprimis quod sit prior *natura:* nam non potest concipi actus, nisi jam sit constituta potentia a qua totum esse suum actus habet: atqui habere totum esse suum ab alio, est esse eo inferius natura, saltem ratione dependentiae quoad esse. Ergo etc.

Probatur etiam quod haec prioritas sit pariter *temporis.* Ratio, quia generaliter potentia non agit semper statim ac est; vel saltem non semper agit quidquid agere potest: relate ergo ad hos actus prior tempore ipsa est.

Prob. II. pars. Potentiam passivam *natura* esse actu posteriorem patet ex hoc, quia ab actu patitur et ab eo novam formam recipit. Ipsam autem *tempore* esse priorem actu, constat ex eo, quia absque actu stare potest; v. g.

potentia corporis ad calorem; actus autem esse non potest nisi actu perficiat.

Objectio contra I. partem. In Deo potentia simul est cum actu, non vero prior tempore.

Resp. In Deo non invenitur potentia, sed attributum; sicut non invenitur actus secundus accidens etc., sed solum actus consubstantialis attributis et naturae divinae. Non quadrat ideo ratio.

Ex dictis Doctor ibi *Metaph.* q. II. n. 10. plura deducit; quorum praecipua sunt: 1um « Quod neutra potentia praedicta, scilicet, nec subjectiva, nec objectiva, manet cum actu, quia sibi opponuntur. » 2um « Quod potentia subjectiva in quoquumque sive in materia, sive in subjecto aliquo, non est eadem essentialiter illi, in quo est; quia illud in quo est, manet cum actu, » nec tamen manet potentia. 3um « Quod non majorem entitatem dicit de ratione sua formali potentia subjectiva, quam objectiva, quia utraque est ad eumdem terminum, sine cujus entitate neutra est ens; » idest, neutra ponit ens, donec potentia manet. 4um « Duae potentiae ad contradictoria, sive ad quaequumque duo opposita immediate circa aliquod susceptivum, non possunt simul stare in illo susceptivo: » exemplum de immediate oppositis: aliquid non potest habere simul potentiam ad esse hominis et ad esse bruti: exemplum de contradictoriis: aliquid non potest simul esse immediate in potentia ad vitam et ad non vitam; quia si vivit, jam caret potentia ad vivendum; si non vivit, caret potentia ad non vitam. Dictum est duo *immediate opposita;* nam si medium patiantur, non repugnat simul stare; sicut patet in aqua tepida quae de se indifferens est tum ad calorem tum ad frigiditatem.

ARTICULUS V.

De notione essentiae, ejusque divisione.

Principia essendi rem in suo esse constituunt, ejusque *essentiam* praebent.

Essentia ex Doctore *Rer. Princ.* q. VIII. n. 1. diversimode sumitur: uno modo ab *esse* prout hoc est secundum adjacens in propositione; v. g. homo est. Altero modo pro *ratione determinata alicujus generis, vel speciei:* v. g. animal rationale relate ad hominem: qua significatione hic sumitur, et definiri potest: *id quod est primum in re et a quo omnes rei proprietates profluere intelliguntur.* Dicitur *quod est primum;* quia ipsa est ratio prima essendi simpliciter. Reliqua innuunt omnia rei immediate vel radicaliter ab essentia originem ducere: nam quidquid in re est, ut talis res, vel est essentia, vel pars essentiae, vel aliquid ab essentia oriens. Ea verba, *ut talis res,* addita sunt ut accidentia communia excluderentur, quorum ratio est aliunde ab essentia. Vide *Quodl.* I. n. 3. et 5.

Essentia variis nominibus designatur pro variis respectibus, quibus consideratur. Et imprimis dicitur *quidditas* a *quid res est.* Secundo dicitur *ratio formalis,* quia ipsa est ratio cur res ita et ita sit et ab alia differat: per formam autem res differunt essentialiter. Tertio dicitur etiam *natura;* quia quemadmodum a natura virtus activa profluit, ita ab essentia quidquid activum est in re, oritur.

Essentia DIVIDITUR in simplicem et compositam, in physicam et metaphysicam, in accidentalem et substantialem.

Simplex ea dicitur quae de se non patitur composi-

tionem ex realiter distinctis, sive ex materia et forma, ex potentia et actu, sive ex alio genere quoquumque realis compositionis. Tali simplicitate sola divina essentia praedita est. *Composita* e contra est, quae uno vel alio genere praefatae compositionis constat: in quo ambitu cuncta creata continentur.

Essentia dicitur *physica* si consideratur prout invenitur in rerum natura; v. g. corpus organicum et anima rationalis est essentia physica hominis. *Metaphysica* dicitur essentia considerata abstracte et per constitutiva logica generis et differentiae.

Tandem *substantialis* est essentia quae substantiam constituit: est vero *accidentalis*, quae constituit accidens: accidens enim quoque carere non potest essentia, vel eo quod essentiae respondet: v. g. *in albo* invenitur et genus in *colore* et differentia *in albedine*.

Quoniam frequentius in scholasticis invenitur assertum ESSENTIAS ESSE SIMPLICES, inquirere licet quomodo id sit intelligendum, cum ex praefatis pateat solum divinam essentiam taliter posse dici.

Ad hujus intelligentiam *nota* 1° quod « de ratione quidditatis, ut quidditas est, non est quod sit composita, alioquin essentia, seu quidditas, vel natura divina esset composita: nec quod sit simplex, nam tunc omnis quidditas esset simplex et materia non intraret definitionem alicujus rei; quod patet esse falsum. »

2° Simplicitas si rerum essentiis tribuenda est, non absolute cunctis tribuatur, sed diversimode pro varietate rerum: nam « quaedam natura vel quidditas est... de cujus intellectu non est ipsum esse actuale: talis est quidditas omnis creaturae... Alia est natura de cujus intellectu et

natura est ipsum esse actuale, ut divina » (*Rer. Princ.* q. VII. n. 12.).

3° Inter ipsas res creatas non similiter simplicitas invenitur: nam quo natura est perfectior, eo magis a compositione recedit: hinc homines perfectiores brutis inveniuntur, eo quod perfectius a compositione recedunt, cum anima spirituali constent: angeli ipsis hominibus praestant, quia praestant in minus compositione participanda; et sic magis accedunt ad simplicitatem divinam: quoniam autem numquam hanc essentiam adaequare possunt, nulli creaturae simplicitas pura conferenda est, sed solum secundum quid, seu in gradu limitato.

4° Essentiis physice inspectis, si agatur de anima rationali et de angelis, simplicitas convenit etiam secundum naturam; quia principia constitutiva eorum, non constant partibus physicis, sicut creaturae inferiores; quae ut sic consideratae simplicitate omnino privantur. Si ipsis ergo a scholasticis simplicitas tribuitur, intelligendum id est de simplicitate extra naturam, quae in indivisibilitate sita est: scilicet, ita essentiae sunt conditae, ut si vel minimum demas, quod non sit gradus accidentalis, corruunt et a suo esse recedunt; v. g. si bruto demas animalitatem, eadem essentia non perseverat. Recte autem sic essentias cunctas dici simplices, ita probatur: indivisibile enim partibus adversatur: quod non habet partes, simplex dicitur: ergo quaelibet essentia recte dicitur simplicitate gaudere.

Diximus *quod non sit gradus accidentalis*. Ex quo occasionem sumimus declarandi effatum scholae, QUODLIBET ADDITUM VARIARE SPECIEM in essentiis: quod est intelligendum de essentia metaphysica; vel si de physica, solum de gradibus differentiam et genus vel dementibus, vel ad-

dentibus (I. D. XVII. q. v. n. 7. 8.). In physica enim constitutione essentiae patiuntur gradus accidentales magis vel minus in eodem genere perficientes (*Paris.* ibi q. IV. n. 3. et alibi).

ARTICULUS VI.

De essentiae necessitate, immutabilitate et aeternitate.

Quemadmodum simplicitatem, ita et necessitatem, aeternitatem et immutabilitatem essentiis scholastici tribuunt; quae doctrina declaratione indiget, sicut indiguit praeposita de simplicitate.

NECESSARIUM dicitur id cujus oppositum repugnat. Diversimode dividitur: alia est enim necessitas absoluta, alia conditionata, vel hypothetica. Dicitur *absoluta* ea cujus oppositum involvit repugnantiam; et haec solius est Dei. Dicitur *conditionata*, vel hypothetica ea quae ab aliqua conditione dependet; v. g. essentia hominis est necessaria ad habendum hominem; verum homo non existit necessario.— Cum necessitate arcte connectitur *immutabilitas* et *aeternitas*.

IMMUTABILE est quod non transit de potentia ad actum, sed semper idem similiter manet. AETERNUM autem est quod tum initio, tum termino caret in duratione. Utrumque dividitur in *proprie* et vere immutabile et aeternum et in tale *per participationem:* primo modo solus Deus est immutabilis et aeternus; caeteris ergo, si fas est, solum tribuatur per participationem. His positis, en doctrina Scholae:

Prop. I. ESSENTIAE RERUM CREATARUM PHYSICE INSPE-

CTAE NON SUNT NECESSARIAE, IMMUTABILES ET AETERNAE. Est Doctoris I. D. XXXVI. n. 6.

Prob. Quod est physice contingens, mutabile et temporaneum nequit esse necessarium, immutabile et aeternum: atqui hujusmodi sunt essentiae rerum creatarum in physica sui natura inspectae; nam ipsae in tempore creatae sunt, continuo perficiuntur et modificationibus innumeris affici possunt et tempore cessant: quorum tertium vel de ipsis substantiis spiritualibus dici late potest; quae licet naturaliter non corrumpantur, queunt tamen destrui a Deo et sic transire de esse ad non esse: ergo essentiae creatae physice inspectae non sunt necessariae, immutabiles et aeternae.

Prop. II. ESSENTIAE RERUM METAPHYSICE CONSIDERATAE SUNT NECESSARIAE HYPOTHETICE ET IMMUTABILES ET AETERNAE PER PARTICIPATIONEM. Est Doctoris ibid. n. 10. 12. contra Cartesium.

Prob. I. pars. Quod ita influit in rem, ut aliter ipsa res non possit haberi, dicitur necessarium hypothetice: atqui sine essentia absolute res haberi non potest; quia secus idem simul foret et non foret: ergo essentiae etc. sunt necessariae hypothetice.

Prob. II. pars. Essentiae rerum sunt immutabiles et aeternae, quatenus ab aeterno a mente divina videntur ita immutabiles et aeternae. Sed hoc est esse per participationem. Ergo etc. Minor clarior evadet in sequenti articulo.

Pro utraque prop. confer Halensem I. p. q. XV. m. VII. et VIII.

ARTICULUS VII.

An essentiae ab aeterno habuerint aliquod esse?

Jam quaestionis hujus solutio indicata praecedenti in articulo fuit. Verum quoniam variae habentur de hac materia opiniones, prolixius explanandam rem putamus: tanto magis quia sibi patronum nostrum Doctorem quidam vindicant proni sententiae cuidam periculosae. Tenent enim hi essentias omnes ab aeterno habuisse *in se* quoddam esse distinctum ab esse divino et ab ideis divinis. Ita Henricus; contra quem acerrime disputat Doctor I. D. XXXVI. a n. 3. Nos e contra nullum aliud esse rebus tribuimus nisi quod ipsae habuerunt ab aeterno in mente divina, in qua omnia semper fuerunt et sunt exemplata. Sit igitur propositio.

Prop. ESSENTIAE IN SE NULLUM REALE ESSE HABUERUNT AB AETERNO. Est Doctoris ibi.

Prob. Creatio est eductio totius esse rei ex nihilo: atqui res omnes mundanae creatae sunt: ergo eductae fuerunt totaliter ex nihilo: sed res sunt per essentiam: ergo simul cum re, essentia quoque creata est. Neque fingatur, ut ibi animadvertit Doctor, res in creatione produci secundum respectum novum ad efficiens; quia istiusmodi productio non posset concipi ad *esse simpliciter* implicatum in vera creatione, sed solum ad esse secundum quid, scilicet extra essentiam. *Item esse* quod essentiae ab aeterno finguntur habuisse, vel est independenter a Deo, et ita illae forent per se aeternae, independentes omnino et praeditae reliquis attributis divinis; vel est dependens a Deo: et si sic, vel ab intellectu, vel a volun-

tate divina: si ab intellectu, quoniam hic non causat nisi idealiter, esse quod res ab aeterno habuerunt, non est nisi ideale, identificatum cum ideis divinis; ideoque non reale: si a voluntate, quia ipsa *libere* ad extra agit, nescimus qua ratione asseri possit ipsam ab aeterno essentias creasse; nisi incidere velimus in alium errorem de necessitate aeternae creationis; contra quem, alibi (*Cosmol.* C. I. art. XII). *Concludimus ergo* cum Doctore ibi n. 6.: « non tantum esse essentiae fundat ad Deum relationem talem, sed etiam esse existentiae; quia secundum Augustinum 5. super Genes. 7. non aliter novit Deus facta, quam fienda. Praecognovit igitur esse existentiae, sicut esse essentiae; et tamen propter istam relationem fundatam non concedit ullus esse existentiae fuisse verum reale esse ab aeterno: ergo pari ratione non est concedendum de esse essentiae: » Henricus enim tale esse essentiae posuit ad explicandam divinam cognitionem circa res creatas. Vide et *Paris.* II. D. I. q. II. et *Seraph.* I. D. XXXVI. q. I. art. I.

Nota. Cum Doctor essentiis tribuat quoddam esse ab aeterno, quod *diminutum* appellat, quidam, inter quos Poncius noster adnumeratur, non recte Subtilis verba interpretantes, Scotum patronum faciunt sententiae superius confutatae. Ast hi a vero aberrant corrumpentes doctrinam tanti Doctoris; qui pro *esse diminuto* nihil aliud intelligit, quam *esse ideale* vel *rationis*. Et ita manifesta sunt ejus verba, ut vere sit mirum quomodo in oppositum trahatur. Ipse enim agens de productione illius *esse*, ibidem scribit: « nec etiam est differentia aliqua quoad hoc, ut videtur, inter intellectum divinum et nostrum, nisi quod intellectus divinus producit illa intelligibilia *in esse intelligibili primo*, noster non producit *primo:* » ex quo de-

ducit quod « productio ista est in esse alterius rationis ab omni esse simpliciter. » Et I. D. XIII. n. 7.: « Ens autem *diminutum*, quod scilicet est *ens cognitum*, non habet esse realis existentiae: ergo nec inquantum tale potest esse causa propria alicujus realis entis. » Et *Quodl.* I. n. 9.: « Ens *diminutum*..... tantum *in consideratione intellectus* est habens suum esse. »

Objectiones.

Object. I. Esse verum convertitur cum esse reali: atqui essentiae ab aeterno sunt verae: ergo et ab aeterno sunt reales.

Resp. Dist. maj. Esse verum in se et per sui principia convertitur cum esse reali, conc; esse verum in alio et per principia extra rem, neg. Dist. min. Sunt verae quoad connexionem et convenientiam terminorum, conc.; quoad actualitatem essendi, neg. *Scilicet*, ab aeterno conceptus v. g. animalitatis et rationalitatis comparari ad invicem possunt et conjungi a mente divina; quin tamen a principiis rei hos conceptus ipsa hauriat: Deus enim in se ipso omnia noscit, ut in Theologia demonstrabitur. Non omne igitur quod est verum ab aeterno, etiam ab aeterno reale est.

Inst. Correlativa sunt simul natura: ergo simul natura Deus est lapidem intelligens et lapis intellectus ab eo: atqui lapis est aliud a natura divina: ergo est in se ab aeterno.

Resp. Dist. cons. primum. Si sermo sit de esse diminuto, conc.; si de esse reali, neg. Dist. min. Prout existit temporaliter in se, conc.; prout idealiter est ab aeterno in

mente divina, neg. et neg. cons. ultimum. Huic difficultati jam obviam iverat Doctor I. D. XXXVI. n. 12. « Ad secundum argumentum concedo quod Deus ab aeterno intellexit lapidem et non idem sibi; et illa intellectio fuit metaphysica et realis, non autem logica. Nec tamen plus sequitur ex hoc de lapide quod sit essentia quam existentia, nec magis comparando ad intellectum divinum, quam meum; sequitur quidem, igitur res semper fuit intellecta; sed arguendo, ergo res fuit in aliquo esse reali, dico quod est fallacia secundum quid ad simpliciter. » Seu, Deus ab aeterno novit tum essentiam rei, tum ejus existentiam: si ejus intellectio non tribuit realitatem existentiae; ergo neque essentiae. Ad hujus rei majorem claritatem optime inservit exemplum a Doctore ibidem allatum de statua. Statua v. g. Caesaris bene imaginem Caesaris praesefert independenter ab eo, sicut accidit post ejus mortem: sic esse diminutum quod est in mente divina, licet sit exemplar rei, tamen non est *esse* illius, nec ab illo dependens. Haec sola interest differentia utriusque, quod imago Caesaris subsequitur Caesarem, ad cujus similitudinem conficitur; exemplar autem divinum res temporaneas praecedit, quia secundum ipsum illae sunt exemplatae. Et quemadmodum relatio subsequens ex parte statuae est realis, ex parte Caesaris vero rationis; sic dum ex parte rerum creatarum est vera, est rationis ex parte Dei.

Inst. Res ab aeterno *in se* fuerunt possibiles. Sed nihil dici potest in se taliter fuisse, nisi *in se* revera extiterit. Ergo essentiae *in se* ab aeterno habuerunt aliquod esse.

Resp. Provisum huic est in solutione primae objectionis. Recole ibi dicta et applica ad propositum.

ARTICULUS VIII.

A quo rerum possibilitas dependet?

Ex ultima difficultate occasio sumitur explicandi undenam possibilitas essentiarum dependet: quae resolutio dum novam notitiam de essentiis confert, magis ac magis praecedentem materiam explanat.

Res physice non semper fuerunt in actu existendi, quia non sunt in seipsis ab aeterno, ut visum est: aliquando igitur in potentia ad esse fuerunt. Status hic possibilitas rerum appellatur; de qua inquiritur, undenam oriatur. Haec quaestio tractanda foret in Cap. de divisione entis, ubi de possibili et impossibili fit sermo: verum melius ex ratione adducta videtur hic de ea peragere.

Circa quod non unica est philosophorum opinio. *Quidam* tenent essentiarum possibilitatem esse independenter a Deo et oriri ab *intrinseca natura* ipsiusmet essentiae: tales sunt fautores sententiae superius confutatae. *Alii* tuentur hanc dependere ab *omnipotentia* Dei, quia horum sententia, ex eo sunt essentiae possibiles, quia eas Deus sua potentia condere potest: ita Okamus noster. Cartesius hanc possibilitatem deducit *a libera Dei voluntate;* nam quemadmodum ab ista dependet rerum existentia, ita et essentia, earumque possibilitas. Tandem generaliter *scholastici* ab *intellectu divino* rerum possibilitatem eruunt, sic rem explicantes, quod in mente Dei exemplaria rerum omnium inveniuntur, secundum quae omnia confici possunt.

Prop. I. Rerum possibilitas non est a natura intrin-

SECA RERUM INDEPENDENTER A DEO. Est Doctoris I. D. XXXVI. et XLIII. passim.

Prob. Essentiae rerum nullum in se esse reale ab aeterno habuerunt, sed solam possibilitatem: possibilitas autem in se et in intrinseca sui ratione nihil vere est, quia nulla entitate constat: et in hoc comparari potest impossibili; cum hac tamen diversitate, quod impossibile nec est, nec esse potest; dum possibile non est, sed potest ad esse pervenire. Atqui quod nihil est, nullius ratio esse potest; nam si ruit fundamentum, necesse est ut etiam in eo fundata ruant. Ergo possibilitas essentiae ab eadem essentia procedere non potest. *Praeterea* ista possibilitas vel est aliquid extra Deum, vel in Deo: atqui non primum, quia repugnat aliquid existere independenter a Deo, carens simul suo esse reali (patuit magis in praecedenti articulo): ergo secundum, idest, possibilitatem esse aliquid in Deo: sed quidquid est in Deo, unum et idem est cum eo: esse ideo essentiae non potest esse aliquid ex sua intrinseca natura et independenter a Deo.

Prop. II. POSSIBILITAS RERUM NON DEPENDET AB OMNIPOTENTIA ET A VOLUNTATE DIVINA. Est Doctoris ibidem a n. 3.

Prob. I. pars. Omnipotentia divina ordinatur ad dandum esse rebus ad extra: et quamvis haec non constituatur per relationem, tamen in se concipitur, ut est causativa rerum ad extra; vel quatenus ad extra potest esse executiva divinorum exemplarium. Ergo potiusquam causare possibilitatem rerum, praesupponit illam antecedenter. « *Item* in causis praecisis si affirmatio est causa affirmationis et negatio est causa negationis, secundum quod dicit Philosophus I. *Post.*: sicut si habere pulmonem

est causa respirandi, non habere pulmonem est causa non respirandi: ergo si potentia activa quae est omnipotentia in Deo, est praecisa ratio possibilitatis in creatura, negatio potentiae activae in Deo esset causa negationis possibilitatis in creatura; quod ipse (adversarius) negat; et bene quantum ad hoc, quia impossibilitas in creatura est propter formalem repugnantiam partium: » seu impossibilia repugnant propter se, ut dicetur, non vero ex parte deficientiae divinae, sicut adversarii coguntur ponere ex sua opinione.

Prob. II. pars. Eaedem rationes possunt afferri pro confirmatione secundae partis de *voluntate divina*. Nam voluntas divina non potest producere quae intrinsecus repugnant; v. g. circulum quadratum, hominem irrationalem et caetera hujusmodi: ideo virtus ejus coarctaretur si ab ipsa ratio impossibilitatis educeretur ab adversariis. *Item* divina voluntas est libera in gradu supremo: quare si ab ea unice penderet rerum possibilitas, unice pariter ab ea penderet facere, vel non facere etiam impossibile, quando hoc ad esse reducere vellet: et sic nihil impossibile foret: quod sane nullus philosophus sanae mentis asserere audet.

Prop. III. Possibilitas rerum dependet ab intellectu divino. Est Doctoris ibi et I. D. xxxvi.

Prob. Propositio haec est velut corollarium ex praecedentibus: si enim possibilitas rerum non est aliquid extra Deum et ab eo independens, nec a voluntate et omnipotentia divina oritur, pronum est concludere hanc esse ab intellectu Dei, cum alia via rationabiliter videtur non posse inveniri, quae materiam praepositam valeat explanare. *Insuper* productio possibilium, ut sic, infert neces-

sitatem, quia possibilia, ut sic, necessaria sunt; et ita dicuntur quia exemplar earum ad esse reale reduci potest: sed intellectus divinus est naturalis et necessarius et exemplans: ergo recte dicitur causa possibilium. Quod magis patet ex eo, quia in Deo solum voluntas et intellectus intelliguntur per se primo cum essentia activi; caetera attributa ad illa resolvuntur: sed voluntas non est productiva possibilitatis, ut patuit; eo vel magis quia suum velle supponit suum intelligere: ergo solus intellectus est productivus possibilium, ut sic.

Optime haec omnia Doctor explicat I. D. XLIII. n. 5., cujus verba vere aurea non possumus hic non afferre: « Licet potentia Dei ad se, idest, aliqua perfectio absoluta, qua Deus est formaliter potens, sit in Deo in primo instanti naturae, sicut et quaelibet perfectio absoluta simpliciter.... tamen per ipsam potentiam sub ratione qua est omnipotentia, non habet objectum quod sit primo possibile, sed per intellectum divinum producentem in primo instanti illud in esse intelligibili; et intellectus non est formaliter potentia activa, qua Deus dicitur formaliter omnipotens: et tunc res producta ab intellectu divino in esse tali, scilicet intelligibili in primo instanti naturae, habet seipsa *esse* possibile in secundo instanti naturae, quia seipsa formaliter non repugnat sibi *esse*, et seipsa formaliter repugnat habere *esse* necessarium ex se: in quibus duobus stat tota ratio possibilis, in quibus correspondet rationibus potentiae activae: non est igitur possibilitas in objecto aliquo modo prior quam sit omnipotentia in Deo, accipiendo omnipotentiam pro perfectione absoluta in Deo, sicut nec creatura est prior aliquo modo absoluto in Deo. Si tamen res intelligatur esse possibilis an-

tequam Deus per omnipotentiam producat eam, sic est verum; sed in illa possibilitate non est simpliciter prior, sed producitur ab intellectu divino. »

Non difficulter ex praehabitis deducitur undenam rerum impossibilitas oriatur: quod pariter optime ibidem n. 6. exponitur: idest id non procedere neque a voluntate divina, neque ab omnipotentia, neque ab intellectu; sed a conceptibus ipsis, qui ad invicem comparati includunt contradictionem: et sic potius de se denegant absolute *ens*, quam *ens* ponant; sicut patet in circulo quadrato, in homine irrationali etc. Et hanc impossibilitatem contradictoria habent ex se, licet principiative sit ab eo qui produxit illa in sua simplici ratione; v. g. qui produxit hominem et irrationale, circulum et quadratum: ex quorum repugnantia sequitur impossibilitas totius figmenti includentis illa, tum in se, tum relate ad quodlibet agens.

Objectiones.

Object. I. Quemadmodum impossibilia dicuntur quae fieri non possunt, sic dicuntur possibilia quae fieri non repugnat: atqui factio pertinet ad voluntatem et ad omnipotentiam: ergo possibilitas rerum est ab eis.

Resp. Dist. min. Si agatur de productione rerum ad extra, conc.; si de productione ad intra possibilitatis, neg. min. Factio et creatio proprie dicitur de productione rerum ad extra, et pertinent ad omnipotentiam et voluntatem: productio autem possibilium ut sic rigorose non spectat ad genus factionis et creationis; ideoque sub generica

productionis ratione relinquitur pertinentis ad intellectum juxta dicta.

Object. II. Quod est conceptibile absque correlativo, non est dependens ab eo. Atqui possibilia possunt concipi absque eo quod concipiatur Deus. Ergo possibilia sunt independenter ab eo.

Resp. Dist. major; quod concipi potest adaequate, conc.; inadaequate, neg. Contradistincta minori, neg. consequens. Etsi possibile, quatenus tale, referat rem effectibilem, ideoque ad eam relationem habeat, tamen non concipitur adaequate nisi concipiatur et relate ad intellectum divinum a quo et in quo suum esse habet et cum quo unum, idemque est: non potest ergo adaequate concipi independenter a Deo.

Object. III. Ponere possibilia in Deo et cum eo unum et idem, est pantheisticum. Falsa ergo est doctrina Scholae circa productionem possibilium.

Resp. Neg. Nam esse possibilium est esse exemplare, non reale, seu actuale in ipsis rebus.

ARTICULUS IX.

De cognoscibilitate essentiae.

Lockius autumavit essentias rerum reales prorsus intellectui nostro esse impervias: quae si saepius denominantur, deque his a nobis disputatur, totam rem esse de nominibus, non vero de essentiis in se. Hinc discerpsit essentias in reales et nominales, asserens nos solum in notionem nominalium devenire posse, non vero in realium notitiam. Ex quo educitur conceptus nostros de essentiis esse aliquid mere subjectivum.

Scholastici contra tradunt doctrinam diversam; quamvis enim doceant non paucas essentias nos latere non solum supersensilium, sed etiam inferiorum; tamen praefracte capacitatem denegatam a Lockio menti humanae tribuunt, tuentes plures reales essentias notas fieri nobis.

Pro quo *nota* non tueri eos intuitive et immediate in eas intellectum pervenire, sed arguitive et abstractive. Ratio quia essentiae latent sub accidentibus; ideoque quasi effodiendae sunt, ut nos in notitiam earum pervenire possimus: praescindere autem in re ab omni eo quod non est *quo res est id quod est,* dicitur *abstrahere:* abstrahere autem sic, includit *arguere.* Recte igitur essentiae dicuntur cognosci abstractive et arguitive.

Sed superest ut Lockii errorem sequenti propositione rejiciamus.

Prop. Plures essentiae in sua realitate a nobis cognoscuntur. Eruitur optime ex Doctore I. D. III. q. III.

Prob. Essentia est id per quod res in suo esse formali constituuntur et sunt id quod sunt, quoque ad invicem distinguuntur in sua natura. Atqui de multis certissime id est notum. Ergo multorum essentiae reales cognoscuntur a nobis. Minor patet experientia: nam nos scimus, v. g. animalitatem et rationalitatem esse id per quod homo est homo et a brutis distinguitur; quae cum animalitate irrationabilia sunt. Scimus etiam essentialem differentiam plantarum et sensibilium et non viventium, inter substantiam et accidens, inter materiam et vim etc. Caeterum in sententia lockiana nulla scientia positiva potiremur, nam scientiae in rerum essentiis totae fundantur: et sic latissima via panderetur scepticismo.

Objectio. Definitiones exprimunt essentiam: sed definitiones sunt nominales: ergo et essentiae nobis notae.

Resp. Dist. maj. Definitiones rei, conc.; definitiones nominis, neg. Dist. min. Aliquae, conc.; omnes, neg. Et neg. cons. *Duplex est definitio,* ut visum est in Logica, idest, nominis et rei: pari ratione duplex his respondet cognitio, quia non definitur nisi id quod cognoscitur: inter quas tamen primatum obtinet definitio essentiae, cum medii munere fungatur in syllogismo demonstrativo notitiam scientialem rei praebente; contra nominalem, quae nonnisi vagam et extrinsecam rei notitiam profert.

ARTICULUS X.

De existentia entium.

Quamvis non sit idem conceptus essentiae et existentiae, quia prima est simpliciter principia rei referens, altera vero actualitatem essentiae; tamen in re, seu in esse physico unum infert aliud, cum essentiae nihil sint entitative divisae ab existentia et solam possibilitatem habeant, quae nullum ens ex parte rerum ponit. Tractatus ideo existentiae veluti complementum ultimum tractatus de essentia habendum est, sicut in re existentia complementum est essentiae.

Existentia describitur*: id quo res formaliter constituitur extra suas causas;* vel, existentia est *ultimus actus quo res formaliter constituitur extra suas causas.* Dicitur *actus ultimus* non quidem in ordine praedicationis, ut optime notat Doctor II. D. III. q. III. n. 3., quia existentia ut sic non est ultima, sed veluti affectio generalis quae late patet, sicut genera suprema, imo et ens; sed in ordine

essendi: nam ipsa est id per quod res in actu essentiae vero et reali constituitur, ultra quem a re nullus alius actus exigitur, nisi accidentalis. Caetera innuunt res (quae exutae existentia solum continentur in exemplaribus divinis, ideoque in sua causa exemplari, efficiente et finali) per existentiam extra eas poni et verum *esse* in se acquirere, quod sane diversum est ab esse causae primae.

Definitio allata solum his rebus convenit, quarum est posse habere causas sui, a quibus in esse constituantur: cum autem Deus sui causas respuat, pronum est illam definitionem actui essendi, qui Deo convenit, non posse tribui. Hinc discerpitur existentia in *proprie* talem, quae rebus creatis addicitur, et in *minus proprie,* quae significat actum essendi in genere, verum *realem* et *formalem.* Et eo sub respectu generice existentia definiri potest: *id quo res est actu existens:* quam omnibus appropriari posse manifeste apparet.

De existentia famosa quaestio agitatur inter thomistas et scotistas; quorum primi tuentur illam realiter distingui ab essentia, alii vero denegant: quibus ultimis adstipulantur inter veteres Halensis, Durandus, Suarez et alii multi; inter recentes Balmes, Mendive et generaliter omnes, si excipias rigidiores thomistas. Vide Doctorem IV. D. XIII. q. I. n. 38. et *Quodl.* XIII. n. 10.

Ad hanc controversiam DE REALI VEL NON REALI DISTINCTIONE ESSENTIAE ET EXISTENTIAE *praenota:*

I. Ea dicuntur distingui realiter quorum unum est alia res ab eo, a quo distinguitur; v. g. anima humana et corpus organicum, substantia et accidens, manus et manus etc. etc.

II. Quaestio institui potest dupliciter, de conceptibus

nempe, de existentia et essentia metaphisice seu abstracte consideratis, vel de his consideratis physice. In prima parte omnes conveniunt pro distinctione reali; quia cuilibet constat conceptum unius non esse conceptum alterius, nec essentiam consideratam in sua possibilitate et abstractam ab existentia, hanc includere. Quaestio igitur tota est de existentia et essentia physice consideratis. Sub quo aspectu quaestio in summa ad hoc reducitur: *an essentia distinguatur a sua realitate?* vel sic: *an essentia realis sit alia res ab eo per quod realis est?* nam realitas est ab existentia. Sit igitur propositio.

Prop. EXISTENTIA NON EST DISTINCTA REALITER AB ESSENTIA. Est Doctoris ibi.

Prob. Res *vere* in suo esse constituuntur per *essentiam realem,* non vêro possibilem: atqui essentia evadit realis per existentiam, ut constat ex definitione existentiae: ergo haec includitur in ratione illius; ideoque existentia non est aliud ab essentia, nec distinguuntur hae realiter. *Item* essentia physica vel est aliquid reale in se, seclusa existentia, vel non. Si primum; ergo inutiliter ei additur id per quod res reales evadunt, idest existentia. Si secundum, quoniam reali opponitur non reale, seu possibile, compositum ex essentia et existentia, erit aliquod constans ex possibili (essêntia) et reali communissimo, idest existentia, quae de se revera refert aliquid communissimum cunctis rebus creatis: quod concipi nequit.

Praeterea cum existentia sit accidens modificativum essentiae, totum quod realitatis in re foret, ab accidente fieret dependens. Atqui repugnat accidens esse causam realitatis essentiae physicae. Ergo etiam repugnat distinguere realiter essentiam ab existentia. Major patet; quia

essentia *non existens* nihil in se est, neque de se potest dare quod non habet, seu nullius realis potest esse causa pro cujus constitutione realia principia necessario requiruntur. Minor sic declaratur: repugnat accidens dare substantiam: sed saepius essentiae sunt substantiales: ergo ab accidente nequeunt habere suum reale esse. *Minor etiam constat* ex eo quia accidens reale subjectum reale inhaesionis praesupponit: sed essentia, cui intelligitur advenire existentia, secundum adversae sententiae fautores, non est realis: ergo ei non potest advenire accidens reale, et sic evadit impossibilis rerum existentia. *Neque haec ratio ruit, reducendo* existentiam *ad genus substantiae;* nam cum haec supponatur distincta realiter, propriis principiis maxime realibus constaret; de quibus adhuc liceret inquirere an ab essentia existentiae illa principia distinguerentur realiter necne, et ita in infinitum. Concludendum est ergo existentiam non distingui realiter ab essentia, sed esse modum illius intrinsecum.

Objectiones.

Object. I. Si existentia in rebus creatis non distingueretur realiter ab essentia, res necessario existerent, quia essentiae necessariae sunt: atqui hoc est absurdum: ergo absurdum quoque est existentiam non distingui realiter ab essentia.

Resp. Dist. maj. Res necessario existerent, si existentia esset unum et idem cum essentia metaphysice inspecta, conc.; physice inspecta, neg. maj. contradistincta minore, neg. cons. Haec difficultas est adversariorum ratio palmaris; quam tamen nullius esse roboris per distinctionem

datam manifeste apparet. Ipsi enim essentias metaphysicas cum physicis confundunt, et sic ordinem utrumque, scilicet physicum et metaphysicum. Dicimus ergo essentias in suo conceptu metaphysico non importare existentiam, a qua divisim considerari queunt, sicut ab aeterno ab intellectu divino considerantur. Verum in suo esse physico diversimode se habent: quia quaelibet essentia creata ideoque *physica*, etiam spiritualis, potest destrui, in nihilum redigi et postea rursus reduci ad esse, absque ulla repugnantia; ut visum est art. VI. Sic. v. g. mea essentia, qua ego sum *homo*, destruetur in morte et restituetur in novissimo die, sicut essentia physica omnium hominum: quin tamen per hoc laedatur vel minime immutabilitas, necessitas et aeternitas essentiae humanae in sua ratione *metaphysica*. Cum igitur ex falso supposito procedat difficultas, ex seipsa corruit.

Recollige ex dictis: quod est ejusdem rationis cum alio subiens easdem vices, non est *aliud ab eo*, sed vel idem, vel affectio intrinseca illius. Atqui ita est de existentia et physica essentia. Ergo non sunt alia et alia res, seu non sunt realiter distinctae.

Neque ex nostra sententia illud deducitur absurdum quod adversarii autumant, scilicet essentiam creatam fieri perinde ac increatam, in qua nulla est distinctio inter essentiam ac existentiam: nam periculum est non in indistinctione ponenda, sed in concedendo creaturis cum esse physico necessitatem etc., quod longe est a sententia nostra, ut patuit. Vide I. D. XXXVI. n. 11.

Object. II. Essentia et existentia separatim concipi possunt: hoc autem de distinctis realiter accidit: ergo etc.

Resp. Dist. maj. Quia in suo conceptu non sunt omnino

idem, conc.; quatenus duae sint res, neg. Dist. min. De omnibus, conc., de solis neg. Et neg. cons. Ad aliquid abstracte et in simplici suo conceptu distincto a conceptu alterius, considerandum, sufficit fundamentum aliquod. Atqui pro conceptu existentiae efformando sufficiens fundamentum invenitur distinctum a fundamento essentiae; quia illa concipitur ut affectio intrinseca hujus. Non est ergo necessaria distinctio realis. « Non enim esse existentiae habet proprias differentias alias a differentiis esse essentiae, quia tunc oporteret ponere propriam coordinationem existentiarum aliam a coordinatione essentiarum; sed praecise determinatur ex determinatione alterius » (II. D. III. q. III. n. 1.), idest esse essentiae.

Object. III. Existentia relate ad essentiam se habet per modum actus ad potentiam. Atqui actus et potentia realiter distinguuntur. Ergo et essentia et existentia.

Resp. Dist. maj. In ordine possibilium conc., in ordine physico subdist.; per quamdam similitudinem conc., proprie et vere neg. maj. Conc. min. et neg. cons. Potentia alia est objectiva, alia subjectiva. Atqui ad neutram reduci potest essentia physica relate ad existentiam. Ergo vere et proprie hae non sunt per modum verae potentiae et actus, sed per similitudinem. Minor constat. Nam non potest reduci ad objectivam, cum haec cum puro possibili confundatur, quod reale praebere non valet, ut supra vidimus; neque cum subjectiva, quia haec est aliquid reale includens ideo existentiam.

Inst. Substantiae creatae a Deo acceperunt existentiam. Ergo earum essentiae haberi debent tamquam vera potentia.

Resp. Dist. antec. Substantiae creatae a Deo acce-

perunt simul essentiam existentem, conc.; essentiam et existentiam, quasi realiter aliud et aliud, nego. Creatio est eductio totius esse ex nihilo: totum ergo res creatae simul a Deo acceperunt, idest et essentiam et existentiam. Si prima cum secunda manet, non est potentia, quia haec repugnat manere adveniente actu, ut visum est art. I.

Scholion.

Scotistae dum in rejicienda reali distinctione inter essentiam atque existentiam conveniunt, non conveniunt in determinando quaenam earum distinctionum, quae enumerantur a philosophis, sit in casu applicanda. Quidam sunt pro distinctione *rationis*, cujus fundamentum in re invenitur extrinsecus, sicut v. g. inter intellectum et rationem, distinctos solummodo ob actum judicii et ratiocinii etc. Quidam e contra sunt *pro distinctione formali*, quae intercedit inter parvas formalitates ejusdem rei: intrinsecus ideo habens in re suum fundamentum.

Doctor non est explicitus quoad hoc et quilibet nititur eum ad suam partem trahere. Pro distinctione rationis potest afferri hic locus, *Quodl.* XIII. n. 10., « sicut essentiam sic existentiam possum intelligere, licet non sit realiter extra intellectum. » His tamen responderi posset negari solum distinctionem realem, non vero formalem. Pro distinctione formali stat definitio hujus applicabilis bene essentiae et existentiae: quaelibet enim in se concipi potest absque altera; quod est signum distinctionis formalis. Eo vel magis, quia existentia est per modum intrinsecae affectionis essentiae; et affectiones intrinsecae distinctionem formalem patiuntur.

CAPUT III.

De principiis cognoscendi.

Scientiae omnes quibusdam innituntur *principiis*, seu *effatis generalibus* essentialia constitutiva subjecti respicientibus, ex quibus firmitatem suam de eadem re desumunt omnes conclusiones scientificae. Quapropter volenti scientias addiscere absolute necessarium est perspectam habere principiorum notitiam. De his in Logica majori C. v. art. III. locuti sumus prout ratio logica exigebat; nunc de his agendum superest secundum exigentiam metaphysicae. Et quoniam haec est communissima, illius consideratio de principiis communissima erit.

ARTICULUS I.

De principiis cognoscendi in genere.

PRINCIPIUM varie sumitur: *primo* pro omni eo quod aliquid generice inchoat, sive agendo, sicut animae nostrae facultates relate ad operationes suas, sive *non*, sicut de aurora est relate ad diei principium. *Secundo* principium dicitur de omni eo quod esse rei constitutivum confert; v. g. materia relate ad corpus. *Tertio* tandem sumitur pro eo a quo conclusiones educuntur, vel a quo hae firmitatem suam desumunt; deque his nunc.

Primum quod de his inquiritur in ordine ad ens, est de eorum existentia, seu, *an ens principia cognoscendi habeat?* Ratio hujus dubitationis eruitur ex carentia in ente verorum principiorum, cum sit notio omnium sim-

plicissima: quae ratio similiter influxit in dubitationem de illius principiis *essendi* (Cap. praeced. art. I.). Verum quemadmodum ibidem conclusio affirmans posita est pro hoc secundo, ita affirmans pro primo hic ponitur et potiori ratione, cum ens vera *cognoscendi* principia possideat.

Prop. ENS VERA HABET COGNOSCENDI PRINCIPIA. Est Doctoris *Prol.* q. II. lat. n. 18.

Prob. Ut alicui principia vera notionis tribuantur, tria requiruntur. *Primum,* ut habeat subjectum de quo; *secundum,* ut habeat passiones de subjecto demonstrabiles; *tertium,* ut effata quaedam habeat per quae passiones de subjecto educuntur. Atqui tria haec inveniuntur in ente. Ergo ens vera habet principia cognitionis.

Minor demonstratur quoad singulas partes. Et imprimis in ente invenitur *subjectum,* quod est ipsum ens, ut patet; secundo inveniuntur *passiones* de ente demonstrabiles; v. g. unitas, veritas, bonitas etc.; tertio inveniuntur *effata* ex entis notionibus conflata et ad deducendas passiones de eo inservientia, qualia sunt: non potest idem simul esse et non esse; quidquid est, quando est, necesse est esse; quodlibet est, vel non est; quidquid est et non sit per fictionem mentis, est ens reale; quidquid enti, ut est ens, convenit, convenit et suis inferioribus; quidquid est, est idem sibi; quidquid est, respondet ideis archetypis divinis etc. etc.

Praeterea propositio constat ex facto; quia de ente habetur scientia, quae tota est in deducendis conclusionibus de eo, idest metaphysica generalis. Concludimus ergo: « Oportet cujuslibet subjecti esse principia per quae demonstrantur ejus passiones de eo; ex quibus principiis, tamquam ex mediis demonstrationis, formantur prin-

cipia complexa, sicut propositiones per se notae. Hoc modo cujuslibet subjecti possunt esse principia, quantumquumque imprincipiati, respectu suarum passionum. »

Objectio. Principia debent esse superiora subjecto, ut patet vel ex ipso nomine. Atqui nihil est ente superius. Ergo non potest habere vera principia.

Resp. Neg. maj. Nam vel agitur de principiis essendi, vel cognoscendi. Prima nequeunt esse superiora subjecto, quia contenta in illo tamquam partes cujusdam totius. Altera, si sint adaequata, exigunt tantummodo non esse inferiora ad adaequandum subjectum: si vero non sint adaequata, ideoque partem tantummodo subjecti afficiant, non repugnat in ambitu inferiori contineri. « Non oportet, scribit Doctor I. *Metaph.* q. I. n. 9., quodlibet subjectum habere principia priora se; sed principia proprietatum per quae suae proprietates sibi inhaerent, si de ipso sit demonstratio propter quid; » idest, sufficiens est, si principia sint priora passionibus de subjecto demonstratis vel demonstrandis.

ARTICULUS II.

De primo principio cognoscendi.

Multa dari principia communia luce clarius apparet consideranti: praeter enim allata in superiori articulo, ens ejusque passiones respicientia, alia quoque enumerari queunt; v. g. omnis effectus subaudit causam; totum est majus sua parte; nihil est sine ratione sufficienti, etc. etc. In hoc ergo nullus rationalis dissensus inter philosophos sanae mentis haberi potest.

Verum idem non est dicendum circa quaestionem:

an inter hujusmodi principia sit unum quoddam universalissimum omnium, ad quod caetera inferiora referantur cuique subsint, et quodnam sit?

Quidam enim discordant quoad primam partem, quidam quoad secundam. Scilicet, quidam, ut Leibnitius ejusque asseclae, asserunt duo esse universalissima principia, quarum unum est de rebus necessariis, alterum vero de contingentibus: primum vocatur principium contradictionis a scholasticis, ratione suae formae et sic exprimitur: *idem non potest simul esse et non esse:* alterum dicitur *rationis sufficientis* eadem de causa et ita se habet: *nihil est sine ratione sufficienti.* Alii, ut Cartesius cum suis, tuentur unitatem, sed dissentiunt a scholasticis; quia dum hi sunt pro principio *contradictionis,* illi sunt pro altero principio, *cogito: ergo sum.* Quid de horum opinionibus sit sentiendum, tradetur in sequenti articulo. Hic examini subjiciemus Scholae sententiam ab Aristotele acceptam.

In antecessum autem *nota* cum Doctore *Prol. Metaph.* n. 5, et *Metaph. Text.* l. IV. n. 30.: I. Bene ad metaphysicam pertinere hanc dirimere quaestionem; quia agitur de quodam universalissimo, certissimo et firmissimo: est autem metaphysicae de talibus considerare.

II. Non agi hic de primo principio in ordine chronologico vel logico, sed de metaphysico, sive de primo in se.

III. Existentiam hujus non haberi per veram *demonstrationem,* quia « principii demonstrationis non est demonstratio » (I. D. VIII. q. V. n. 24.); cum enim supra se nullum aliud principium habeat, a quo vim suam desumat, caret medio demonstrationis verae. Solum ergo de eo fieri potest demonstratio improprie.

IV. Ad veri primi principii naturam (vide et IV. *Metaph.* q. III. n. 2.) sequentes praerequiri conditiones. « *Prima* conditio est quod circa ipsum non contingit mentiri, vel errare: ideo dicit (philosophus) quod firmissimum omnium principiorum est id...... quod impossibile est mentiri » (*Metaph. Text.* ibi n. 31.). Ratio, quia a primo principio firmitatem desumunt caetera omnia; quae certe labentur, si debile vel falsum sit id in quo fundantur. Et quoniam principia necessaria sunt ad scientias, per debilitatem eorum, hae necessario pessumdarentur. « *Secunda* conditio est quod non sit conditionale, idest, ex suppositione, vel conditione, sed.... notum per se » (ibi). Ratio quia a conditione pendens in sui cognitione et esse non est primum. *Tertia* conditio est quod sit circa communissima et ex communissimis constet, ut patet. *Quarta* tandem conditio est ut ad ipsum caetera omnia principia referantur, in ipsumque resolvantur et saltem indirecte per ipsum demonstrentur. His positis, en propositio:

Prop. PRIMUM OMNIUM PRINCIPIUM DATUR; HOC AUTEM EST PRINCIPIUM CONTRADICTIONIS. Est Doctoris locis praecitatis.

Prob. I. Pars. Certissimum est, ubi multa inveniuntur ordinata, ibi inveniri etiam primum: atqui veritates omnes ordinatae sunt, multo magis principia: ergo inter ea primum omnium est ponendum.

Prob. II. Pars. Ei convenit *primitas* principio, cui conditiones praepositae conveniunt. Atqui hae principio contradictionis ex asse conveniunt. Ergo et primitas. Minor patet per singulas partes.

Imprimis ei convenit *firmitas;* quia « oppositum.... principii.... *impossibile est idem esse et non esse,* non potest

venire in intellectum alicujus, quia tunc essent opiniones contrariae simul in mente; ..... quia opinio opinans esse de aliquo et opinio opinans non esse de eodem, sunt formaliter repugnantes » (I. D. III. q. IV. n. 8.).

Secundo ei principio convenit *esse per se notum*, ideoque non conditionale: et id manifestum evadit vel ex simplici terminorum comparatione et intuitione: ita ut audentes immediatam illius evidentiam inficiari, dementes potius quam philosophi appellandi forent: in quos quadraret quod I. D. XXXIX. n. 13. habet Doctor: « negantes talia manifesta indigent poena, vel sensu, quia secundum Avicennam I. *Metaph.*, negantes primum principium sunt verberandi, vel exponendi igni, quousque concedant quod non est idem comburi et non comburi, vapulare et non vapulare. »

Tertio, principio contradictionis convenit *communitas suprema*, quia constat ex notionibus *entis* et *non entis*, quae sunt omnium communissimae.

Quarto, convenit ei *dignitas subjiciendi* et *firmandi* caetera principia: quorum primum sic patet: termini inferiorum principiorum sub ente continentur et in illud resolvuntur; v. g. totum, pars, causa, effectus etc. significant quoddam ens, vel modum illius: ex quo sic licet arguere: quo aliquid est universalius, eo magis sibi inferiora subjicit; ergo illud omnia sibi subjicit inferiora, in quod cuncta resolvuntur. Sed omnia resolvuntur in notionem entis et non entis. Ergo principium ex his constans subjicit sibi cuncta principia ex inferioribus notionibus constantia. Secundum, idest, de omnium principiorum veritate demonstranda indirecte per principium contradictionis, constat ex facto. Ad quod sufficit unum

et alterum exemplum ex communioribus, remittentes pro reliquis curam studiosis. Igitur si quis inquirat quare *omnis effectus subaudiat causam?* respondetur, quia secus effectus simul foret et non foret. Foret quidem, quia supponitur, cum de nihilo non sit sermo: non foret autem, quia cum desit principium sui esse (nam nemo sibi dare potest esse), et ipse effectus necesse est, desit. Item, si quis rationem exigat quare *totum est maius sua parte,* respondetur similiter, quia secus idem simul foret et non foret *totum:* totum enim complectitur omnes et singulas partes, quae ideo divisim sumptae, minores sunt relate ad ipsum. De principio leibnitiano et cartesiano videbimus postea. Cum igitur principio contradictionis omnes conveniant conditiones praerequisitae ad primitatem, ipsi primus locus tribuendus est inter principia.

Objectiones.

Object. I. Propositio absoluta et affirmans est prior conditionata et negante. Atqui principium contradictionis est conditionatum et negans, quia sic redditur: si aliquod est, non potest non esse; vel, existens non est nihil. Ergo non potest esse primum.

Resp. Dist. min. Si materialiter spectetur, transeat; si spectetur formaliter, neg. Dicitur aliquid spectari formaliter, cum in sui intrinseca natura consideratur.

Igitur dicimus I. principium contradictionis ad demonstrandam necessitatem suam, sub modalis ratione exponi, et idem est ac si dicatur: *necesse est* idem non simul esse et non esse: sed negatio et affirmatio in modalibus est a modo, non a categorica. Cum igitur in

praefato desit negatio in modo, non est dicendum negans (IV. *Metaph.* q. III. n. 5.). Patet item non esse conditionatum, quia *necesse est* et *impossibile est* sunt per modum veri absoluti.

Dicimus II. principium hoc esse formaliter affirmativum continens quasi ad sui complementum quamdam negationem; de qua mirari non oportet, cum cujuslibet principii tum affirmantis, tum negantis sit fundamentum: utramque igitur, idest, affirmationem et negationem continere debet, licet principaliter primam, non principaliter autem alteram. Neque per hoc laeditur simplicitas, cum constet ex negatione et affirmatione; quia haec non est attendenda a *numero parco* terminorum, sed ab horum *simplicitate*. Caeterum prior, i. e., numerus terminorum non potest magis coarctari, quam coarctatus est in principio primo a scholasticis tradito, nisi simul laedatur primitas principii.

Inst. Datur aliud principium tum negativum, tum affirmativum, simplicius et universalius principio contradictionis; v. g. *ens est id quod est; vel quidquid est, quandiu est, necesse est esse: quodlibet aut est, aut non est.*

Resp. Neg. De *primo* dicimus esse potius definitionem, quam principium; neque apparet quomodo influat in demonstrationem caeterorum. De *secundo* dicimus, quod si inquiratur ejus ratio, naturaliter fluit responsio, quia idem non potest simul esse et non esse. Idem de *tertio* tene, ut facile constat consideranti.

Object. II. Principium contradictionis non est evidentissimum, tum quia indiget demonstrari, tum quia non admittitur ab omnibus: non ideo primum omnium habendum est.

Resp. Dist. antec. Indiget demonstrari demonstratione late sumpta, conc.; rigorose sumpta, neg. Item, non est evidentissimum protervis, conc.; rectis et sincere veritatem diligentibus, neg.

ARTICULUS III.

De sententia Cartesii et Leibnitii.

Ex dictis facile habetur refutatio sententiae Cartesii et Leibnitii circa primum omnium principium. Nihilominus quoniam inter recentes non desunt, qui eorum opinionibus adhaereant, pauca in particulari addenda putamus. Et imprimis de Cartesio.

Prop. *Ego cogito, ergo sum,* NON POTEST ESSE PRIMUM OMNIUM PRINCIPIUM.

Prob. Ad naturam primi principii duae inter praecipuas conditiones requiruntur, idest, ut sit *universalissimum* et *ab eo robur cuncta* accipiant principia. Atqui principium cartesianum non est universalissimum, neque ab eo caetera principia robur habent. Ergo non est primum omnium. Probatur *minor* quoad singulas partes. *Non est universalissimum* COGITO, quia tum actus quo quisque cognoscit, tum termini quibus principium constat, tum materia significata per ipsum, sunt singulares et determinati, ideoque opposita rationi universalitatis. *Ab eo robur non accipiunt caetera principia.* Quomodo enim firmatur veritas hujus principii *totum est majus sua parte, omnis effectus subaudit causam* etc. etc., ex eo quod ego cogito, ergo et sum?

Eo vel magis quia, sive ego cogitem, sive non, nullus influxus in principia praefata et in alia obtinetur; nisi

forsan per circulum plurium rationum perveniatur ad principium contradictionis, sicut in argumento sequenti dicetur. Sane si a Cartesio inquiratur, quanam ratione ex eo quod cogitat, concludit *ergo sum?* respondere tenetur vel id haberi ex testimonio conscientiae, vel quia cogitatio supponit subjectum existens. Atqui utraque responsio includit principium contradictionis. Ergo, etc. *Minoris prima pars* sic manifesta evadit; nam testimonio conscientiae fidimus quia ipsa immediate nostras affectiones refert sine ulla deceptione: et quoniam idem non potest simul esse et non esse, si est, absolute sensui interno assentimur. *Altera pars minoris* sic evincitur: non licet certos esse de existentia subjecti ob existentiam cogitationis, nisi quia omnis effectus subaudit causam: quod principium item est resolubile in principium contradictionis, ut visum est in fine praecedentis articuli.

Neque magistro suffragantur discipuli reddentes sic cartesianum principium: *Quidquid in idea clara et distincta entis continetur, id de ea potest affirmari;* quia inquirendo hujus affirmationis rationem, inciditur naturaliter in principium contradictionis: *impossibile est idem simul esse et non esse.*

Object. Illud est omnium primum principium, de quo quis certus est, etiamsi omnia alia falsa esse credantur. Atqui tale est principium *cogito, ergo sum.* Ergo ipsum est omnium primum.

Resp. Dist. maj. Dummodo alia omnia requisita habeat pro primo principio, de quibus art. II., conc.; secus, negatur. Dist. min. Nec tamen in se omnia praerequisita continet, conc., secus neg. et neg. cons.

Prop. altera contra Leibnitium. PRINCIPIUM RATIONIS SUFFICIENTIS VERUM EST, TAMEN NON EST OMNIUM PRIMUM.

Prob. I. pars. Nulla res potius existit, quam non existit, nullaque potius hoc modo, quam diverso, nisi aliqua sit causa vi cujus res ita se habeat etc.: haec autem causa identificatur cum ratione sufficienti. Ergo nulla res existit sine sufficienti ratione. Et id non solum de contingentibus est verum, sed etiam de necessariis; quia, v. g. homo non est, nisi ratione praeditus; cujus ratio sufficiens est et exigentia talis naturae et ordo in divina mente existens.

Prob. II. pars. Nobis licet esse certos de principio rationis sufficientis, quia si nulla ratio extaret de aliqua re, res ipsa non existeret: et ita simul foret et non foret. Insistimus autem admodum huic modo arguendi, quia ordinatio principii in aliud superius se, aufert praecipuam inter conditiones praerequisitas ad primum omnium; et insimul exemplis corroboratur ultima ratio nostrae propositionis, qua defenditur principio contradictionis dignitas subjiciendi sibi et firmandi caetera principia.

CAPUT IV.

De passionibus entis.

Scientia rei non in sola subjecti, ejusque essentiae notione sita est, sed etiam sese porrigit ad ejus qualitates necessarias, quae communiter in scholis *passiones* vel *proprietates* rei appellantur et ab essentiae principiis, vel a toto composito promanare intelliguntur. Notio ergo simplex rei, ejusque essentiae sine proprietatum notitia

potest in naturalibus comparari osseae formae et in artificialibus rudi lineamento statuae: quemadmodum enim haec parvi sunt momenti, nisi omnibus perficiantur quae in naturam speciosam et in imaginem perfectam concurrunt: ita parvi momenti foret tractatio scientifica alicujus objecti, nisi perspectae fiant cunctae illius passiones vel proprietates. Speciatim autem id accidit de ente ratione suae altissimae simplicitatis; a cujus tractatu si demantur passiones, fere nihil agendum superesset circa intrinseca illius. Recte autem de his peragitur hic, quia hae subsequuntur essentiam; de qua immediate supra actum est.

ARTICULUS I.

De passionibus vel proprietatibus entis in genere.

Passio variis usurpatur significationibus. *Prima*, pro speciali praedicamento actionis categoriae opposito, de quo Cap. ultimo in fine hujus. *Secunda*, pro physica qualitate, v. g. odore, sapore etc., qua aliqua res ditatur. *Tertia*, pro affectione metaphysica ab essentia profluente cum qua identificatur; v. g. docibilitas et risibilitas in homine. Hic de passione solummodo tertio modo sumpta est sermo, quia sola ea passio proprietatis naturam induit.

Passio vel PROPRIETAS REI METAPHYSICA describitur: *forma quaedam metaphysica realis per emanationem consequens essentiam et ab ea tantum formaliter distincta, eamdemque instar qualitatis inseparabiliter afficiens*. Dicitur *forma realis* quia passio non est mentis figmentum, sed aliquid realiter afficiens essentiam. Dicitur *metaphysica* ut a physica distinguatur, idest ab his qualitatibus quae a physicis proprietates dicuntur, quae tamen in or-

dine metaphysico sunt vere accidentia, ut nigredo in corvo. Additur *per emanationem* etc., ut innuatur earum natura; profluunt enim per quamdam resultantiam ab essentia, a qua ideo habent rationem essendi. Apponitur *ab ea tantum formaliter distincta,* nam in schola scotistica inter essentiam et passiones sola formalis distinctio ponitur. *Caetera* inseparabilitatem passionis a subjecto tradunt.

Ex data definitione QUATUOR ad veram passionem requiri CONDITIONES, manifestum evadit: 1ª ut sit aliquid reale, quia metaphysica non curat de conceptibus simpliciter; 2ª ut non sit de quidditate rei, quia profluens necessario supponit prae se id a quo necessario debet profluere, idest, essentiam et essentialia principia; hinc illud Philosophi I. *Post.* 4. passionem non dici de subjecto primo modo dicendi *per se,* sed secundo tantum; 3ª ut distinguatur ab essentia, eadem de causa; 4ª ut dicatur convertibiliter cum subjecto, quia ei realiter identificatur et ab illius principiis suum esse accipit: hinc recte dicitur: homo est risibilis et risibilis est homo.

Quomodo vero de ente passiones dicantur, breviter a Doctore exponitur I. D. XXXIX. n. 13. « Passiones... entis convertibiles ut communius immediate dicuntur de ente; quia ens habet conceptum simpliciter simplicem et ideo non potest esse medium inter ipsum et suam passionem, quia neutrius est definitio, quae possit esse medium. Si etiam sit aliqua passio entis non prima, difficile est videre per quam priorem, ut per medium possit concludi de ente; quia nec est videre ordinem passionum entis, nec si ille ordo cognosceretur, viderentur propositiones assumptae ab eis pro praemissis esse multum evidentiores conclusionibus: » v. g. ex his quae de unitate do-

centur vel non concluditur de veritate, vel si concluditur, illatio non fit manifesta ex praemissis.

De realitate passionum vix licet sanis metaphysicis dubitare, tum si sermo sit de ente in universo, tum de hoc, vel illo ente in particulari. De particulari patet, quia nuda essentia non complectitur universam perfectionem subjecti, sed solas notiones priores quasi fundamentum rei ponentes: alia igitur requiruntur ad hujus completum esse et haec communiter passiones appellantur. De ente in universo patebit cum de ejus passionibus in particulari sermo erit; quia *revera* ens quodlibet est unum, verum et sic de caeteris affectionibus ejus.

Quamvis ordo inter entis proprietates non clare appareat, Halensis tamen noster I. p. q. XIII. m. II., ita illum praebere nititur: primo enti convenit unitas, secundo veritas, tertio bonitas: quod tripliciter declaratur:

1° Ens prius considerandum est uti absolutum, quam ut relativum, vel per modum relativi; hoc enim illud praesupponit quasi sui fundamentum. Atqui *unitas* est aliquid absolutum, et *veritas* et *bonitas* sunt per modum relativi ad intellectum et voluntatem. Ergo unitas his prior sit oportet.

Si autem inquiratur quaenam relativorum statim subsequatur, dicimus veritatem; ratio quia veritas metaphysica est convenientia rei cum intellectu a quo producitur: res autem prius concipitur intellecta, quam bona; et prius refertur ad intellectum, quam ad voluntatem, quia nil volitum quin praecognitum.

2° In relatione ad augustissimam Trinitatem inspecto enti tribuitur *unitas*, quae appropriatur Patri, *veritas* quae appropriatur Filio, et *bonitas* quae appropriatur Spiritui

Sancto. Et quoniam prior prioritate signi est Pater, inde Filius et tandem Spiritus Sanctus; ita prius intelligitur enti convenire unitas, inde veritas et in ultimo bonitas. Vide I. D. III. q. V. n. 5.

3° Ens potest considerari in ordine ad animam et ut sic dicitur unum prout refertur ad memoriam, dicitur verum prout ad intellectum, dicitur bonum prout refertur ad voluntatem.

DIVIDUNTUR PASSIONES entis a Doctore ibidem q. III. n. 19. et *Metaph. Text.* l. IV. n. 9. in *unicas* seu *incomplexas* et in *disjunctas* seu *complexas*. Dicuntur *unicae* hae passiones quae unico nomine designantur, unumque significant, quae simul convenire possunt enti sine vel minima difficultate; tales sunt *unitas, veritas, bonitas*, quae cum ente convertuntur et propriae passiones ejus appellantur. Dicuntur vero *disjunctae*, vel complexae quae duplici designantur nomine, duoque referunt, quae non possunt simul convenire enti, sed alterutrum tantum: tales sunt *identitas* et *diversitas, contingentia* et *necessitas, actus* et *potentia:* quae per modum oppositionis relativae se habent et revocantur reciproce, non unum simpliciter innuentes, sed multiplicitatem quandam, ex qua desumunt suam complexionem.

ARTICULUS II.

De distinctione inter ens ejusque passiones.

Docet Doctor IV. *Metaph.* q. II. n. 2. etc. Avicennae assentiens (n. 10.) PROPRIETATES ENTIS AB HOC NON DISTINGUI simpliciter per mentis opus, nec tamen realiter; media ergo distinguuntur ratione, seu FORMALITER. Di-

stinguuntur; quia secus dicendo ens, unum, verum etc. unum et idem diceretur, et sic hi termini synonimi forent: quod est absurdum. Neque id obtinetur per mentis opus; quia in his concipiendis intellectus reale invenit fundamentum, cum aliter se praebeat ens simpliciter, aliter unum, verum etc. Non tamen realis distinctio intercedit, tum quia ens hanc multiplicitatem respuit ratione suae simplicitatis; tum quia quidquid existit realiter ab alio distinctum, est aliud ens: passiones autem sunt modificatio entis tantum. Videtur favere Seraphicus I. D. VIII. p. I. art. I. q. I. in fine et Halensis I. p. q. XV. m. II. etc. etc.

Dicimus secundo de proprietatibus IN GENERE RERUM has perinde se habere relate ad subjecta quorum proprietates sunt, sicut passiones entis ad ipsum; cum hac tamen differentia, quod in ente distinctio minus concipitur, quam in naturis ratione item simplicitatis quae major invenitur in illo, quam in his; minor autem, vel major gradus in modificationibus intrinsecis non variat distinctionem: quemadmodum non variatur in diversis gradibus distinctionis realis. *Ratio* autem primae assertionis haec est. Perfectio realis naturae non est alia res a natura; v. g. gradus coloris relate ad colorem. Atqui passiones, seu proprietates sunt per modum perfectionis intrinsecae naturae. Ergo non sunt alia res a natura ipsa. *Item* passiones non possunt separari a natura non solum re, sed rationabiliter neque a mente: hoc autem non repugnat in distinctis realiter. *Denique* realiter distincta in eodem subjecto diversam essentiam sive numerice, sive specifice, habent: atqui passiones non habent distinctam essentiam a subjecto, quia sunt ab illius principiis emanationes connaturales vel ejus intrinsecae affectiones.

Recte ideo concludit Doctor ibidem n. 24.: « Sicut essentia divina infinitas perfectiones continet et omnes continet unitive, sic quod non sunt alia res, sic essentia creata potest aliquas perfectiones unitive continere... In creatura quaelibet perfectio contenta limitata est et limitatior essentia continente secundum totalitatem constituta; ideo quaelibet potest dici pars perfectionis, non tamen realiter differens quod sit alia natura, sed *alia perfectio realis*, alienitate, inquam, non causata ab intellectu; nec tamen tanta quantam intelligimus cum dicuntur diversae res; sed differentia reali minori, si vocetur differentia realis omnis non causata ab intellectu. »

Hisce praehabitis, acturi sumus seqq. articulis de entis proprietatibus incomplexis, idque ex ordine supra dato.

ARTICULUS III.

De unitate in genere.

Antequam ad agendum DE UNITATE in ordine ad ens accedamus, necessarium ducimus de unitate in universum peragere: cujus unitatis a Doctore I. D. II. q. VII. n. 44. QUINQUE GRADUS assignantur. In *primo*, est unitas *aggregationis*, quae in hoc ordine est minima; sicut videre est in acervo lapidum: in *secundo* est unitas *ordinis*, et haec aliquid addit perfectionis supra unitatem aggregationis; sicut videre est in unitate syllogismi et universi: in *tertio* est unitas *per accidens*, ubi ultra ordinem, est etiam informatio (licet accidentalis) unius ab altero; v. g. in corpore *albo:* in *quarto* est unitas *per se compositi* ex principiis essentialibus per se actu et potentia; sicut est in

composito humano: in *quinto* est unitas *simplicitatis*, quae est vere identitas, quia quaecumque ibi sunt, realiter idem sunt; qualis unitas in natura divina et spirituali invenitur.

Haec divisio, licet summa capita complectatur, tamen non est totaliter perfecta ratione praecipue subdivisionum: aliam ergo referimus magis integram. Prima ergo *divisio unius* est in *unum per se* et in *unum per accidens*. Dicitur *per se unum* quod unum natura constituit; v. g. homo, angelus etc.: dicitur *unum per accidens* quod pluribus constat numerice distinctis, v. g. pluribus accidentibus, individuis etc.

Horum quodlibet subdividitur: *unum per accidens* in unum *aggregationis, ordinis,* et *in unum antonomastice per accidens*. Dicitur unum *per aggregationem* quod plura entia constituunt completa independenter ab ordine; v. g. acervus lapidum; quae si praeterea ordinatim disponantur, *unum ordinis* habetur; v. g. domus, exercitus etc. Dicitur *unum antonomastice per accidens* quod praeter ordinem includit informationem, seu unionem physicam accidentalem; v. g. informatio subjecti ab accidentibus, parietis ab albedine etc.

Unum per se subdividitur in unum *simplicitatis* et in unum *compositionis*. Unum *simplicitatis* dicitur quod *caret* partibus essentialibus, quarum una sit potentia per se, v. g. materia, altera vero per se actus, v. g. forma: hujusmodi convenit animae humanae, angelis et modo perfectissimo primo omnium entium, seu Deo. Unum per *compositionem* dicitur e contra quod ex partibus *constat,* quarum una est potentia per se, altera autem per se actus.

Hoc ultimum iterum partitur in unum *physicum, me-*

taphysicum et *logicum*. Dicitur aliquid unum unitate compositionis *physicae*, quod coalescit ex partibus physicis, seu physice consideratis; v. g. compositum ex materia et forma: dicitur unum unitate compositionis *metaphysicae*, si constet ex partibus metaphysicis; v. g. compositum ex animalitate et rationalitate: tandem dicitur unum unitate compositionis *logicae*, aliqua nota quae sub se comprehendit plura genere, vel specie, vel numero differentia; quo sensu equus et homo dicuntur unum genere, Petrus et Paulus unum specie etc. etc.

Quodlibet istorum dividi adhuc potest: *physicum* in essentiale et integrale: *metaphysicum* in essentiale, praedicamentale et transcendens: *logicum* vero in unum genere, specie, numero et proportione.

Est physicum *essentiale* cum unum refert partes essentiales rei, v. g. materiam et formam; *integrale* vero quando refert partes integrales, v. g. unum quo partes nostri corporis cohaerent.

Metaphysicum dicitur *essentiale* quod adaequatam rei essentiam refert; si vero tantum praebeat essentiae partem, dicitur *unum praedicamentale;* quo ambitu continentur omnes categoriae, seu praedicamenta. Dicitur unum *transcendens* quod categorias transgreditur; v. g. unitas entis, de quo statim.

Tandem logicum dicitur *unum genere* quod intelligitur cum unitate communicabile pluribus differentibus specie; v. g. unitas animalis: si intelligitur communicabilis pluribus solo numero differentibus, dicitur *unum specie;* v. g. homo: si vero intelligitur sub ratione incommunicabilis, evadit *unum numero;* v. g. Petrus: si vero similiter plura se habeant ad sui inferiora, dicitur *unum*

proportione; quo sensu color et animal unum dicuntur, quia in relatione ad inferiora utrumque est genus determinabile in species, diversas tamen. Vide v. *Metaph.* q. IV.

ARTICULUS IV.

De unitate entis.

Unitas de qua praecipue metaphysica inquirit, est UNITAS TRANSCENDENS, seu entis, quae ita definitur: *proprietas metaphysica entis realis importans indivisionem entis a se et divisionem a quolibet alio.* Prima definitionis pars excludit proprietates physicas, innuitque reale esse id quo unitas in sua ratione formali constituitur. Ea verba *indivisionem entis a se* tradunt unum non pati ultra divisionem quin destruatur. Caetera patent. Halensis de passionibus entis loquens scribit quod unitas addit enti *indivisionem entis;* veritas indivisionem *esse*, « unde veritas est indivisio esse et quod est; » bonum praeter indivisionem *entis* et *esse* addit indivisionem secundum *bene esse* (I. p. q. XV. m. II.).

De unitate in ordine ad ens duo a metaphysicis inquiruntur; *primum* an cuilibet enti insit, quod est idem atque inquirere: *an omne ens sit unum? Alterum* de ratione formali ipsius unitatis quaerit: *an unitas dicat aliquid positivi, vel negativi?* De quo ultimo non est convenientia inter Doctores: scotistae enim sunt pro *positivo*, thomistae vero pro *negativo.* Resolutio sequentibus propositionibus traditur.

Prop. I. OMNE ENS EST UNUM. Est Doctoris IV. *Metaph.* q. II. n. 14. et II. D. XVI. n. 17.

Prob. Ens quodlibet in rerum natura invenitur indi-

visum in se et divisum a quolibet alio: hoc autem infert unitatem, ut in definitione visum est. Ergo omne ens est unum. Majoris prima pars patet, quia divisio ens destruit, neque per destructionem perseverat idem. Altera pars item patet; quia eo ipso quod ens est *hoc,* non est *aliud. Praeterea* ens reale quod occurrit consideranti aut habet multiplicitatem aut non: si non, stat pro eo propositio: si sic; quoniam hoc compositum in plura entia resolvitur unitate praedita qua enumerari possunt, praebet ideo praeter unitatem talis compositi, multiplex ens, quorum quodlibet est unum.

Pro cujus rei majori claritate *nota* ens non in abstracto, sed in concreto consideratum, seu quatenus est *hoc aliquid,* multipliciter ordinari ad unitatem. Si enim est *simplex,* nonnisi unitas convenire ei potest, quae est simul entis et talis entis; nam cum variis entitatibus careat, caret etiam multiplicibus unitatibus (Vide ibidem *Metaph.* n. 18.). Si vero ens est *compositum,* tunc praeter unitatem talis compositi, v. g. hominis, alias etiam continet unitates, quot sunt principia seu entitates quibus constat; v. g. in homine praeter unitatem hominis est unitas entis corporis et entis animae, quae perseverant etiam post hominis destructionem mortem subsequentem.

Neque quis objicere potest repugnare in eodem plures unitates; quia huic *respondetur* cum Doctore (ibi) repugnantiam obtineri per plures unitates essentiales ejusdem rationis, v. g. compositi, formae, corporis etc., non vero diversae rationis et accidentales, v. g. una compositum, altera corpus, tertia animam afficiens; vel unitas oculi dexteri, altera oculi sinistri etc.

Objectio. Ens metaphysice inspectum universalitate

gaudet. Atqui universale repugnat unitati. Ergo ens metaphysice inspectum non est unum.

Resp. Dist. maj. Si abstracte formaliter consideretur, conc.; si consideretur prout est in natura, neg. Contradistincta minori, neg. cons. Ens in rerum natura est objectum metaphysicae: non ideo prout est formaliter universale; sed prout est *hoc aliquid,* a quo facile abstractio fieri potest pro formali constitutione universalis. Vel *adhuc* sic distingue in genere; est universalis conceptus entis fundatus in ratione simpliciter entis et unius, conc.; est universale ens et unum in rerum natura, neg. Tandem *tertio* sic distingue: est communis natura considerata praecisa ab individuatione qua afficitur, conc.; cum principio individuante, neg. Verum naturaliter illa non potest inveniri nisi in individuo.

Prop. II. Unum in re aliquid positivi infert. Est Doctoris ibi n. 13. et ii. D. iii. q. ii. et vi. n. 9.

Prob. « Privatio nullam perfectionem ponit; unitas ponit; quod probatur, quia in quolibet perfectius est ipsum quam non ipsum; divisio enim ubique notat imperfectionem; tum quia in imperfectionibus numquam reducuntur aliqua ad summum tale, sicut nec est summum malum; sed omnia una reducuntur ad summum unum: tum quia privatio non recipit magis et minus; aliquid autem est magis unum alio, ut simplex composito » (ibi).

ARTICULUS V.

De unitate individuante.

Unitas prout sequitur tale ens, v. g. tale compositum, dicitur *individualis;* de qua nunc. Ipsa tripliciter sumitur,

idest physice, logice et metaphysice. Individuum *physice* consideratum definiri potest: natura aliqua singularis constans ex proprietatibus, quarum collectio in uno tali, non reperitur in alio. Et hae his versiculis continentur:

Forma, Figura, Locus, Tempus cum Nomine, Sanguis,
Patria sunt septem quae non habet unus et alter.

Forma dispositionem qualitatum respicit; *figura* vero dispositionem quantitatis; v. g. Petrus per formam dicitur pulcher, per figuram autem dicitur altus, exiguus etc. *Locus* innuit solum morae. *Tempus* innuit instans nativitatis, virilitatis etc. *Nomen* infert appellativum proprium; v. g. Socrates, Plato. *Sanguis* progeniem importat; v. g. ex gentilitia Scipionum familia. *Patria* denique designat provinciam, vel civitatem a qua quis ducit originem; v. g. esse romanum, hetruscum etc.

Individuum *logice* inspectum definitur: id quod de uno tantum praedicatur; logica enim semper progreditur in ordine praedicationis.

Tandem individuum *metaphysicum* definiri potest cum Doctore II. D. III. q. VI. n. 9.: illud « cui repugnat divisio in plures partes subjectivas et cui repugnat non esse hoc signatum: » et clarius VII. *Metaph.* q. XIII. n. 17.: « individuum, sive unum numero dicitur illud quod non est divisibile in multa et distinguitur ab omni alio secundum numerum; » v. g. Petrus, qui in plures *petreitates* non potest discerpi, imo neque in plures partes, quin destruatur.

Circa naturam principii individuantis variae habentur opiniones inter scholasticos. Quidam enim principium hoc constituunt *in materia* in genere, ut quidam

thomistae: alii reponunt *in materia signata* quantitate, scilicet in materia et quantitate simul seu cum ordine ad quantitatem, ut non pauci alii thomistae: alii *in forma*, seu in principio determinante materiam ad hanc, vel illam naturam: alii *in unione formae cum materia*, ut Seraphicus II. D. III. p. I. art. II. q. II.: alii *in existentia:* alii tandem in *quadam perfectione positiva ultimo determinante naturam*, ut Scotus et scotistae.

Horum sententiae en clarior expositio: ipsi tuentur naturam de se aliquid commune pluribus complecti, indigens determinari per aliquam entitatem positivam solum formaliter a natura distinctam, quemadmodum genus per positivum quid in inferiora discerpitur et determinatur. Et quoniam differentia specifica dicitur quae genus in speciem determinat, ita quae naturam determinat in individuum, recte *differentia individualis* et etiam *haecceitas* appellatur, quae definitur: *ultima realitas entis, qua efficitur ut ens sit hoc et non aliud.* Etsi terminus *haecceitas* praecipue adhibeatur a Doctoris discipulis, tamen ipsa doctrina desumpta est a magistro: qui insuper eo termino utitur in *Paris.* II. D. XII. q. V. passim et in *Metaph. Text.* hic et illic. Quid de hac materia sit tenendum, sequentibus articulis demonstrare conabimur.

ARTICULUS VI.

Sententiae rejiciendae circa principium individuationis.

In praesenti articulo refutantur hae sententiae, quae videntur esse longe a veritate: et quoniam quaedam materiam et quaedam formam vel utramque simul respiciunt, duabus propositionibus distinctis refutatio tradetur.

Prop. I. Neque materia nuda, neque materia signata quantitate potest esse principium *individuationis*. Prior pars est Doctoris II. D. III. q. v. et VII. *Metaph.* q. XIII. n. 6. Altera pars est ejusdem ibid. *Sent.* q. IV. et *Metaph.* n. 5.

Prob. I. pars. Individuatio est ultima rei determinatio: cum autem effectus non possit produci a causa opposita, determinatio fit per aliquid oppositum communi: atqui materia nuda est communis non solum alicui speciei, sed cunctis creatis sensibilibus: ergo non potest esse causa, ideoque principium ultimae determinationis, seu individuationis. *Praeterea* in corruptionibus et generationibus, etsi maneat eadem numero materia, non tamen idem individuum manet: sed manente eadem materia, ideoque eodem principio individuante, manere etiam intelligeretur idem constitutum, atque idcirco idem individuum. Cum ergo hoc non maneat, concludendum est individuationem non procedere a materia nuda.

Prob. II. pars. Quantitas, quae cum materia asseritur esse principium individuans, vel est signata indeterminate, vel determinate. Atqui non primum, quia eadem manet etiam in corrupto et generato, sicut dictum est superius: et quoniam illius fieri possunt transitus indefiniti, idem semper per eam constitueretur individuum. Non secundum; quia determinatio, seu limitatio materiae est a forma, ut patet, quia varia est pro varietate formarum; hinc alia est limitatio in homine, alia in planta etc.: atqui forma non causat vel agit, nisi sit individua: individuum ergo praecedit natura materiam signatam; tantum abest ut ab hac constituatur. *Item* quantitas manet cum materia, superveniente novo individuo: ergo ipsa

non est individuationis principium. Antecedens facile experientia constat si cadaver animalis et planta mortua consideretur.

Praeterea, si per miraculum Deus animam v. g. Pauli infunderet in corpus Petri et viceversa (quod certe nullam in se involvit repugnantiam, cum agatur de corpore et anima ejusdem speciei) individuum maneret idem in sententia adversariorum: hoc autem est inintelligibile: ergo inintelligibilis etiam est opinio eorum. *Tandem* tale sit oportet principium individuationis, ut cunctis appropriari possit. Atqui materia signata non potest spiritibus et animae separatae tribui. Ergo in ea non est ponendum principium individuationis.

Huic ultimo argumento ab adversariis respondetur animam separatam fieri individuam per ordinem ad corpus, cujus est anima et quoslibet angelos esse simul individuum diversum et diversam naturam, ita ut nonnisi uno individuo species angelica quaevis constet, seu tot sint species angelorum quot angeli. Verum facile Doctor utrumque assertum refutat. De primo sic scribit *Sent.* ibi q. VII. n. 4.: « Inclinatio non est entitas absoluta, quia non potest aliquid inclinari ad se: ergo praesupponit aliquam entitatem absolutam et distinctam; quia enim est haec anima, ideo habet talem inclinationem et non e contra: ergo haec inclinatio non est ratio essendi hanc animam, sed praesupponit eam. » Neque pariter concipi potest quomodo ipsa affici intrinsece possit ab eo quod est extra se. *Item* anima potest esse terminus creationis extra corpus: sed terminus hic esset individuum: ergo in se anima habet rationem suae individuationis independenter a corpore. Caeterum relatio individuans vel foret ad corpus

in genere, vel ad corpus tale. Si primum, non videtur rationale, cum individuatio sit ultima determinatio. Si secundum, quoniam corpus corrumpitur et transformatur, donec fere nihil de eo maneat, anima individua fieret per id quod amplius non est, vel esset aliquod aliud individuum: quae omnia asseri nequeunt. Vide *Quodl.* II. n. 5.

De secundo (ibid. *Sent.* II. et *Quodl.* n. 3.) item scribit assertum continere falsitatem et ex eo sequi « quod ratio formae specificae in angelis includit repugnantiam, imo contradictionem ad plurificari realiter: et ita, sicut non stat cum conceptu hominis quod concipiatur irrationalis, vel cum conceptu Dei quod concipiatur tamquam indifferens ad plures Deos; ita non stat cum conceptu talis speciei, quod concipiatur plurificabilis; et per consequens quiquumque posuerunt speciem angelicam posse plurificari, habuerunt in conceptu suo conceptus formaliter repugnantes » (*Quodl.*). Cui addimus admodum ab adversariis coarctari Dei potentiam, denegando ei virtutem producendi aliud simile in natura finita et limitata, quae de se indifferens est ad plura.

Prop. II. Neque forma, neque ejus unio cum materia, neque ipsa existentia est principium individuationis. Prima et secunda pars est Doctoris II. D. III. q. VI. n. 15., tertia pars ibi. q. III.

Prob. I. pars. Forma est de essentia compositi; essentia autem est communicabilis: atqui individuum repugnat communicari: ergo nequit esse a forma. *Praeterea* forma de se est indifferens ad hoc vel illud individuum: non ergo potest esse *hoc aliquid* incommunicabile. *Tandem* a forma procedit unitas naturæ, non autem unitas indi-

vidui: utraque autem differt, ut adhuc clarius fiet in tractatu de *unitate universalium.*

Pro secunda parte eaedem rationes valent.

Prob. ideo III. pars. Existentia cum essentia praebent compositum physicum et reale; de quo ideo inquiritur per quod fiat individuum: vel existentia est id per quod essentia extra suas causas ponitur: modificatio autem essentiae sub eo respectu non est modificatio individuationis. Ergo neque ab ea principium individuationis constituitur.

Objectiones.

Contra Prop. I. Illud est principium individuationis, quo posito, statim individuum obtinet. Atqui posita materia signata quantitate, statim obtinet indivisio entis a se et divisio a quolibet alio. Ergo ipsa est principium individuationis.

Resp. Conc. maj. Dist. min. Habetur divisio et indivisio etc. extrinsece manifestata nobis, conc.; habetur principium vere intrinsece individuans, neg. et neg. cons. In judicio ferendo de aliqua re, distinguendum est medium quo res a nobis cognoscitur, a modo quo res intrinsecus constituitur: etenim anima nostra, ut in Psychologia monstrabitur, non eodem ordine quo res sunt, cognoscit, sed ab effectibus et accidentibus in notitiam causae et substantiae ducitur. Ita in cognitione individui non figit directe et immediate intuitum suum in individuum (praecipue cum agatur de re difficillima cognitu, ut patuit vel ex multiplicitate ipsa sententiarum de hac materia), sed solum in signa exteriora, v. g. in materiam, quantitatem,

formam, figuram, colorem etc. quibus adjuvatur ad concipiendum id quod directe et in se concipere non valet. Quantitatem autem simul cum materia non posse esse principium divisionis a quolibet alio et indivisionis in se, patet: et primum quidem sic: « quia quidquid est ratio divisibilitatis, inest formaliter illi quod est divisibile ista divisione. Sed quantitas non inest formaliter speciei, seu toti universali in quantum est divisibilis in partes subjectivas: igitur ipsa non est ratio divisibilitatis talis totius in partes tales seu individua » (ibi *Sent.* q. IV. n. 12.). Secundum sic ostenditur: indivisio subsequitur individuum, quia est negatio divisibilitatis illius: sed individuum non est a quantitate: ergo neque ab ea habet indivisibilitatem. Pro primo insuper notandum quod quantitas in materia est principium dividendi corpus in partes integrales, non vero dividendi naturam in partes subjectivas: differt autem utraque divisio: ergo cum prima sit a quantitate, altera non potest esse ab ea, quia repugnat ab eodem infimo principio tam diversa produci.

Instant. Materia exigit quantitatem: ergo posita natura ex forma et materia, statim profluit et unitas naturae per formam et unitas individui per materiam signatam, quia ponitur principium divisibilitatis ab alio.

Resp. Neg. ultima consequentia. Ratio, quia a materia et quantitate (quomodoquumque concipiantur) nonnisi divisio integralis unitatis concipitur in corpore produci; non ergo divisio unitatis speciei ad individua affertur per illa; quae aliunde ergo repetenda est; idest, ab alio perfectiore principio, cum agatur de perficiendo intrinsece individuo; quemadmodum ab aliquo perfectiore genere genus perficitur et in speciem determinatur.

Object. in prop. II. Existentia est *ultimo* determinans: ergo est individuum constituens.

Resp. Dist. antec. Est *ultimo* determinans in ordine realitatis, conc.; in ordine divisibilitatis, neg.

Instant. Atqui etiam in ordine divisibilitatis. Ratio: quia divisio de qua nunc, est ad actum ultimum: actus autem hic est ab existentia: ergo ab ea est principium individuationis.

Resp. Neg. instantia; dist. maj. rationis allatae: divisio de qua nunc, est ad actum ultimum improprie, conc., proprie, neg. Scilicet perfectio importata ab individuo dicitur ad actum ultimum quatenus est ultima *differentia positiva*, ultra quam alia non additur in constitutione totius compositi. Existentia autem est ultimus actus in ordine realitatis totum compositum afficientis, qua efficitur ut et forma et materia et individuum et alia omnia necessaria eorum sint in suo actu reali: alius ergo est ordo utriusque, idest, existentiae et individui: ideoque minor ipsa falsa est, nisi contradistinguatur.

ARTICULUS VII.

Sententia Doctoris confirmatur.

Plura, ut patuit in expositione art. v., Doctoris sententia complectitur: *primum*, unitatem individui importare aliquid positivi; non tamen (*secundum*) realiter a natura distinctum, sed de ratione ipsiusmet compositi: *tertium*, esse ultimo determinantem. Haec confirmantur sequentibus propositionibus.

Prop. I. Principium individuationis est situm in

ALIQUO POSITIVO. Est Doctoris II. D. III. q. II. et VI. et VII. *Metaph.* q. XIII. n. 8.

Prob. Nulla imperfectio alicui repugnat, nisi per positivum aliquid; v. g. substantiae in angelo repugnat dividi ob differentiam specificam spiritualitatis, quae est aliquid positivum. Atqui dividi est quaedam imperfectio et repugnat individuo. Ergo per aliquid positivum individuo repugnat dividi.

Item maior perfectio obtinet in substantia prima, quam in secunda; cum primae vere activitas et ultima perfectio conveniat. Atqui prima constituitur per individuum. Ergo in individuo qua tali est perfectio major. Sed perfectio est per positivum. Ergo et individuum. Argue etiam ex analogia inter differentiam specificam et individualem.

Prop. II. POSITIVUM INDIVIDUUM CONSTITUENS NON EST ALIQUID DISTINCTUM REALITER, SED SOLUM FORMALITER A NATURA; IDEOQUE DE GENERE SUBSTANTIAE. Est Doctoris ibid. *Sent.* q. III. n. 15. et IV. n. 14. et *Metaph.* et *Paris* II. D. XII. q. VIII. n. 3.

Prob. I. pars. Quod est intrinsece modificativum et perfectivum naturae, non est ab ea realiter distinctum: atqui tale est individuum: ergo, etc. *Item* individuum non potest separari a natura: ergo non est alia res ab ea. De difficultate ex mysterio Incarnationis in S. Theologia.

Prob. II. pars. Individuum et natura se habent sicut commune et singulare: atqui ex parte rei et intrinsece commune et singulare differunt: ergo si non realiter, saltem formaliter distinguuntur.

Prob. III. pars. Recte igitur concluditur principium individuationis reponendum esse in ea realitate positiva.

quae *haecceitas* in schola nostra appellatur, eamque pertinere ad lineam substantiae.

Haec pars ex dictis non indiget demonstratione.

Objectiones.

Object. Haecceitas cum profluat a natura communi, nonnisi commune aliquid erit. Commune autem non potest constituere individuum. Ergo neque haecceitas.

Resp. Dist. maj. Haecceitas perinde ac differentia in ordine ad genus, concurrit ad ultimo determinandam naturam, conc.; est per modum proprietatis vere profluens a natura, neg. De natura notamus ipsam non esse communem positive, sed negative tantum, ut dicetur in art. XII.

Inst. In corruptione, v. g. hominis, destruitur individuum humanum et exurgit individuum animae et individuum cadaveris. Unde autem educitur, si est quid distinctum etc.?

Resp. Ex destructione individui, sic: Quod est individuans, afficit intrinsecus totum compositum et omnia principia naturae; quae ideo etiamsi separentur, sicut in exemplo allato in difficultate, retinent sibi identificatum idem principium individuationis: per illud ergo individua fiunt cadaver et anima. Neque repugnat divisio hujusmodi; quia aliud est dividi in inferiora individuum, v. g. Petrus in plura individua humana, aliud est dividi id per quod Petrus est individuus: dum primum impossibile evadit, alterum non solum possibile, verum et reale est: tanto magis quod sic dividi individuationis principio convenit non ratione sui, sed ratione principiorum, quae afficit.

ARTICULUS VIII.

De notione suppositi et personae.

De hac materia hic agimus, quia suppositum et persona individuo tribuunt ultimum, quod habere potest naturaliter.

Ut materia plane concipiatur, opertet scias quid sibi inferant *individuum, singulare, substantia prima, suppositum, persona, et subsistentia.* Tres primi termini in idem incidunt, significant scilicet *hoc aliquid*, seu individuum: verum dum singulare indifferenter et de substantia et de accidente dicitur, individuum proprius dicitur de substantia tantum. Substantia prima solum dicitur de ente in se et per se. Persona et suppositum praeter individuum dicit independentiam in subsistendo, ita ut sit suipsius et non alterius: quae independentia si est rationalis naturae dicitur persona vel hypostasis; si secus, suppositum simpliciter dicitur (III. D. VI. q. I. n. 2). Subsistentia non est nisi suppositum et persona *abstracte* considerata. Vide Seraph. I. *Sent.* D. XXIII. art. I. q. III.

Declaratur adhuc. Quilibet in se experitur in emissione suarum actionum et operationum, sive sint solius animae, sive solius corporis, sive totius compositi, cuidam uni, eidemque has tribui, cujus dicuntur esse: ex quo dicimus: ego intelligo, volo, sentio, manduco, etc. Illud unum est quod *persona* appellatur.

His positis, non difficulter intelligitur definitio personae sic a Doctore I. D. XXIII. n. 4. tradita: Intellectualis naturae incommunicabilis subsistentia. Dicitur

intellectualis etc. ut distinguatur persona a supposito. Additur *incommunicabilis*, scilicet, independens juxta exposita. Dicitur tandem *subsistentia* contra Boetium definientem personam: natura rationalis individua substantia; in qua non benè determinatur ratio formalis personalitatis; quia etiam anima separata est individua substantia, nec tamen est persona; etiam humanitas in Christo est substantia haec; nec tamen sui juris est, sed personata in Verbo. Assentitur implicite Seraphicus dum scribit boetianam definitionem indigere expositione et correptione. Ibi D. xxv. art. i. q. ii. in fine.

Incommunicabilitas dupliciter distinguitur, sicut sibi opposita communicabilitas. « Uno modo dicitur communicabile pluribus, quod est idem cuilibet eorum, ita quod quodlibet sit ipsum, sicut universale dicitur communicari suis inferioribus; » v. g. humanitas omnibus et singulis hominibus; quilibet enim homo est homo. « Alio modo communicatur ut forma, qua aliquid est tale secundum ipsum, sed non est ipsum, ut anima communicatur corpori; » nec tamen anima est corpus, licet sit id per quod corpus sit formaliter humanum. (ibidem Doctor). Primum communicabile dicitur ut *quod*; secundum vero ut *quo*. Similiter est de incommunicabilitate: et utraque, idest, ut *quod* et ut *quo* personae convenit.

Sane, convenit ei incommunicabilitas ut *quod*, quia sub se non habet quibus tribuatur, quorum quodlibet sit ipsum, cum agatur de *individuo;* ei convenit incommunicabilitas ut *quo*, quia persona non est forma, vel pars essentialis per quam aliquid in suo esse formaliter constituatur; sed est ultimum per quod natura individua fit sui juris.

Articulum concludimus notum Scholae effatum declarantes: ACTIONES SUNT SUPPOSITORUM; idest tribuuntur supposito vel personae, vel etiam ei quod personae modo se habet. Non sic tamen intelligitur ut persona sit principium activum a quo mediate vel immediate actiones promanent, sed quatenus ei tribuatur quod a natura personata peragitur (IV. D. XII. q. III. n. 34.).

Additum est, *quod per modum personae est*, pro attributione operationum animae separatae, quae licet non sit vera persona, cum non sit incommunicabiliter existens, tamen eius actiones in eo statu ipsi soli attribuuntur, non alteri (I. D. XII. q. I. n. 16.).

ARTICULUS IX.

Uberior explicatio personalitatis.

Variae exagitantur quaestiones circa personam. Verum illud *praenotatum* volumus, generaliter has desumere occasionem a divina revelatione ob mysterium Divinae Incarnationis; docente Ecclesia, in Christo duas naturas inveniri, sed unam hypostasim, cum in loco humanae personae sola sit hypostasis divina. Ex quo duo profluunt: 1um quod in homine praeter naturam individuam est etiam persona; 2um quod haec a natura distinguitur, aliter una assumi nequiret sine altera. Hinc est inquirendum, quo modo philosophia congruat theologiae.

Prop. I. NATURA INDIVIDUA DISTINCTA EST SEPARABILITER A PERSONA. Est Doctoris III. D. I. q. I. n. 6.

Prob. Illud sine quo aliquid intelligi potest, est distinctum separabiliter ab ipso. Atqui optime intelligi potest natura individua, quin sit sui juris et incommu-

nicabilis alteri. Ergo natura individua est distincta separabiliter a persona. Minor patet in anima separata quae est individua, nec tamen persona, quia adhuc de se ordinata inesse supposito humano. Verum esse vel non esse sui juris, fere similiter afficit animam separatam et unitam corpori. Ergo substantia individua non metaphysice exigit esse sui juris: atque idcirco una est distincta separabiliter ab altera.

In hoc philosophi et theologi catholici unanimiter concordant: non vero IN RATIONE FORMALI PERSONAE determinanda. *Thomistae* dum denegant per aliquid positivum distinctum a natura, res *individuas* fieri, asserunt per positivum individua *personari:* quibus favere videtur Seraphicus I. *Sent.* D. XXXIV. q. I. et art. 2. q. I. et II. ad 3um. Contraria via progrediuntur *scotistae* fere universi, in aliquo negativo reponentes rationem formalem personae creatae. Diximus *scotistae*, quia Scotus III. D. I. q. I. anceps videtur, cum pro utraque parte afferat rationes, nihil resolvens. Verum absolute pro negativo stat ibidem D. V. q. II. n. 4. *Quodl.* XIX. n. 17. 18. 19. et *Paris.* III. D. I. q. I. n. 5. Diximus etiam *in creaturis*, quia de personis divinis diversimode est tenendum, ut patebit in solutione objectionum.

Praesciendum autem est negationem communicabilitatis triplicem esse; prout opponitur communicabilitati actuali, potentiali et aptitudinali. Dicitur *communicabilitas actualis* quae actu est; qualis est communicabilitas animae cum corpore in homine vivente. Dicitur *communicabilitas potentialis*, quae actu non est, verum non repugnat esse; v. g. communicabilitas albedinis relate ad parietem non albam. Dicitur *aptitudinalis communicabi-*

litas quae non est actu, verum solum secundum aptitudinem, v. g. animae separatae ad corpus. Igitur dum Doctor docet personam creatam repositam esse in negatione, intelligit de negatione communicabilitatis *actualis* et *aptitudinalis* simul: quia natura personata non solum actu negat communicabilitatem cum alio, verum etiam aptitudinem ut communicetur, cum jam sit juris sui et non indigeat alio ut talis evadat. Non est autem necessaria negatio communicabilitatis *potentialis*, quae sita est in repugnantia absoluta, v. g. inter albedinem et angelum; quia creatura est sub obedientia absoluta Creatoris, quae numquam negari potest (ibidem). Quibus positis, sit:

Prop. II. PERSONA CREATA CONSISTIT IN ALIQUO NEGATIVO. Est Doctoris locis citatis.

Prob. Non sunt ponenda entia absque necessitate. Atqui posita natura individua non assumpta ab excellentiori hypostasi, haec naturaliter fit sui juris. Ergo non est necesse ponere aliquid aliud. *Item* positivum invectum a thomistis, vel est accidens, vel substantia. Atqui non primum: quia repugnat accidenti, quod est infimum ens, facere sui juris substantiam, praecipue nobilissimam (spiritum) et tribuere naturae ultimam perfectionem; eo vel magis quod de accidente separabili agitur. Non secundum, quia cum a natura individua sit separabilis, posset in se extare de potentia absoluta Dei; quod utique impervium et durum est humanae rationi; scilicet imaginare personalitatem in se stantem absque subjecto personato. *Tandem* quoniam persona intrinsecus afficit naturam, non potest concipi ut quid positivum, nisi vel sit accidens, quod repugnare visum est superius; vel

passio intrinseca, quae inseparabilis est a subjecto, contra divisibilitatem personae. *His addi potest* argumentum theologicum de Christo, quem hominem perfectum esse profiteri fide cogimur; et perfectioni deesset aliquid, si quid positivum dicatur esse persona creata, qua Christus, ut homo, caret, qui venit salvum facere totum hominem.

Scholion.

Duo animadvertenda sunt de persona contra quosdam hodiernos Germaniae theologos et contra Lockium; quorum primi asserunt definitionem personae esse *naturam sui consciam;* alter autem, personae identitatem reponi in *conscientia propriarum actionum.*

Primum esse falsum sic ostenditur: Conscientia non semper inest personatis: ergo conscientia non facit personam. Antecedens constat in pueris, qui licet propria persona gaudeant, non tamen conscientiam sui habent. *Praeterea* conscientia est actus entis personati; praesupponens scilicet et subjectum agens et personam, cui actus emittendus tribuendus est.

Alterius falsitas sic demonstratur: Identitas personae ad seipsum est a permanentia subjecti personati in esse: atqui hujusmodi permanentia non est a conscientia, sed ab eo qui cum esse etiam personalitatem dedit. Ergo, etc. *Item,* quisque continuo se esse eamdem personam conscius sibi est. Atqui conscientia propriarum actionum non semper manet, quia raro reflectimur supra nos ipsos etc. Ergo conscientia nequit esse causa identitatis in persona.

Objectiones.

Object. I. Personae divinae sunt aliquid positivum. Ergo et persona creata.

Resp. Neg. consequentia; nam non eadem est ratio subsistentiae in Deo et in creaturis: quia essentia creata est finita, limitata et in plura individua divisibilis; ideoque si non assumitur ab excellentiori, fit sui juris. Contra cum essentia divina ratione suae infinitatis et simplicitatis, sit indivisibilis in plures deos, non potest personari in plures hypostases nisi per aliquid positivum. Alia differentia inter divinam et creatam personam in eo est quod prima est inseparabilis a natura, altera vero separabilis. Cum igitur non eadem sit ratio utriusque, ab una non potest educi alterius ratio intrinseca.

Inst. In essentia participantes convenire debent: atqui tum Deus, tum creatura participant personam: ergo ejus in essentia debent convenire: idcirco si divina persona est quid positivum, et persona creata.

Resp. Dist. maj. In pluribus participationibus conc., in omnibus, neg. Dist. min. Diversa tamen manente ratione intrinseca personae, conc., secus, neg. Et neg. cons. Propositio major vera est, quando agitur de his quae continent perfectionem proprie sumptam, sicut v. g. quando agitur de vita, de voluntate, intellectu etc., quorum ratio formaliter inest tum Deo, tum creaturis, licet alia et alia ratione perfectionis. Persona autem non ita dicit perfectionem; sed in Deo est relatio, qua Pater dicitur ad Filium etc., et in creatura quid negativum extra relationem, negans subjectionem superiori supposito.

Object. II. Scotus ex incommunicabilitate individui deducit ipsum situm esse in aliquo positivo. Ergo idem est dicendum de incommunicabilitate personae.

Resp. Dist. Scotus deducit praefatam illationem ex *repugnantia* communicandi inferioribus, conc.; ex sola *negatione,* neg. Prima enim praesupponit aliquid positivum in individuo positive excludens divisibilitatem in inferiora; altera vero negat simpliciter sine repugnantia: non est ergo idem.

ARTICULUS X.

De unitate universalium.

Universale in genere aliquam praeseferre unitatem, nullus est qui inficiatur: a mente etenim nostra per modum unius concipitur sub se plura continentis: et quamvis id speciatim verum sit de universali logico, tamen fere similiter est dicendum de metaphysico, in quo primum sui fundamentum habet. Recte igitur hic de universali est sermo: eo vel magis quod cum universale singulari opponatur et oppositorum eadem sit scientia, hic melius quam alibi obtinet tractari.

De natura hujus multiplex adest sententia; quarum prima *nominalium* recensetur, qui, ducibus Roscellino et Ockamo, vel universalia esse pura nomina re prorsus vacua, vel esse conceptus mentis plura singularia referentes, autumant. His e diametro opponuntur *realistae* censentes universalia, ut talia, existere in se extra individua: quae opinio ab Aristotele Platoni tribuitur; etsi non immerito tantus philosophus a plerisque tum recentibus, tum antiquis defendatur, de exemplaribus divinis

explicantibus ab ipso edocta. Tertia sententia est generatim *scholasticorum* tuentium universalia, ut talia, solum esse in intellectu, quibus tamen aliquid respondet in re. Horum doctrinam, duce nostro Doctore, examini subjiciemus, refutantes in antecessum contrarias opiniones. Ante autem omnia de universali in genere hic sermo instituatur.

Universale secundum etymologiam nominis est idem ac unum versus plura; et quintuplex est; in causando, in essendo, in repraesentando, in significando et in praedicando; quorum en brevis descriptio.

Dicitur universale in causando *quod natum est concurrere ad plures effectus producendos;* v. g. sol taliter universalis dicitur ratione sui influxus in effectus qui habentur in terra; Deus autem in supremo gradu hujus universalitatis invenitur, quia ab ipso sunt omnia. Universale hoc a Doctore iv. D. i. q. i. n. 7. dicitur etiam *perfectione.*

Universale in essendo dicitur *quod inest pluribus cum aliqua sui unitate;* v. g. animalitas, humanitas, rationalitas seu intellectivitas, quae revera per modum cujusdam unius insunt respective brutis, hominibus, angelis. Hoc audit quoque universale *metaphysicum fundamentale,* vel etiam *materiale,* quia aliquo modo invenitur in re.

Universale in repraesentando dicitur *quod plura simul repraesentare valet;* v. g. idea, vel exemplar hominis in mente existens.

In significando dicitur universale, *quod tale est in significandis rebus pluribus:* v. g. terminus hic, *canis.*

Tandem est universale in praedicando *quod potest de pluribus praedicari:* v. g. species, genus etc. Hoc vo-

catur etiam *logicum* et de eo jam in prima parte Philosophiae loquuti sumus.

Universale de quo hic sermo instituitur, est quod *metaphysicum* appellant; et ab Aristotele VII. *Metaph. Text.* 45. definitur: Ens unum actum inesse pluribus cum sui multiplicatione. Dicitur *ens*, quia metaphysicae est considerare res. Additur *unum*, idest, unitate naturae, vel essentiae, non autem individui. Dicitur *aptum* etc. quia universale non est necesse ut pluribus insit actu, sed solum aptitudinaliter. Caetera innuunt universale sese quasi multiplicare, dum se porrigit ad sui inferiora.

ARTICULUS XI.

Sententia nominalium et realistarum rejicitur.

Dupliciter sententia nominalium offendit; vel denegando quamlibet virtutem repraesentandi nominibus (quibuscum ab his universalia confunduntur), vel asserendo ea nonnisi res singulares repraesentare. Contra quos propositionem sequentem statuimus.

Prop. UNIVERSALIA NON SUNT NOMINA RE PRORSUS VACUA, NEQUE VOCES ET CONCEPTUS RES SINGULARES EXPRIMENTES. Est Doctoris II. D. III. q. I. a n. 2.

Prob. sola II. pars, quae in se continet etiam rationes contra primam. Objectum scientiae aliquid reale esse debet, aliter tota ejus ratio rueret et ad ordinem mere subjectivum declinaret. Sed scientiae objectum est universale: hoc ergo aliquid reale sit oportet. Atqui ejus realitas laeditur, si asseratur ipsum nonnisi singularia significare; cum singularis et universalis rationes formales discrepent. Ergo, etc. *Praeterea* menti naturale est

ad universalia assurgere, in quorum contemplatione perficitur. Sed non perficitur inanibus, verum his decipitur. Ergo universale nequit esse nomen prorsus vacuum re, neque universalia possunt esse voces et notiones quibus nonnisi singularia referantur. Neque absurditas evitatur per singularia relata in hypothesi Ockami; quia conceptus universalis nihil refert, si refert quod contra sui rationem intrinsecam est, qualis est ratio singularis.

Nominalibus, ut diximus, realistae opponuntur; contra quos sit

Prop. UNIVERSALIA, UT TALIA, NON EXISTUNT REALITER. Est Doctoris ibid. q. VI. a n. 6.

Prob. Universalia realistarum vel existunt omnino separata a rebus, vel non. In primo casu res existerent per essentiam extra res ipsas positam, quia universalia principia rei complectuntur; v. g. humanitas id per quod homo abstracte est homo: repugnat autem res intrinsece constitui per extrinsecum. Caeterum nulla apparet ratio ponendi universale omnino separatum a re, ad cujus rationem concurrit (universale enim cuncta inferiora complecti intelligitur), et a cujus principiis in notitiam illius pervenimus. In altero casu majores absurditates non evitantur: in corruptione enim essentiae physicae, non destruuntur essentiae abstracte consideratae, seu universale, sed in esse perseverant: et sic idem et destruitur et permanet; quod implicat: nisi in aliud magis absonum incidere velint realistae, asserendo universale augeri vel minui pro vario inferiorum numero. *Praeterea* cum universale praeseferat unitatem et essentiam, si existeret in se prout realistae volunt, omnia inferiora sibi per modum unius realiter uniret et identificaret: et sic eadem nu-

mero essentia felix foret et misera, bona et mala, quia taliter se habent inferiora illius universalis: item eadem de causa, eaedem forent affectiones omnium hominum, quia unius et ejusdem essentiae, etc. etc. Item cum multiplex habeatur universale, usque ad supremum, quod in ente sistit, sic nonnisi unica essentia extaret identificans omnia in ente.

Ut magis id pateat, sciendum est universale non posse concipi in natura, nisi per modum cujusdam totius integralis, vel etiam essentialis relate ad partes integrales et essentiales: quemadmodum igitur hae cum illo unum efficiunt cum communibus passionibus, ita esset dicendum de universali relate ad sui inferiora, si realiter in rerum natura extaret. Vide S. Thom. in I. *Metaph.* lect. XIV.

ARTICULUS XII.

Vera sententia stabilitur.

Doctor locis citandis ita exponit sententiam Scholae circa universalia. In rerum natura *duplex unitas* recognoscenda est, una qua res efficitur hujus vel illius naturae et non alterius: altera qua res efficitur haec, seu individua, distincta numerice ab altera: prima unitas dicitur *formalis* et fundat universale, altera vocatur *individualis*, de qua art. V. et VII.

Unitas formalis dupliciter intelligi potest secundum duplicem communitatem a natura importatam, scilicet *positivam* vel *negativam*. Intelligitur natura *communis positive* si consideretur una in se et indivisa eadem formaliter in omnibus, sicut patuit in confutatione realistarum. Dicitur vero *communis negative*, quatenus natura una for-

maliter, divisa invenitur in omnibus inferioribus; quae considerata in sua praecisione ab individuo, cujus est, nullam de se dicit repugnantiam essendi in alio individuo. Quamvis non defuerint scotistae qui positivam communitatem naturae tribuerint, tamen generaliter ei solum concedunt communitatem alteram, seu negativam. Et haec videntur adamussim convenire cum sententia thomistarum asserentium universale inveniri in rerum natura solum fundamentaliter, quia ab essentia rei sui rationem deducens. Materia haec sequentibus propositionibus confirmatur.

Prop. I. Praeter unitatem individualem, vel numericam, datur etiam alia unitas minor, quae dicitur formalis. Est Doctoris II. D. III. q. I. a n. 3.

Prob. Unitas facit differre unum ab altero: atqui non datur sola differentia numerica, sed etiam specifica: ergo idem dicendum est de unitate. *Praeterea*, nulla posita differentia reali inter utramque unitatem, nulla pariter haberetur diversitas nisi numerica; quia omnis diversitas numeralis, in quantum talis, est aequalis et ita omnia essent aequaliter distincta; v. g. homo et brutum et angelus ad invicem numerice distinguuntur, sicut homo et homo et angelus et angelus et brutum et brutum. Atqui consequens est falsum; quia sic auferretur varietas in essentiis. Ergo praeter, etc. *Tandem* natura et essentia realiter inest rebus, ideoque sunt ens: et quoniam omne ens est unum; ergo unitas convenit realiter essentiis: atqui non unitas numerica, ut vidimus; ergo alia minor, quia individuo nihil magis unum.

Prop. II. Natura de se nec universale, nec singulare refert, sed sola principia formalia. Est Doctoris ibidem n. 7.

Prob. I. pars. Universale, ut universale, est per abstractionem et ita quid logicum: atqui natura est quid reale: ergo de se non dicit vere universale. *Secunda* et *tertia pars* patent ex propositione praecedenti et ex se.

Prop. III. DATUR NATURA COMMUNIS; NEGATIVE TAMEN; QUATENUS REFERT PRINCIPIA FORMALIA, QUAE DE SE INDIFFERENTER SE HABENT RELATE AD OMNIA INDIVIDUA EJUSDEM SPECIEI. De communi in genere est Doctoris ibidem n. 3.

Prob. I. pars. Natura communis dicitur essentia. Sed essentia datur in re. Ergo et natura communis. *Item* mens dum speculatur naturam generice, seu abstractam ab individuo, cognoscit simul se non speculari aliquod figmentum, sed aliquid reale: natura autem ab individuo abstracta communis dicitur: ergo etc.

Prob. II. pars, de communitate negativa; quae est Doctoris locis citandis. *Univ.* q. IV. n. 4. scribit: « Dico ergo quod (universale) effective est ab intellectu, sed materialiter, sive originaliter est a proprietate in re, figmentum vero minime. » *Metaph.* l. VII. q. XIII. n. 21.: « Si loquamur realiter, humanitas quae est in Socrate, non est humanitas quae est in Platone. » I. D. III. q. VI. n. 8.: « Cum autem universale inquantum universale nihil sit in existentia, sed tantum in aliquo repraesentante ipsum objectum sub tali ratione » etc. Et II. D. III. q. I. n. 9.: « Est ergo in re commune quod non est de se hoc et per consequens ei de se non repugnat esse non hoc. Sed tale commune non est universale in actu, quia deficit ei illa differentia secundum quam completive universale est universale, secundum quam scilicet ipsum idem aliqua identitate est praedicabile de quolibet individuo, ita quod quodlibet sit ipsum. » Tandem in *Paris.* II. D. XII. q. V.

n. 12.: « Universale in actu non est nisi in intellectu. » Descripsimus haec contra quosdam adulterantes Doctoris doctrinam circa universalia. Rationes eaedem afferri possunt quae sunt allatae contra realistas. Vide Seraph. in *Hexäem.* col. IV. n. 9. Videtur S. Thomas consentire (1. q. 85. a 2. ad 2.).

Objectiones.

Object. I. Nominalium. Quidquid existit in rerum natura, singulare est. Non datur ergo in re universale.

Resp. Neg. consequentia: nam licet quidquid existat in rerum natura, singulare sit, seu individuatum, non sequitur tamen nihil aliud in individuo existere ab ipso distinctum.

Object. II. Posito universali ex parte rei, eadem natura simul foret universalis et singularis: atqui hoc includit repugnantiam: ergo universalia non dantur ex parte rei.

Resp. Dist. major. Posito universali formaliter, conc.: posita natura communi modo praeexposito, neg. Contradistincta min. neg. cons.

Object. realistarum. Quidquid intelligitur cum re, existit ut intelligitur. Atqui cum re a nobis intelligitur universale. Ergo hoc existit in rerum natura.

Resp. Dist. min. Universale in potentia, conc.; universale formale, neg.; scilicet, cum re apprehenditur natura, quae cum sit communis, facile menti occasionem praebet abstrahendi et efficiendi universale formale.

Object. contra ultimam prop. Universale, seu natura communis *negative* non est nisi individuum abstracte con-

sideratum. Ergo vel cum nominalibus, vel cum realibus tenendum est.

Resp. Neg. ant. et cons. Ratio, quia natura communis *negative* sola principia formalia refert, quae de se non inferunt individuum etiam abstracte consideratum; quia abstractio in re fundatur et varia est pro varietate fundamenti.

Inst. Natura est indivisa, quia simplex. Ergo vel in uno solo individuo ponenda est, vel una in omnibus.

Resp. Dist. antec. Abstracte considerata, conc.; physice inspecta, neg., et neg. cons.

ARTICULUS XIII.

De identitate, similitudine et aequalitate.

« Identitas realis non est nisi rei ad rem: homo est idem realiter Socrati et Socrates est idem Socrati; ut idem dicitur, Socrates comparatur Socrati... nec tamen homo vel Socrates, ut comparatur ad Socratem est alia res a Socrate » (*Quodl.* III. n. 22.). Breviter identitas habetur quoties unum ens sibi ipsi comparatur. Quod dupliciter accidit; vel comparando stricte rem ad se; v. g. Socratem Socrati, vel id quod est idem rei ad rem, v. g. homo ad Socratem. Id autem de identitate stricte sumpta; quia si de sensu latiori agatur, dicitur identitas etiam comparatio unius cum alio ejusdem speciei, v. g. Socratis cum Platone (I. D. XXXI. n. 5.).

Identitas propria (ibi D. II. q. VII. n. 44.) dividitur in simplicem et formalem. Dicitur *formalis* quando id quod dicitur idem, includit illud cui est idem, in ratione sua formali, ut in exemplis allatis. Dicitur *simplex* quando id

quod dicitur idem, includit illud cui est idem, per modum proprietatis; v. g. risibilitas ad hominem et viceversa.

Identitati accedit *similitudo* et *aequalitas;* quibus contrariatur *diversitas, differentia* et *distinctio.*

Similitudo est relatio duorum convenientium in qualitatibus, v. g. inter duos parietes albos: si e contra qualitatibus discrepent, *dissimilitudo* habetur.

Aequalitas est relatio convenientiae duorum ratione quantitatis; v. g. inter duos montes ejusdem altitudinis; si in ea differant, *inaequalitas* obtinet.

Diversitas sita est in non convenientia generica plurium: quae e contra si in uno conveniant et in alio non, dicuntur differentia; v. g. albedo et nigredo dicuntur differre, quia licet discrepent inter sese, conveniunt tamen in genere coloris.

Notat autem Doctor I. ibi XXXI. n. 2. « quod fundamentum remotum istarum relationum est res illius generis; puta aequalitatis fundamentum est res de genere quantitatis, similitudinis est res de genere qualitatis, identitatis est res de genere substantiae. Proximum tamen fundamentum, vel ratio proxima fundandi est unitas talis rei » causans relationem.

Late loquendo a Doctore *similitudo* (ibi n. 5.) dividitur in *essentialem* et *attributalem; aequalitas* vero (ibi D. XX. n. 4.) in *extensivam* et *intensivam.* Similitudo dicitur essentialis, si fiat in essentialibus; v. g. inter animam et animam; dicitur autem attributalis, si inter attributa fiat; v. g. inter risibilitatem Petri et Pauli. Aequalitas extensiva est fundata in quantitate materiali sive continua, sive discreta; intensiva vero in virtute, vel perfectione.

Aequalitas, similitudo et identitas late sumptae in omni ente fundari possunt et inveniri: quia revera omne ens est idem sibi, magnitudine saltem virtuali gaudet et alteri simile esse potest (1. D. XIX. n. 3.).

Inquiri solet a philosophis circa hoc, AN DUO PERFECTE SIMILIA DARI POSSINT IN RERUM NATURA? Non inquiritur de existentia, quia ad sic dirimendam quaestionem, necesse foret omnia individua ejusdem speciei quae sunt, fuerunt, vel erunt, perspecta habere in cunctis, idest, in natura, proprietatibus, qualitatibus etc., cum gradibus etc. etc., quae omnia impossibilia nobis physice sunt. Sola igitur inquiritur possibilitas.

Leibnitius negavit, hac ductus ratione, quia secus haec duo perfecte similia non distinguerentur. Verum nullius videtur momenti ratio allata; quia confundit distinctionem intrinsecam duorum cum his qualitatibus quibus humana mens ducitur ad individuorum distinctionem apprehendendam. Videtur ideo magis consona rationi sententia opposita. Pro qua haec ratio afferri potest. Ad habenda duo perfecte similia requiritur eadem natura, eaedem proprietates, qualitates etc., cum iisdem gradibus etc. Atqui hoc non repugnat; nam quemadmodum unum potuit esse sic modificatum, pari ratione potest esse et aliud, cum agatur de his quae naturaliter in re sunt; neque natura de se determinat gradus cuique individuo proprios.

Huic conclusioni videtur esse contrarius Doctor q. XIX. n. 9. *De Rer. Princ.* Verum inibi Doctor loquitur de facto, non autem quaestionem instituit de possibilitate, sicut a nobis exposita est.

ARTICULUS XIV.

De distinctione.

Distinctio *est relatio transcendens qua aliquid dicitur ab altero diversum.* Idest per distinctionem quoddam ens, vel entia plura per modum unius considerata in reciproca relatione, mente partiuntur in plura per fundamentum in re pro varietate distinctionum; partitio haec distinctio vocatur. Dicitur autem relatio transcendens, seu excedens omnes categorias, quia esse unum, bonum, distinctum etc., proprietas est entis, ut vidimus art. i. hujus Capitis.

Multiplex a philosophis assignatur distinctio; imo a quibusdam usque ad nimiam subtilitatem deventum est: praecipue cum acriter dimicabatur in scholis pro thomismo ex una parte, ex altera pro scotismo. Nos media via progrediemur principaliores et magis utiles afferendo. Neque tamen arguere audemus falsitatis, quas omittimus, distinctiones; sed solum studere utilioribus cupimus. Certum est enim in una, eademque distinctione plures gradus adesse, quemadmodum multiplex gradus in rerum compositione invenitur; in qua distinctio suum fundamentum habet.

Igitur distinctio imprimis partitur in *realem* et *rationis.*

Dicitur *realis* quae intercedit inter rem et rem, vel inter duo diversam numero, aut re essentiam habentia; v. g. inter substantiam et accidens, inter corpus et animam, inter accidens et accidens etc.

Dicitur *rationis* quae ponitur a mente plures con-

ceptus de eadem re indistincta efformante. Hanc thomistae subdividunt in distinctionem rationis ratiocinantis et rationis ratiocinatae. Vocant *rationis ratiocinantis* eam distinctionem quae a mente efficitur nonnisi levi fundamento in re; v. g. inter Petrum, Cepham et Bar-Jona. Vocant *rationis ratiocinatae* eam distinctionem quae suum fundamentum vere habet in re; v. g. inter intellectum et rationem, inter vegetativum, sensitivum et intellectivum hominis etc. His additur distinctio *virtualis*, quae obtinet quando unum aequivalens evadit multis; v. g. anima humana tribus est aequivalens, idest, vegetativae, sensitivae et intellectivae, quia harum omnium virtutem continet. Haec tamen non videtur esse alia a distinctione rationis ratiocinatae.

Scotistae vero simplicius dividunt distinctionem *rationis*, in *simpliciter rationis*, seu *logicam*, et in *formalem*: quae ultima media est inter realem et rationis. Dicitur ab his *rationis* ea distinctio quae a mente ponitur cum fundamento in re, tamen extrinseco et consideratione digno. Hoc ultimum appositum est ad excludendam distinctionem rationis ratiocinantis, quae cum fere nullum sui fundamentum habeat in re, non est talis ut digna videatur quae mentem philosophi occupet. Additum est *cum fundamento extrinseco*, idest, non in ipsa entitate rei posito, sed extra rationem formalem rei existente: ut patet in exemplo rationis et intellectus et solis ut indurativus et liquefactivus est; quae distinctio in actus diversitate fundata est quoad primum exemplum, exclusa quavis distinctione intrinseca ex parte intelligentis et ratiocinantis; et in diversitate effectus quoad secundum: idem enim calor qui indurat, est idem qui et liquefacit.

Si vero fundamentum sit in re intrinsecus, distinctio dicitur *formalis;* de qua speciatim in articulo sequenti.

Terminum articulo imponimus conditiones, vel signa afferentes pro cognoscenda distinctione *reali* prout habentur in *Paris.* I. D. XXXIII. q. III. n. 9., et aliquid de distinctione *modali* innuentes. Praefata signa quatuor sunt. *Primum,* sit aliquorum in actu, a quo est realitas. *Secundum,* sit praeterea aliquorum habentium esse formale, non vero virtuale, sicut effectus in causa. *Tertium,* sit aliquorum habentium esse distinctum et non confusum ad evitandam confusionem. *Quartum* denique, sit aliquorum per *non identitatem.* Quod ultimum est completivum, ita ut si vel solum desit, deest realitas distinctionis.

Alii diversa afferunt signa. *Primum* est causatio unius ab altero, seu causae et effectus, principii et principiati. *Secundum* est separabilitas saltem non repugnantiae, quia physica quandoque repugnat; v. g. inter nigredinem et corvum. *Tertium* est subjectio in diversis; v. g. albedinis in corpore et scientiae in intellectu.

De distinctione modali dicimus eam esse quae intercedit inter rem et modum ejus; v. g. inter qualitatem et gradum ejus etc. Dividitur in *intrinsecam* et *extrinsecam,* secundum quod modus vel est modificans extrinsece, v. g. sessio respectu sedentis, vel intrinsece, v. g. finitas respectu creaturae et infinitas respectu Dei. Quoniam autem haec reducitur, ut patet, ad distinctionem rationis, vel formalem, dicta de ea sufficiant.

ARTICULUS XV.

De distinctione formali scotistarum.

Distinctio formalis definitur: Distinctio intercedens inter plures formalitates rei, realiter identificatas inter sese, quarum una ante opus intellectus adaequate est conceptibilis sine alia. Dicitur *formalitates,* idest, parvas formas; agitur enim de his quae formam rei, seu ejus essentiam ingrediuntur, vel de his quae tamquam passiones ab essentia profluunt: legitime ergo id in quod formaliter res distinguitur, formalitas appellatur: v. g. animalitas, vegetabilitas et rationalitas in homine dicuntur hominis formalitates, quia ut partes essentiales compositum hominis ingrediuntur. Additur *realiter identificatas inter sese* ad excludendam pluralitatem rerum, seu distinctionem realem inter ea quae formaliter dicuntur distingui; unum enim et idem indistinctum re constituunt, ut videre est in exemplo allato. Caetera innuunt formalem distinctionem non esse ab intellectu tantum, sed in re inveniri independenter ab eo, ita ut dato etiam quod nullus intellectus cogitaret, nihilominus in re vere adforet. Ideo dum per prima verba vere differt distinctio formalis a reali, per ultima differt a distinctione simplicis rationis.

Doctor, distinctionem quam sui discipuli uniformiter appellant *formalem,* modo appellat *rationis* contra realem, modo *realem secundum quid,* et modo etiam *realem minorem.* « Intelligo sic realiter, quod nullo modo per actum intellectus considerantis, imo quod talis entitas esset ibi si nullus intellectus consideraret; et sic esse ibi si nullus intellectus consideraret, dico esse ante omnem actum in-

tellectus » (I. D. II. q. VII. n. 41. Vide et *Paris.* I. D. XXXIII. q. I. et II.).

De existentia hujus distinctionis multum disputatum est inter veteres thomistas et scotistas; priores praefracte negabant, alteri vero similiter asserebant; quibus et nos adhaeremus; quibusque adhaerere videtur Seraphicus in I. D. XXVI. art. unic. q. I. ad 2.um, ubi postquam varias species distinctionis rationis memoratus est, scribit: « Tertio modo differre ratione est differre secundum pluralitatem distinctionis, quae non inducit *diversitatem* in essentia, vel natura; tamen tantam inducit *differentiam* quod unum non dicatur de altero.... Et prima quidem differentia secundum rationem (quae est ex parte nostrae apprehensionis) est minima, quia nihil ei respondet a parte rei; sed ultimae respondet. » Mutatis accidentalibus tota substantia videtur esse Doctoris genuina doctrina.

Ut facilius demonstratio instituenda capiatur praenotandum est: — I. Certum esse in cunctis rebus creatis non eosdem esse gradus compositionis et simplicitatis. Quaedam enim essentiae decomponi possunt, licet decompositae pereant, sicut patet in homine; aliae vero licet decomponi et in partes discerpi nequeant, tamen intrinsece ad invicem differunt.

II. Aliquando in his inter quae est distinctio, fundamentum est *leve, superficiale* et *extrinsecum;* aliquando vero est *vere fundatum* et *intrinsecum.* Exempla pro prima parte sint: sol ut est calefactivus, indurativus et liquefactivus, tripliciter distinguitur; verum in re intrinsece nihil est unde distinctio appareat, quia eodem calore et calefacit et indurat et liquefacit. Item vocis sonus, qui intrinsece unus est, potest esse gratus uni, v. g. ei

qui in debita distantia est ab emittente etc., contra esse ingratus alteri, v. g. ei qui nimis prope est ori emittentis vocem. Item intellectus in discursivum et intuitivum discerpitur, non quidem ratione sui, quia in se unus et indistinctus perseverat, sed ratione actuum, qui sunt ei essentialiter extrinseci. Exemplum pro secunda parte desumi potest ab anima humana, quae distinguitur in vegetativam, sensitivam et intellectivam, non solum ratione facultatum, sed etiam ratione essentiae, quia ab ea non possent intelligi rationabiliter facultates tam diversae profluere, nisi aliquid in essentia quodammodo multiplex includatur, cujus quaelibet quasi pars sit principium immediatum emanationum propriarum. Quibus praestitutis, sit propositio.

Prop. Distinctio formalis Scoti vere rationalis est.

Prob. Rationalis est ea distinctio quae vere fundatur in rerum natura et optime inservit ad notionem formalem rerum praebendam. Atqui talis est distinctio formalis scotistarum. Ergo rationalis est. Minor constat ex superius dictis. Et imprimis fundatur in rerum natura; quia essentiae rerum non ita fruuntur simplicitate, ut non patiantur quandam entitativam compositionem independenter a quolibet opere intellectus; ideoque plures continere formalitates recte concipiuntur. Secundo, distinctio scotistica praebet veram rei notitiam, quia refert res prout revera in se sunt.

Praeterea, rationalis est ea distinctio quae aufert contradictionem secus inevitabilem: talis est etc., ergo, etc. *Probatur:* uni et eidem secundum suam rationem formalem nequeunt contradictoria tribui. Atqui sublata scotistica distinctione, saepius uni et eidem secundum eamdem

rationem formalem contradictoria tribuuntur; v. g. si anima nullam distinctionem intrinsecam pateretur inter suum vegetativum, sensitivum et rationale esse, secundum idem intrinsecum foret simul principium vegetandi, sentiendi et intelligendi, idest, organicum et non organicum, necessarium et liberum, etc. Cum autem haec sint absurda, ad ea evitanda distinctio praefata ponenda est.

Etsi hic non sit sermo de rebus theologicis, liceat tamen theologice etiam arguere, cum agamus cum catholicis. De fide est tres personas in Deo esse, quarum quaelibet dum ad invicem distinguuntur realiter, tamen non distinguuntur sic a natura divina. Ast neque possunt ab ea distingui sola ratione et dependenter ab opere intellectus; quia secus, cum natura divina sit summe una, ita et persona; scilicet si Pater nullimode intrinsece, seu ex parte rei, distinguitur a natura, esset formaliter eadem natura divina: et quoniam idem de Filio et de Spiritu Sancto est, de ipsis etiam eadem conclusio educenda foret. Cum autem notum sit principium: quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter sese; non solum educeretur identitas absoluta Patris etc. ad naturam, verum etiam personarum ad invicem; vel ad summum sola distinctio extrinseca eis tribueretur. Videas I. D. II. q. VII. n. 43.

Objectiones.

Object. I. Distinctio Scoti ut inutilis rejicienda est, cum optime omnia explicentur per distinctiones thomisticas.

Resp. I. retorquendo argumentum: distinctio thomistica rejicienda est, ut inutilis, cum optime, imo rectius et facilius per Scoti distinctionem omnia explicentur.

Resp. II. negando: quia thomistae videntur non recte

distinguere ea quae sunt cum fundamento intrinseco et extrinseco, ut patet ex exemplis quae afferuntur ab ejs pro declaratione materiae. Quod non accidit in Scoti Schola optime distinguente quae sunt rationis et quae sunt in re. Et id ita thomistas perstringit, ut necesse habuerint invehere etiam distinctionem virtualem. De qua inquirimus, an illud unum multis aequivalens, intrinsece multiplicitatem fundamenti habeat, vel non? Si non, distinctio ea vere est rationis: si sic, ergo est formalis.

Object. II. Distinctio formalis est periculosa praecipue in theologia; quia *forma* distinguit res specifice. Ergo non est rationalis.

Resp. Neg. ant. Dist. ratio allata: forma distinguit specifice res, conc., formalitas, neg., quod utique prae mente habendum est, cum utraque aliud et aliud inferat.

Object. III. Scotus suam distinctionem vocat etiam virtualem. Convenit ergo perfecte cum thomistis; idcirco ejus discipuli non recte eum explicant.

Resp. Dist. antec. Verum corrigit simul, conc.; absolute loquitur, neg. Audiatur Doctor ipse (ibi): « Potest autem haec distinctio (posita a Seraphico) vocari differentia rationis, non quod ratio accipiatur pro differentia formata ab intellectu, sed ut ratio accipitur pro quidditate rei secundum quod quidditas est objectum intellectus. Vel alio nomine vocari potest virtualis: quia illud quod habet talem distinctionem, in se non habet rem et rem, sed una res habens virtualiter, sive eminenter duas realitates; » addens ibidem n. 44: « breviter igitur dico, *omittendo illa verba de distinctione rationis* et *de distinctione virtuali,* non quia sint male dicta, sed quia non oportet eis uti, dico etc.: » quasi diceret: distinctio quae

intercedit inter personas divinas et naturam secundum Seraphicum (cujus sententiam examinat) non debet dici *rationis*, neque etiam *virtualis*, quia licet substantia sit vera, non recte interpretatione affici potest et sic erroris periculum immineret: quod non accidit in distinctione ab ipso invecta. Periculum hoc in eo est, quod si dicatur *rationis*, posset intelligi de pura ratione; si vero dicatur *virtualis*, posset intelligi etiam de aliquo indistincto ob carentiam *duarum formalitatum*.

Scholion.

Coronidis gratia innuimus definitionem de praecisionibus formalibus et objectivis, quae a doctrina posita naturaliter profluunt et de quibus subtilia scotistae habent. *Praecisio objectiva* habetur quando intellectus contemplatur aliquod objectum, in quo imbibitae sunt plures formalitates a parte rei, easque discriminat inter se, ut uno actu intelligat unam et altero alteram; v. g. si intellectus consideret animalitatem hominis uno actu et inde se convertat ad rationalitatem, eam novo actu concipiendo, quasi sint duae res dum unum sunt cum duabus formalitatibus, haberetur praecisio objectiva: *praecisio* quidem, quia considerando unam realitatem absque alia, quasi objectum dividitur: *objectiva* vero quia in rerum natura fundata.

Praecisio formalis habetur quando intellectus aliquod objectum indivisibile prorsus a parte rei et nullas continens formalitates, in eas illud distinguere vult; v. g. si dividat Platonem in subjectum et praedicatum. Differt ergo praecisio objectiva et formalis sicut distinctio formalis et rationis.

CAPUT V.

De entis veritate, bonitate et connexis.

Verum et bonum intrinsecus perficiunt ens cum quadam relatione ad cognitivum et appetitivum. Magni ideo habenda est de his tractatio.

ARTICULUS I.

De veritate entis.

Veritas tripliciter considerari potest; vel *in re*, vel *in signo*, vel *in intellectu*.

VERITAS IN RE « dicitur absolute conformitas producti ad producens » (VI. *Metaph.* q. III. n. 5.), quatenus illud respondet hujus exemplaribus. Quod dupliciter accidit, prout conformitas vel est secundum adaequationem perfectam, sicut accidit in Verbo aeterno in omnibus et per omnia parenti aequali; vel solum secundum imitationem, sicut accidit in cunctis creaturis relate ad archetypa divina, quibus exacte respondent, licet non adaequent naturam divinam.

VERITAS SIGNI est conformitas signi ad signatum (ibi n. 8.); et dicitur *veritas sermonis:* si autem consideretur conformitas loquentis ad conceptus suos signis expressos, dicitur *moralis* et huic *mendacium* opponitur.

VERITAS IN INTELLECTU est conformitas intellectus cum re, ita ut taliter ab eo res percipiatur, sicut est in seipsa: et dicitur *veritas logica:* huic opponitur *error.*

Quoniam vero metaphysica non considerat praxim,

neque relationem nostri intellectus ad veritatem, sed solum relationes entis necessarias, ideo de veritate *in re* solum considerat; in ordine idcirco solum ad intellectum divinum; cum ad creatum non necessario referatur.

Veritas sic considerata metaphysica appellatur; et definiri potest: proprietas metaphysica entis realis, qua res exemplaribus divinis respondet et ex qua fit intelligibilis in se. Quod sic declaratur in *Metaph. Text.* l. II. n. 8: « Veritas in intellectu oritur ex veritate in re; idcirco sicut res se habet ad esse, sic etiam est apta nata vere cognosci; ut sic semper ab ipso esse rei oriatur conformitas veritatis, sive in re, sive in intellectu; quare bene dicit Philosophus quod unumquodque sicut se habet ad esse ita se habet ad veritatem. »

Verum non potest adaequate veritas rei concipi, nisi consideretur illud primum, unde res vera intrinsece dicitur. Hoc autem est conformitas rei ad producens; et quoniam omnium productorum productor est Deus, res ab eo suam veritatem desumunt, quatenus ejus exemplaribus, ut diximus, sunt perfecte conformes. Vide et Seraphicum in *Hexäem.* col. III. n. 8. et col. IV. n. 2. etc.

Prop. Omne ens est verum. Est Doctoris locis citatis.

Prob. Veritas metaphysica, ut dictum est, ex eo habetur quod res correspondet archetypis divinis, ex quo fit intelligibilis in se et sui manifestativa. Atqui omne ens correspondet exemplaribus divinis, et ex eo revera est in se intelligibile et est sui manifestativum, cum sit objectum intellectus. Ergo omne ens est verum. Minoris prima pars constat ex eo, quia non-conformitas non aliunde eveniret nisi vel ex impotentia Dei nolentis,

vel nescientis suis exemplaribus adaptare res; vel ex independentia rerum a Deo. Quae omnia absurda sunt.

Objectio. Multa entia, v. g. quae defectus habent, recedunt ab exemplaribus divinis. Ergo non sunt vera: ideoque non omne ens est verum.

Resp. Dist. antec. Quae ideo in eo in quo ab exemplaribus recedunt non amplius sunt entia, sed defectus, conc.; quatenus in omnibus a veritate deficiant, neg. Sciendum defectum consistere vel in deficientia entitatis requisitae, v. g. in carentia visionis in homine, vel in carentia proportionis ob aliquid positive superadditum, v. g. ex gibbo in dorso. Atqui carentia et deficientia non est ens. Ergo non exigit esse vera. Quoniam autem res defectuosa non cessat substantialiter ab esse, in eo, in quo perseverat, adhuc vera permanet. De positive superadditis notamus ea revera esse ens et ideo vera: quia Deus omnium entium et eorum etiam quae alicui afferunt deformitatem, exemplar habet.

Deduces ex his, *primum* quod ens et verum convertuntur, perindè ac ens et unum: *secundum*, quod non datur falsum metaphysicum, vel transcendens: repugnat enim idem simul esse et non esse.

Etsi veritas metaphysica proprie in convenientia rerum cum intellectu divino sita sit, ad quem necessario refertur et a quo quidquid res habet, est, neque ideo in relatione ad intellectum creatum constituatur, ut lockiani volunt, tamen ex Doctore *Metaph.* x. q. iv. n. 2. potest esse veritas in re etiam in relatione ad ipsum: et tunc accidit quando hic est mensura rei, sicut in artificiatis exigentibus esse secundum similitudinem intellectus nostri; quia « sicut intellectus Primi se habet ad res na-

turales, sic intellectus noster se habet ad artificialia; et ideo intellectus Primi est mensura naturalium, intellectus noster rerum artificialium; mensuratur tamen intellectus noster per res naturales. » Quoniam autem mensura ab intellectu nostro importata, est debilis et accidentalis, non potest dici metaphysica, sed solum quamdam similitudinem praeseferre veritatis metaphysicae. Multa de veritate videas in Halensi I. p. q. XV.

ARTICULUS II.

De bonitate entis.

BONUM multipliciter sumitur, moraliter, naturaliter et transcendentaliter. Bonum dicitur *morale* quod situm est in convenientia nostrarum actionum cum regulis morum. Dicitur *naturale*, vel physicum quod situm est in ea qualitate, qua res physice appetitum alliciunt. Dicitur *metaphysicum*, vel transcendens, quod sequitur ens, prout est ens, tamquam ejus passio intrinseca (*Quodl.* XVIII. n. 3. 4.).

Item bonum dividitur in honestum, utile et delectabile. *Honestum* appellatur quod appetitur ratione suae convenientiae moralis cum natura; v. g. virtus: appellatur *utile* quod appetitur non ratione sui, sed ob aliud bonum; v. g. pecunia, quae ad nostris necessitatibus subveniendum utilis est. *Delectabile* appellatur quod cum apprehensione sui delectationem in suscipiente producit.

Adhuc bonum dividitur in *corporeum* et *spirituale*, secundum quod afficit corpus, vel spiritum.

Tandem in *absolutum* dividitur et *participatum*; quorum primum est quod est tale per essentiam, quod

est solus Deus; alterum vero quod est tale per participationem ab alio; sicut cunctae res creatae.

Bonum, de quo in Metaphysica, est bonum transcendens.

Bonum transcendens vel metaphysicum definitur: *proprietas metaphysica entis realis, qua ipsum ens habet ut sit appetibile.* Prima verba distinguunt bonum transcendens a reliquis: caetera innuunt quod quemadmodum veritas reposita est in eo ut sit apta nata movere intellectum, non vero in actuali motione intellectus, ita bonitas reposita est non in actuali motu appetitus, vel in actuali correlatione hujus, sed in eo quod est nata apta movere illum; scilicet in ea intrinseca qualitate, qua ens fit appetibile, etiam praecisione facta ab appetitu.

Appetibilitas entis fundamentum sui habet in *perfectione:* « bonum et perfectum idem sunt ex 6. *Metaph.* » (*Paris.* II. D. XXXIV. n. 3.). Ratio, quia ens deficiens in intrinseca sui natura, ab aestimatione condigna recedit magis vel minus secundum deficientiam majorem, vel minorem naturae: et e contra magis aestimatur, quo altior gradus perfectionis ad complementum ultimum naturae adest. Atqui aestimatio includit appetibilitatem, quia haec excitatur a prima. Ergo appetibilitas entis in perfectione fundatur.

Circa essentiam bonitatis triplex extat sententia: *prima* tuetur eam reponi in convenientia *ad aliud; altera* in amabilitate; *tertia* in illa formalitate positiva a qua ens dicitur completum et ex qua inde profluit convenientia et amabilitas: quae sententia nobis magis arridet cum Doctore IV. D. XLIX. q. II. n. 19. Convenientia enim ad aliud est quid relativum: proprietates autem, ut

passiones, sunt quid absolutum: item convenientia actualis (ad aliud enim solum actu est vera relatio) supponit aliquid unde oriatur convenientia, quod intelligitur tamquam ratio formalis illius. In eo ergo ratio bonitatis reponenda est, potiusquam in convenientia. Similiter argue de amabilitate. Pro tertia opinione stat ratio quod per eam rectius explicatur natura et essentia *boni*, quia posita ea formalitate, ens et absolute perficitur et inde conveniens et amabile efficitur.

Prop. OMNE ENS EST BONUM.

Prob. Nulli enti deest quod est essentiale illi et quod necessario ab eo profluit et quo entitative in suo esse constituitur; ex quo conveniens et amabile efficitur. Atqui in eo ratio bonitatis, ut visum est, constituitur. Ergo omne ens est bonum. Majoris prima pars patet, quia ens, prout ens, est simplex: ideo vel totum est, vel est nihilum, de quo non est propositio. Item, ens compositum non potest deficere et simul in esse permanere, nisi deficiat solum in accidentalibus: totum ergo essentiale perfecte est, ex qua perfectione sufficienter bonitas constituitur. Secunda pars item patet; quia agitur de convenientia transcendenti, non solum appetitum afficiente, sed etiam conatum intellectus. Atqui ens in se est objectum intellectus; ideoque capax perficiendi eum, ejusque conatum alliciendi. Ergo etc.

Secunda ratio deducitur ex eo, quia quodlibet ens est repraesentativum quodam modo *esse* summi et primi Entis: sed hoc est in summo bonitatis: ergo quidquid illud repraesentat, licet imperfecte, nonnisi bonum esse potest. Tandem sic argue. Quidquid a Deo diligitur, bonum est: sed Deus se et omnia a se creata diligit: ergo omnia

sunt bona. Minor patet, quia Deus, utpote sapientissimus, bene omnia fecit, nec potest non sibi complacere diligendo opera manuum suarum. « Quaedam (Deus) diligit dilectione efficaci, puta illa quae aliquando producit in esse; quaedam volitione quadam complacentiae non efficaci, quae tamen numquam producet in esse; ostenduntur tamen ab intellectu suo ut possibilia habere tantam bonitatem, sicut illa quae diligit dilectione efficaci » (III. D. XXXII. q. II. n. 2.).

Halensis I. p. q. XVIII. m. VI. id ostendit ex eo quia omne ens est a bono, in bono et ad bonum.

Objectio. Multa entia dicuntur mala: ergo falsa propositio.

Resp. Dist. antec. Entia physice et moraliter considerata, conc.; considerata metaphysice, neg. Quemadmodum veritas rei non dependet ab intellectu nostro (qui saepius caret convenientia cum re), ita nec bonitas metaphysica ab affectionibus nostrae voluntatis et moribus, quae sunt aliquid rei extrinsecum. Multa igitur entia dicuntur mala, non ex eo quod sunt entia, sed ex eo quod nobis non placent; et si agatur de actionibus, hae malae dicuntur quia discordant a regulis morum, non autem ratione sui quatenus sunt quoddam ens.

ARTICULUS III.

De malo.

Bono MALUM opponitur, illudque negat et generali ex regula tot modis dividitur sicut bonum, si excipiatur divisio in absolutum et honestum. Malum dicitur *physicum* quod bono physico, *morale* quod bono morali, *metaphysi-*

cum quod bono metaphysico contrariatur. Definitur autem malum: negatio boni quod dicit perfectionem secundam natam inesse (*Paris.* II. D. XXXIV. n. 16.). Scilicet malum debet negare *perfectionem* entis; sed non primam, idest, esse primum; quia non existentia non est malum; secus omnia possibilia et impossibilia mala forent: sola igitur negatio perfectionis in subjecto reali essentia praedito, malum dicitur. Verum neque hoc tantum praerequiritur, sed praeterea necessaria est exigentia ejusdem perfectionis ex parte subjecti. Hinc malum non est carentia visionis in lapide, sicuti est in homine.

Etsi negatio primae perfectionis non constituat malum prout explicatum est, si tamen consideretur destructio totalis subjecti existentis, v. g. hominis et bruti per mortem, malum vere dicitur, quia existentia, quam omnia desiderant servare, est per modum perfectionis secundae, licet essentiam intrinsece afficiat.

De origine malorum et natura, multum antiquitus disputatum est, multaque a doctoribus catholicis praecipue contra Manichaeos scripta sunt: hi quemadmodum unam esse naturam per se bonam, ita aliam per se et totaliter malam esse censebant, a qua omnia mala procederent; quemadmodum a bono principio omnia bona profluunt. Quid de principio Manichaeorum sit tenendum, videbitur in Theologia. Quomodo item sub unicitate principii boni malorum existentia non repugnet, ibidem pariter declarabitur. Hic de origine et natura mali in genere solum inquiritur.

Prop. Malum in privatione boni consistit; quae privatio in deficientia creaturae fundatur. Est Doctoris II. D. XXXVII. q. I. n. 3. et ibi D. XL. n. 2. et *Quodl.* XVIII. n. 8 etc

Prob. I. pars. Posita privatione boni, statim habetur malum. Ergo in ea sita est ratio formalis mali. Prob. antec. Et imprimis in genere. Tunc res dicitur bona quando in se continet quidquid ad sui perfectionem sive substantialiter, sive accidentaliter requiritur: ratione igitur contrariorum, tunc dicenda est mala, quando vel uno ex praefatis carebit. *Secundo* probatur in specie de malo morali. Malum morale obtinet quando inferius tenetur se conformare agenti superiori praecipienti, vel prohibenti facere quoddam opus et inferius legi renuit obedire: malum igitur morale situm est in carentia seu privatione concordiae voluntatis creatae cum voluntate Dei, vel inferioris cum superiore. De malo physico ratio redditur sicut in primo argumento. « Bonitas naturalis... est perfectio secunda alicujus rei integrata ex omnibus illis concurrentibus sibi et sibi invicem; et omnibus illis concurrentibus, est perfecta bonitas, juxta illud Dionysii: bonum est ex perfecta et causa integra. Omnibus autem istis deficientibus et natura stante, quae deceret perfici illis, est perfecte mala; quibusdam substratis, est mala, sed non perfecte, sicut de pulchritudine et de turpitudine in corpore. » Similiter est de actu naturali deficiente a natura suae causae, fine, objecto etc. (ibi XL.) Vide et Seraphicum II. D. XXXIV. a. II. q. III.

Prob. II. pars. Natura finita non est indeclinabilis a recto, imo in se continet principia opposita; sicut patet in naturis corporalibus quoad bona sensilia et in spiritualibus quoad virtutem, veritatem et alia perfectibilia earum. In eo autem sita est ratio deficientiae. Ergo etc.

Optime Doctor ibi XXXVII. q. II. n. 9. hoc declarat:

duo in quolibet causante malum dignoscenda sunt, quemadmodum in subjecto patiente; actio, idest, causans in primo et entitas positiva in secundo; secundum, declinatio a recto in primo et deficientia a perfectione in altero. Actio et entitas in se considerata non sunt malum, sed bonum: imo neque malum est effectus productus ex ea actione, si dicat quid positivum; v. g. conceptus ex adulterio. Ratio quia ens et bonum convertuntur. Sola igitur dicitur mala deficientia eorum quae actionem et subjectum circumstant, idest, finis, rectitudinis etc.

Quoniam autem deficientia a natura non intenditur per se, cum quaelibet res naturaliter in sui perfectionem inclinetur, malum a bono est solum per accidens.

Ex his bene intelligitur illud *malum esse a bono et in bono,* quatenus et producitur ab agente, quod est ens et ideo bonum, et sistit in aliquo, quod item est ens. Animadvertit tamen Halensis I. p. q. XIX. m. III. melius dici malum subsistere *substantiae,* quam bono, ut patet: item ex eo quod malum est privatio, quodammodo non esse, asseri potest II. p. q. XCIV. m. I. Confer ibidem S. Bonaventuram q. I. et II. et Angel. *Cont. Gent.* c. X. l. 3.

Objectio. Venenum, praetuberantia in facie, actus imperfecti sunt aliquid positivum. Ergo malum non consistit in carentia boni.

Resp. Dist. antec. Quae tamen simul important privationem prout mala sunt, conc.; secus neg. Venenum non est malum nisi nobis; in se enim habet quidquid ad talem naturam requiritur; ideo bonum est. Quod clarius evadit per hoc, quia quod veneficum est uni, utile est alteri. Malum igitur contentum in veneno est in deficientia convenientiae illius cum nostra natura: quod et de praetu-

berantia dicendum est, ut patet. De actu imperfecto dicimus esse malum in sola carentia perfectionis, non vero in entitate manente.

ARTICULUS IV.

De perfecto.

« Res dicitur perfecta cum non caret aliquo pertinente ad suam perfectionem, sed habet terminum suae perfectionis » (*Paris.* I. D. XIX. q. V. n. 4.). Plenius autem perfecti definitio praebetur in *Metaph. Text.* l. V. c. XV. n. 122. sic: PERFECTUM dicitur quidquid est terminatum et absolutum, non dependens ab alio et habens omnia quae sibi competunt secundum proprium genus et non privatum aliquo sibi competente ob varios respectus suos. *Terminatum* et *absolutum* perinde est ac completum in essentialibus. *Non dependens ab alio* innuit non indigentiam alterius in perfecto ut in tali statu constituatur; non vero denegat dependentiam in fieri et in sui origine: secus nulla creatura pervenire posset ad perfectionem propriam. *Secundum genus proprium* significat perfectionem cujusque dimetiendam esse a principiis variis diversitatem in rerum natura inducentibus; quarum aliae sunt aliis perfectiores, licet in tali esse perfectae inveniantur; v. g. etsi homo sit bruto perfectior, tamen brutum in se consideratum perfectum dicitur secundum genus suum. Cetera innuunt ad perfectionem non requiri sola essentialia, sed etiam passiones omnes sive metaphysicae, sive physicae, etc., ita ut nihil desit eorum quae natura exigit sive rigorose, sive ad ornatum.

DIVIDITUR perfectio *primo* in perfectionem simpliciter

simplicem et in perfectionem secundum quid (I. D. II. q. III. n. 7. et q. VII. n. 39.). Dicitur *simpliciter simplex* quae non necessario inducit imperfectionem concomitantem, quia de se non continet limitationem; v. g. bonum, verum etc. de se non inducunt limitationem, sed solum prout sunt in homine, etc. Perfectio dicitur *secundum quid* quae de ratione sui includit limitationem et ideo necessario habet imperfectionem annexam; v. g. homo, asinus, materia etc., qui necessario limitantur et de se excludunt perfectionem absolutam.

Secundo, perfectum dividitur (ibid. XLIX. q. II. n. 22.) in perfectum perfectione prima et perfectum perfectione secunda. *Prima perfectio* est quando in re nihil deficit pertinens ad primum esse rei, vel essentiale. *Secunda* habetur quando nihil deficit pertinens ad esse secundum vel extra essentiale; v. g. proprietates et accidentales qualitates.

Haec ultima dividitur; quia quaedam est perfectio intrinseca, nec conjungit cum perfectivo extrinseco; v. g. proprietates; quaedam autem sic est intrinseca quod in hoc perficit, quia conjungit perfectivo extrinseco; v. g. perfectio procedens ab operationibus potentiarum ratione objecti circa quod versantur. « Nec mirum quod aliquid perficiatur in extrinseco; quia attingendo extrinsecum et maxime si est perfectius se, habet ulteriorem perfectionem, quam posset habere in se et ad se. Isto enim modo ignobiliora perficiuntur in nobilioribus, non essendo illa realiter, nec habendo illa formaliter inhaerentia, sed attingendo illa et sic habendo modo sibi possibili habendi » (ibi).

Hic modus perfectionis solum in creaturis invenitur: cum enim ipsae solum secundum quid perfectione fruantur

et ad nova perfectibilia sint capacia, imperfectae bene dicuntur; quodlibet autem imperfectum inquirit id per quod perficitur; quod est sibi extrinsecum. Verum non licet sibi unire perfectibile, nisi per operationem propriam. Operatio igitur est causa perfectibilitatis secundae ab extrinseco, ad quam res inclinantur ex sui limitatione.

De perfecto duo inquiruntur. *Primum*, an omne imperfectum ad perfectum reducatur? *Secundum*, in quo sita est perfectio cujusque entis?

Ad primum respondet Doctor i. D. ii. q. iii. n. 8. distinguendo sic: vel agitur de imperfectione procedente a limitatione alicujus perfectionis simpliciter simplicis, vel ortum ducente a perfectione secundum quid. « Quod est imperfectum primo modo reducitur ad perfectum simpliciter secundum perfectionem illius rationis; quia aliquid secundum illam rationem potest esse simpliciter perfectum: quod autem est imperfectum secundo modo, non reducitur ad aliquid perfectum simpliciter secundum perfectionem ejusdem rationis, scilicet ad rationem specificam; quia enim ista imperfectionem includit, ideo secundum non potest esse aliquid perfectum simpliciter propter limitationem; sed reducitur ad àliquid perfectum simpliciter aequivocum eminenter includens illam perfectionem; et ideo bonum imperfectum reducitur ad perfectum bonum; et sic lapis, qui est imperfectus, non reducitur ad lapidem perfectum simpliciter, sed ad summum ens et ad summum bonum, quae includunt virtualiter illam perfectionem. »

Ad secundum optima habetur resolutio in viii. *Metaph.* q. i. n. 5. quam innuimus in definitione explicanda. Scilicet, perfectio cujusque rei propria consistit in habendo omnia

quae res exigit, sive ex principiis suis essentialibus, sive extra-essentialibus. Non laeditur autem perfectio, si quid eī addatur naturam nobilitans non auferens quae naturae sunt; ut clarius fiet in articulo sequenti. Ratio primi patet, quia ibi habetur plena satisfactio exigentiae naturalis. Ratio secundi est, quia supernaturale non destruit naturam, sed elevat. Si autem natura privatur, dummodo hoc non suppleatur per aequipollens, eo quod est sibi conveniens, imperfecta manebit, licet donetur alia nobiliori perfectione *sibi non connaturali.* Hinc si quis, v. g. canis per impossibile praeditus esset scientia et non possideret rabiem cani convenientem, a perfectione deficeret et imperfectior foret cane non sapiente, sed rabie praedito.

Quod non accidit quando res possidet id, quo caret, in aequivalenti et nobiliori modo; sicut est in Christi humanitate, quae licet careat personalitate creata, tamen per nobilius personatur, idest, per Verbum.

Nota de perfectione *corruptibilium,* quod in his communiter major, vel minor compositio est causa majoris, vel minoris perfectionis; non tamen ratione compositionis, quia simplicius de se est composito perfectius; sed quia talis natura non potest habere multam actualitatem cum simplicitate; saltem non tantam, quantam cum compositione; actualius autem generaliter est perfectius. Vel sic distingue: si agatur de *natura* intrinseca principiorum, quo haec sunt simpliciora, eo majorem ad perfectionem res elevatur; si vero agatur de *numero* principiorum, tunc valet regula praeposita; quia in augmentatione horum, augetur vis ex eis profluens et numero suppletur debilitati naturae crassioris. Vide ibidem.

ARTICULUS V.

De pulchro.

Omnia quae sunt perfecta completum habent esse: et quoniam omne completum est bonum et omne bonum placet et ad placentiam confert pulchritudo, dici potest quod omne ens sit pulchrum. Quod sane verum est si de pulchritudine late sumpta sit sermo. Verum pulchritudo specialiori ratione sumitur prout hic consideratur; seu pulchrum dicitur id quod praeter bonitatem entitativam et naturalem, habet etiam multiplices partium dispositiones affabre constructarum, ita ut vere placeat intuenti: ex quo receptum est effatum: quidquid est pulchrum etiam bonum est, non vero e contra. Vide *Seraph.* I. D. XXXI. p. II. a. I. q. III.

Duplex habetur PULCHRITUDINIS DEFINITIO: prima sic traditur: *Unitas in varietate:* scilicet, multa quae in pulchro inveniuntur, ita disponi debent, ut per modum unius se habeant; sicut patet in domo. Verum non recte per hanc definitionem pulchrum designatur; quia non omnia tali unitate ditata pulchra habentur; v. g. multae domus non conditae secundum architecturae leges. Rectius ideo sic praebetur definitio pulchritudinis: *Recta dispositio partium delectans manifestatione sui cognoscentem* (1). Per prima verba innuitur quod traditur per primam definitionem et insuper regularis dispositio partium: per cetera

(1) « Pulchritudo... est ex congruentia compositionis partium. » Halensis I. p. q. XVII. m. IX. Idem Doctor ibidem docet bonum honestum esse unum cum pulchro et solum differre in eo quod bonum delectat affectum, pulchrum vero placet apprehensioni. Id negat as-

innuitur effectus pulchritudinis qui est placentia relate ad intuentes. Haec tamen non a vulgo ex lege generali dijudicanda est, sed a peritis in arte; quia saepe ea quae sunt pulchra, rudibus non placent; sicut e contra his placent, quae a vera pulchritudine sunt longe. Quapropter vera ratio pulchritudinis in debita partium dispositione reponenda est, ex qua tamquam effectus oritur placentia recte considerantibus. Aurea sunt Doctoris verba de pulchro, quae habentur in I. D. XVII. q. III. n. 3.: « Pulchritudo non est aliqua qualitas absoluta in corpore pulchro, sed aggregatio omnium convenientium tali corpori, puta magnitudinis, figurae et coloris et aggregatio omnium respectuum qui sunt istorum ad corpus et ad se invicem. »

Pulchritudo multipliciter DIVIDITUR: *primo,* in *corpoream* et in *incorpoream* seu spiritualem: prioris notio continetur in verbis praeallatis Doctoris; alterius vero facile obtinetur, si praefata modo suo spiritui applicantur; vel dicitur ea quae sequitur spiritum. De hac non est cura nobis: certum tamen est etiam in spiritualibus substantiis adesse pulchrum; imo nobiliori ratione, sicut nobiliori ratione essentialia et extra-essentialia continentur. Et quoniam Deus infinitis perfectionibus gaudet in unitate naturae, infinite pulcher est dicendus.

Secundo, pulchritudo dividitur in naturalem, artificialem et moralem. *Naturalis* pulchritudo ea est quae naturaliter sequitur res: dicitur vero *artificialis,* quae in artis operibus invenitur; v. g. in statua: dicitur *moralis*

seri posse de bono tantum utili. Vide alia de hac materia ibidem et II. p. q. XVI. tota. Hic m. I. item asserit *verum* esse in dispositione partium ex parte formae relate ad interius, *pulchrum* autem ad exterius.

quae est in convenientia nostrarum actionum cum regulis morum. Vide quam bene Doctor II. D. XL. n. 2. hanc materiam pertractet; licet enim de bonitate ibi loquatur, recte aptantur et pulchro ejus verba.

Tandem pulchrum dividitur in *reale* et *ideale*, secundum quod vel in rerum natura invenitur, vel in mente sistit tamquam exemplar, cui quo magis extrinsecum conformatur, eo magis pulchrum reale evadit. Ideale non solum in mente divina invenitur, sed etiam in mente creata. Primum patet sic: quia in Deo rerum omnium exemplaria sint oportet, non solum actualium, sed etiam possibilium; nec solum earum divisim consideratarum, sed etiam ut ordinatae sunt ad pulchritudinem universi. Secundum constat; quia saepius ad Dei similitudinem operum nostrorum exemplaria efformamus; quod semper est agendum, quando agitur de artificiali opere condendo praecipue in compositione, vel melius in praeconceptione poetica.

Si quidam ORDO INTER VARIA PULCHRA praememorata est ponendus, sic disponi debet. Primus locus pulchro increato dandus est; cujus ratio manifestissima est consideranti. Secundus locus pulchro creato spirituali, cum spiritus nobilitate praetergrediatur materiam. Tertius locus pulchro morali; quia hoc versatur circa relationem immediatam creaturae rationalis cum Creatore. Quartus locus pulchro ideali creato; quod patet esse nobilius corporali et tamen inferius morali, cum non per se conjungat ultimo fini. Tandem ultimus locus tribuendus est pulchro corporali, utpote quod infimum tenet locum inter entia creata.

De regulis ad pulchrum habendum nihil hic adji-

cimus, remittentes lectores ad Logicam, ubi actum est de arte, cum qua pulchrum arcte connectitur.

Quid ad pulchrum requiratur: confer S. Thom. p. I. q. 29. art. 8.

ARTICULUS VI.

De ordine.

Unitas in varietate, prout pulchrum constituit, non est nisi in varietate cum ordine: de eo ideo hic.

Doctor ex S. Augustino sic definit ordinem in I. D. XXX. q. II. n. 19. ORDO est *parium, dispariumque rerum apta dispositio:* idest est relatio plurium; non tamen relatio quaelibet, seu communis; quia non omnis relatio dicit ordinem, de quo nunc; sicut patet in relationibus aequiparantiae, v. g. inter duas albedines: relatio ergo importata per ordinem est relatio disquiparantiae; et revera ordo non potest concipi absque superiorum et inferiorum relatione, ideoque parium et disparium.

Ordo EX TRIPLICI FONTE dimanat. Primo, « secundum eminentiam quae est in naturis diversis in universo: » secundo, « secundum aequalitatem: » tertio, « secundum actionem et passionem, sive secundum causalitatem. » (ibid.). Declaratur. Dicitur ergo *primo* ab eminentia profluere ordo; quia revera creaturarum una excellit alteram, continens virtualiter, seu eminenter vel formaliter, quidquid perfectionis invenitur in inferiore cum aliquo addito; sicut patet in homine relate ad animal et ad lapidem; quorum primum homo formaliter continet et alterum eminenter; ex quo referuntur ad invicem ad universi ordinationem. *Secundo*, dicitur ab aequalitate ordo pro-

fluere, seu ab unione parium et disparium; cujus ratio in declaranda definitione patuit et cuique universum contemplanti manifestum fit. *Tertio*, ordo dicitur profluere etiam a causalitate, scilicet ab influxu superiorum in inferiora; quia amoto eo influxu, non amplius partes in unum vere concurrentes intelliguntur, sed quasi separatae et independentes ab invicem, contra rationem formalem ordinis: qui influxus facile in vere ordinatis, v. g. in mundo, perspicitur.

Ordo quadrupliciter DIVIDI potest. 1° in *universalem* et *particularem*. Ad cujus intelligentiam est sciendum ordinem saepius constare ex partibus item compositis ex paribus et disparibus. Ordo continens omnes et singulas hujusmodi partes, dicitur universalis; ordo in qualibet parte, particularis dicitur. Si ordo primus consideretur prout refulget in hac rerum universitate, dicitur *Ordo universi*.

2° Ordo dividitur in *spiritualem* et *corporeum* vel sensibilem secundum quod reperitur inter spiritualia, vel corporalia. Horum quilibet subdividitur; et primus quidem in *logicum* si inter mentis conceptus existat; in *moralem* si in recta coordinatione actionum cum regulis morum situs sit; in *socialem* si membra ordinet civilis, vel religiosae societatis; et in *hierarchicum* qui intercedit inter varias species angelorum, vel varios gradus superiorum in Ecclesia. Alter, idest sensibilis dividitur in *naturalem* et *artificialem* prout vel sequitur naturam, vel arte inducitur.

3° Dividitur quoque in *physicum* et *metaphysicum*. Primus dicitur qui invenitur in rebus physice inspectis: alter est ordo abstracte consideratus per conceptus essentiales rerum; v. g. generum, specierum, etc. Vel dicitur

metaphysicus ille ordo generalis quo naturae rerum ordinantur ad invicem per genera, etc., ut videre est in arbore porphyriana.

4° Tandem notissima inter philosophos christianos est divisio ordinis in naturalem et supernaturalem. Appellatur *naturalis* qui in rebus inest secundum earum naturalem exigentiam: dicitur *supernaturalis* qui totaliter exigentiam naturae praetergreditur; v. g. ordo gratiae quo homines filii Dei constituuntur et efficiuntur capaces visionis beatificae, ad quam nullimode sufficiunt naturales hominis vires. De hujus possibilitate sermo habebitur in Cosmologia: de realitate illius tractatio ad theologum dogmaticum spectat.

Terminum articulo ponimus animadvertentes semper et in omnibus necessarium esse ordinem, tum in scientiis acquirendis et pertractandis, tum in artificialibus disponendis, tum in gerendis negotiis, etc., etc.: ratio, quia ubi deest ordo, ibi chaos est et confusio, quam maxime natura abhorret.

CAPUT VI.

De causis entium.

Scientia est cognitio certa et evidens rei per causam: et quamvis demonstratio apodictica et potissima illius causativa, solum habeatur per causam formalem, tamen etiam aliae causae demonstrant, etsi non ita rigorose sicut formalis. Cum igitur metaphysica sit scientia communis et omnium aliarum scientiarum fundamentum, recte de causis in genere considerandi munus ei tribuitur.

ARTICULUS I.

De notione causae et principii.

Principium sumitur vel pro eo quod inservit demonstrationi tamquam fundamentum, de quo in Logica loquuti sumus; vel pro eo quod ad esse rei concurrit: v. g. materia relate ad corporis constitutionem: sub quo aspectu hic. Notandum vero principium aliquando converti in rationem causae; et tum accidit, quando verus est ejus influxus in productum re distinctum; secus in ratione principii manet. Rectum igitur est bene rationem formalem utriusque determinare ad plenam et exactam notionem eorum quae de causis dicturi sumus.

CAUSA dicitur *omne id quod confert ad productionem alterius*. Tamen non licet rationem causae cuidam tribuere nisi sequentibus sub conditionibus: 1ª Producens debet vere influxu suo ad causatum producendum concurrere: 2ª Necessaria est dependentia naturae producti a producente; sicut accidit in generatione vera. Haec conditio profluit a prima, quia influxus verus sibi unit quodammodo productum; 3ª Distinctio realis intercedat necesse est inter producens et totum productum. Ratio, quia nihil potest causare se ipsum.

Hae non requiruntur ad rationem PRINCIPII; ita ut tale hoc habeatur etiamsi una, vel altera conditio ex praefatis desit: ideo principium causa latius patet; et definitur: *omne id a quo res aliquo modo, quiqumque sit, procedit;* v. g. non solum dicitur principium materia relate ad corpus et pater relate ad filium: sed etiam aurora respectu diei, anima relate ad suas facultates et

proprietates, etc.; cum hac tamen differentia, quod materia et pater ratione realis influxus, etc., in dignitatem causae elevantur; aurora autem et anima in ratione principii perseverant ex carentia influxus ex parte primae, et distinctionis realis a producto ex parte secundae. Vide *Metaph. Text.* l. v. c. i.

Principium et causa non solum a principiato et ab effectu distinguendi sunt vel realiter, vel ratione, sed etiam a principiante et a causante (ex ix. *Metaph.* q. iv. n. 3.) sicut *quo* a *quod.* Patet exemplis: v. g. pater est principians vel causans ut *quod*; vis generativa dicitur principium *quo* pater filium generat vel causat.

De causis in genere *notandum* eas dupliciter considerari posse, vel metaphysice vel physice. Considerantur autem *metaphysice,* si praecisio fiat a motu et in sui abstractione inspiciantur: considerantur vero *physice*, si prout sunt in rerum natura transformationibus et motui subjectae, mente rimentur. Quae distinctio non est irrationalis; licet enim de facto causa non causet sine motu et transformationibus, tamen bene mens abstrahere potest conceptum illius, sicut de reliquis accidit et sic speculari illum sine praxi physica longe a motu: quo modo a metaphysico de causis peragitur. « Sciendum, scribit Doctor ib. n. 2., quod cum *propter aliud esse* et *esse propter quod aliud est,* sint conditiones entis absolute, non contracti ad metaphysicum, vel naturalem et illae sint relationes causati et causae, sequitur quod ad metaphysicum pertinet constituere causam et causatum. Cumque quatuor genera causarum distinguant causam, per hoc quod causatum aliter est per quodlibet illorum, absque hoc quod descendatur ad motum, vel quantitatem, sequitur

quod omnia genera causarum pertinent ad metaphysicum Conferre enim ad esse alicujus ut pars essentialis ejus et haec sive actualis, sive potentialis, patet quod non contrahit ad motum. » Videas et in *Paris.* I. D. VIII. q. III. n. 10.

ARTICULUS II.

De ratione formali causalitatis.

Quatuor in causa sunt distinguenda: *primum,* entitas constitutiva illius quod causans dicitur; v. g. entitas patris: *secundum*, potentia activa qua mediante primum causat: v. g. vis generativa: *tertium,* influxus potentiae in productum: v. g. actus generativus: *quartum,* relatio causati ad causam et viceversa: v. g. patris ad filium. Inquiritur autem a philosophis, in quonam istorum vera ratio causalitatis reponenda sit? Non est convenientia inter eos. Nos, duce Doctore, sequenti propositione resolutionem quaesiti propositi praebemus.

Prop. ETSI ENTITAS PRAEREQUIRATUR AD CAUSANDUM ET RELATIO SUBSEQUATUR CAUSATIONEM, TAMEN RATIO FORMALIS CAUSALITATIS REPONENDA EST IN INFLUXU ET POTENTIA SIMUL. Ex Doctore eruitur: prima et secunda pars ex II. D. I. q. II. n. 8., tertia ex *Prol.* q. IV. n. 21.

Prob. I. pars, quae patet: nam entitas veluti fundamentum causalitatis habendum est, cum impossibilis evadat productio sine entitate in qua causativa virtus resideat. Entitatem autem non constituere rationem formalem causae ex eo manifeste apparet, quia entitas eadem manet tum ante, tum post causationem, tum in ipso actu causandi; nec tamen semper causat.

Prob. II. pars. Quod est posterius, non potest con-

stituere rationem formalem anterioris. Atqui relatio subsequitur causationem, quia tunc est, quando termini adsunt. Ergo relatio causae et effectus nequit esse ratio etc.

Prob. III. pars; pro qua *praenota* quomodo sit intelligenda; idest, ratio causae consistere dicitur in vi emittendi influxum ad causandum; et quidem in actu, si de causa actuali agitur, aptitudinaliter vero si sermo sit de causa non agente hic et nunc, sed valente in causationem progredi.

Prob. Quia posita potentia et influxu simul, modo praeexposito, statim causationis ratio obtinetur; quemadmodum ex opposito, his sublatis, eadem aufertur. Impossibile est enim concipere recte causalitatem, nisi in causaturo concipiatur vis activa, quae est affectio intrinseca potentiae; vel nisi concipiatur potentia non quidem nuda, quia ut sic non semper producit, sed prout influxu afficitur.

Neque juvat objicere repugnare in duobus reponi rationem causandi; quia non sunt potentia et influxus duo vere, sed per modum unius; nam hic est complementum alterius prout illa est causativa; et licet aliquo modo distinguantur, non tamen vere duo constituunt.

Nota. Non semper causa agit ad suum effectum, quia non semper praerequisitis *conditionibus* gaudet. Sunt autem hae sequentes. *Prima,* ut removeantur impedimenta interposita: nam saepius creata, etsi in se omnia habeant ad causandum, prohibentur ab effectu ob extrinseca obstacula; sicut patet in igne applicato ligno posito in nimia distantia, vel aqua nimia madido. *Secunda,* ut adsint qualitates disponentes; v. g. in igne ad comburendum necessarius est aer etc. *Tertia,* ut causa existat eo tempore, quo causare debet: patet.

ARTICULUS III.

De divisione causae.

Multiplices sunt modi, quibus causa dividitur. I. Generalissime considerata partitur in primam et secundam. *Prima* dicitur quae est in *esse* et in *agere* a nulla superiori causa dependens; imo est sibi subjiciens caeteras, quaevis sint: talis est solus Deus auctor omnium sive eorum quae sunt et fuerunt, sive eorum quae futura sunt. E contra dicitur *secunda* quaelibet alia, quia a prima dependens: v. g. res cunctae creatae etc.

II. Causa dividitur in *univocam* et *aequivocam*. Prima ea est quae causat aliud ejusdem naturae: v. g. homo hominem. Altera est quae causat, sed naturae diversae effectum; v. g. homo ideam.

III. In mediatam et immediatam. *Immediata*, quae et proxima, dicitur ea a qua immediate est effectus sine mediatione alterius causae; v. g. parentes relate ad filium: secus, idest, si mediet altera causa, mediata appellatur; v. g. pessimis vendens venenum est causa mediata mortis ab his inflictae.

IV. In totalem et partialem. *Totalis* est a qua est totus effectus, non exclusis tamen conditionibus extrinsecis; v. g. pater et mater simul sunt causa totalis geniti: quae etiam vocatur *adaequata*, quia sua causatione adaequat totum effectum. Dicitur *partialis* vel etiam *inadaequata*, quae simul cum alia suum effectum valet producere; sicut patet in patre et matre divisim sumptis relate ad filium.

V. In universalem, particularem, intrinsecam et extrin-

secam. Est *universalis* quae ad plurimos effectus concurrit; quo sensu sol dicitur causa omnium quae ab influxu ejus in haec inferiora producuntur. Si effectus sit determinatus et particularis, *particularis* et causa appellatur; v. g. virtus generativa hominis. *Intrinseca* dicitur quae rem intrinsece constituit; v. g. materia et forma relate ad causationem compositi, anima et corpus relate ad hominem. Dicitur *extrinseca* quae solum extrinsece concurrit ad effectum; v. g. Deus relate ad creaturas, pictor ad picturam, faber lignarius ad scamnum.

VI. In *subordinatam* et *subordinantem*. Prima est quae causat cum subordinatione ad aliam in ipsa causatione; v. g. creatura relate ad causam primam, sine cujus concursu producere nil valet. Subordinans e contra ea est quae sibi subjicit aliam in causando.

Causae subordinatae aliae sunt subordinatae *per accidens*, aliae *per se:* quarum differentia haec est, quod hae non valent ad effectum, nisi simul causant; secus est de accidentaliter subordinatis: item in necessario subordinatis non est eadem omnium perfectio, sed una alteri praestat; quod non est necessarium in alteris; v. g. causa efficiens, finalis, materialis et formalis ad categoriam necessariae subordinationis pertinent; Petrus comburens stupam causantem mortem Pauli, ad alteram categoriam spectant (I. D. II. q. II. a II. 14.).

VII. Causa dividitur etiam in *moralem*, *physicam* et *metaphysicam*. Prima est quae solum moraliter in effectum influit; si physice influat, physica dicitur: exemplum primae habetur in inducente alterum minis, vel consiliis in damnum proximi: exemplum secundae in physice damnificante. Dicitur causa metaphysica quae causat per ema-

nationem; v. g. anima relate ad suas facultates. Haec autem potiusquam causa, principium dicenda est.

VII. In *principalem* et *instrumentalem*. Prima sua virtute effectum producit; altera producit, sed in virtute prioris, v. g. sculptor est causa principalis statuae, scalprum est causa instrumentalis.

IX. In causam per se et in causam per accidens. Causa *per se* dicitur quae suapte natura ad effectum ordinatur; v. g. medicina ad sanandum. Dicitur causa *per accidens*, quae etsi nunc revera causet, tamen de se ad id non ordinatur; v. g. musica ad sanandum. De causa per accidens videas Doctorem VI. *Metaph.* q. II. n. 7. 8.

X. In causam liberam, necessariam, naturalem, supernaturalem, materialem et spiritualem. — *Libera* est quae pro suo lubito determinatur ad proprias operationes, ita ut possit agere, vel non agere, etiam positis quibusque praerequisitis ad effectum. *Necessaria* est quae, positis omnibus necessariis ad agendum, non potest non operari; v. g. ignis. — *Naturalis* dicitur quae solis causat viribus naturae: quae si causet per virtutem naturae superadditam ea quae vires naturae praetergrediuntur, *supernaturalis* dicitur; homo informatus gratia actus profert merentes vitam aeternam. — Est *materialis* quae materia, vel partibus physicis constat; secus *spiritualis* est.

XI. Tandem notissima est apud peripateticos divisio causae in efficientem, finalem, materialem et formalem (I. D. III. q. VII. n. 3. et II. D. XII. q. I. n. 8. etc.).

Efficiens est a qua aliquid fit; v. g. Deus est causa efficiens mundi. *Finalis* ea est in cujus gratiam aliquid efficitur; v. g. finis movens ad eleemosynam erogandam. *Materialis* dicitur ea quae in composito materiali intrin-

sece concurrit tamquam pars determinabilis et passiva. Denique dicitur ***formalis*** quae in eodem composito determinat materiam in aliqua specie. De his causis speciatim sermo erit sequentibus articulis: et imprimis quaedam immediate ponuntur eas in genere consideratas respicientia.

ARTICULUS IV.

De causis effic., mater., form. et finali in genere.

Primum quod de his in genere inquiritur est an recte earum numerus constituatur. Peripatetici affirmant contra nonnullos veteres unam, vel alteram ex praefatis causis denegantes et contra alios quosdam adjicientes his et causam per accidens et causam instrumentalem tamquam distinctas formaliter a praememoratis.

Prop. Recte quaternarius numerus causarum assignatur. Est Doctoris IX. *Metaph.* q. IV. n. 2.

Prob. Primo: quidquid efficitur, ab aliquo in actu causante fit, cum repugnet aliquid per seipsum fieri, dum adhuc non est. Atqui quidquid alteri dat esse agendo, dicitur causa efficiens. Ergo cum in mundo multa facta sint et continuo fiant, datur causa eorum efficiens. *Secundo:* datur causa finalis; quia experientia constat agens omne tendere in aliquid, quod sibi praestituit, si agens sit liberum, vel quod sibi praestituitur ab Auctore naturae, si agens sit naturale, seu necessarium; atqui in hoc sita est ratio formalis causae finalis; ergo haec datur.

Tertio, datur causa materialis; quia in effectionibus non de nihilo, sed de aliquo praejacente et manente edu-

citur opus, *quod manens* ad indefinitas determinationes est in potentia. Hoc autem dicitur causa materialis. Ergo etc. *Tandem* datur causa formalis, quia indeterminatum, quale est materia, non potest intrinsece determinari in species, nisi concipiatur aliud a se per quod determinetur. Est autem hoc causa formalis. Ergo etc.

Ipsas autem esse distinctas et irreducibiles ad idem, patet, quia esse indeterminatum et determinans formaliter differunt: sicut differt esse causam intrinsecam rei, qualis materia et forma et esse extrinsecam, qualis efficiens et finalis. Item differt *efficiens* et *finis* ad quem agitur, quemadmodum differt *dirigens* (finis) et *directum* (efficiens): non ergo ad idem quatuor praememoratae causae reducuntur. Recte ergo assignatur earum numerus etc.

De causa INSTRUMENTALI et de causa PER ACCIDENS dicimus eas posse bene reduci ad causam efficientem. Haec enim vel est agens principalis et per se, vel non principalis, vel etiam per accidens: in prima hypothesi obtinetur vera causa efficiens, in altera causa instrumentalis et per accidens.

Idem dicendum de causa EXEMPLARI; de qua Doctor I. D. II. q. II. n. 10. et ibi D. XXXVI. n. 5. scribit: « causa exemplaris non est nisi quoddam efficiens: efficiens enim dividitur in efficiens per intellectum, sive propositum et in efficiens per naturam, secundum Philosophum 5. *Physic.* Sicut igitur naturaliter producens non est alia causa ab efficiente, ita nec exemplaris, nec exemplariter producens; et ita idem est effectum et exemplariter productum alicujus intelligentis inquantum est intelligens et in quantum est exemplar. »

Secundo, inquiritur QUINAM ORDO INTER HUJUSMODI CAUSAS EXISTAT?

Resp. I. Si causae considerentur in relatione ad EFFECTUM, prior est formalis, inde materialis, tertia efficiens, quarta finalis. Re sane vera: effectus nequit existere nisi suis principiis essentialibus constet, ideoque materia et forma: seu principia intrinseca magis influunt in effectum principiis extrinsecis. Atqui materia et forma sunt causae intrinsecae, aliae sunt extrinsecae. Ergo illae magis influunt in effectum et sic sunt his priores etc. Verum materiae nequit concedi prioritas prae forma, a qua sui determinationem recipit. Ideoque etc. Quod autem efficiens sit prior finali, patet, quia ipsa proxime unit formam et materiam; igitur post eas immediate in effectum concurrit; finis enim non concurrit nisi mediante efficiente.

Resp. II. Si causae in ordine AD SE spectentur, ordo inversus habetur; scilicet, prior est finis, secundus efficiens, tertia materia, in ultimo forma. Impossibilis est enim influxus formae in materiam, nisi sit motus ab extrinseco impellens ad unionem utriusque: causa igitur formalis et materialis est posterior causa efficiente. Huic autem nequit esse primatus in ordine ad finem; quia efficiens non movetur nisi a fine; qui ideo prior efficiente concipitur. Relate autem ad causas intrinsecas, prioritas materiae inest; quia efficiens in ipsam agit ad educendam ex eâ formam.

Tertio, inquiritur DE DIGNITATE harum causarum.

Resp. I. Causa finalis et efficiens nobilior est causa formali et materiali. *Prob.* « Genera causarum non se habent in perfectione ex aequo; imo causae intrinsecae

includunt aliquam imperfectionem; causae vero extrinsecae non; et quoniam omne imperfectum reducitur ad perfectum, oportet ut causalitas causarum intrinsecarum reducatur ad causalitatem nobiliorum causarum extrinsecarum » (*Paris.* I. D. v. q. II. n. 11.). Hinc etsi Deo tribui possit formaliter causalitas efficientis et finalis, non tamen materialis et formalis, nisi eminenter. Additur quod materia et forma non causant, nisi in virtute aliarum causarum.

Resp. II. Causa finalis est nobilior efficiente et formalis materiali. Ratio facile patet; quia efficiens subest fini et materia a forma suam perfectionem recipit tamquam passivum ab activo. Vide *De primo rer. princ.* c. II. n. 6.

Quarto, inquiritur DE CAUSARUM PROPRIETATIBUS.

1° Causae mutuo sunt causa; quod est intelligendum de connexione et dependentia earum in causando, non de intrinseca ratione formali causalitatis, quae cuilibet inest independenter ab altera.

2° Causa efficiens et finalis possunt esse causae contrariorum pro varietate dispositionum in materia: exemplum de efficiente: sol eodem radio et indurat terram et emollit ceram. De causa finali: finis alicujus praecepti et dirigit ad amorem virtutis et simul ad odium vitii ei virtuti oppositi.

3° Causae natura sunt effectu priores: de quo speciatim in sequenti articulo.

Deduces ex dictis: I. Si causae praefatae sunt realiter distinctae, quamvis ordinatae, diversus est earum modus causandi. II. Divisio allata earumdem est univoca, quia cuilibet ratio causalitatis revera inest.

ARTICULUS V.

Quomodo causa est prior effectu.

Quaestio haec intelligi potest vel de prioritate *generica*, vel de prioritate *dignitatis*.

Priori sub respectu dicimus: *Causa natura semper prior est effectu; non vero semper prior est tempore.* Ratio primi est, quia quidquid in effectu invenitur, est a causa, cujus est effectus; et ita ab ea hic dependet, ut sine illius influxu nequeat extare. Ratio secundi est, quia quaedam sunt causae quae statim causant ac sunt; ut accidit in multis necessariis: et ita simul tempore sunt et causa et effectus, v. g. ignis et calor. Vide v. *Metaph.* q. II. n. 3.

Altero sub respectu respondemus: 1° *causa ratione* CAUSALITATIS *est perfectior effectu;* 2° ratione vero ENTITATIS causa *univoca* est ejusdem perfectionis cum effectu; 3° causa *aequivoca totalis* suo effectu est nobilior et perfectior; 4° causa autem *aequivoca partialis potest* esse inferior. Est Doctoris locis citandis.

Primum (quod est Doctoris II. *Metaph.* q. VI. n. 15.) sic probatur. Causari est imperfectionis: ergo causare perfectionis est. Declaratur: melius est non esse dependens, quam dependens esse; quia dependentia subjectionem infert. Atqui causa est independens relate ad sui effectum; contra hic suum esse ab illa recipit et ab ea in sua ratione formali est. Ergo causa ratione causalitatis est perfectior effectu. *Praeterea posse dare,* quod dicitur de causâ, perfectius est quam *non posse dare,* quod de effectu enunciatur in ordine ad causam.

Secundum (item Doctoris *Prol.* q. iv. n. 45.) constat ex ipsa notione causae univocae.

Tertium (Doctoris ii. D. iii. q. x. n. 10.) sic ostenditur: illud nobilius altero dicendum est, quod in se majora continet: atqui talis est causa totalis aequivoca respectu sui effectus; nam repugnat aliquod posse dare quod non habet: quapropter nulla causa perfectius se producere valet: caeterum cum agatur de aequivoca, nequit effectus ejusdem perfectionis haberi: solus ergo inferior.

Quartum (item Doctoris ibidem, n. 17.) sic demonstratur: « Possibile est effectum alicujus causae partialis excedere suam causam partialem, quia aliquid perfectionis potest habere ab alia causa partiali, propter quam perfectionem (effectus) potest excedere illam causam partialem; ita quod species albedinis in intellectu angeli est perfectio intellectus ejus, non quidem perfectior entitas entitate quae est in albedine, secundum quod est genita ab albedine; quia, ut sic, deficit aliquo modo ab entitate simpliciter, quia est accidens genitum ab albedine; sed quia etiam genita est ab intellectu angeli est perfectio vitalis et quodammodo perfectior ipsa albedine; sed iste excessus perfectionis non est nisi secundum quid. »

Concludimus animadvertendo, quod si agatur de relatione reali causae ad effectum, simul ambo natura sunt: nam tum causa realis dicitur quando realiter est effectus; et viceversa; ante vero solum habetur relatio rationis, cum desit saltem alter terminus realis ad relationem realem quoque requisitus (Vide ix. *Metaph.* q. v. n. 5. De causis in genere vide et Halensem ii. p. q. ii.).

CAPUT VII.

De causis in particulari.

Post doctrinam genericam de causis habitam, restat ut plura de singulis specifice peragamus.

ARTICULUS I.

De notione et divisione causae efficientis.

Etsi omnes causae sint activae, cum in activitate ratio earum formalis constituatur atque ideo quodammodo efficientes, tamen nomine causae efficientis specialiter designatur ea causa quae extrinsecus, per se et vero influxu in effectum potest; quae CAUSA EFFICIENS sic definitur: *illud principium extrinsecum quod per se alteri dat esse.* Dicitur *principium* quod est loco generis. Additur *extrinsecum* ut efficiens distinguatur a causa formali et materiali. Caetera adduntur ut etiam a fine haec distinguatur; finis enim non praebet per se esse rei, sed per efficientem, eam alliciens ut in effectum prosiliat.

Quomodo autem efficiens abstrahat a motu, videas IX. *Metaph.* q. IV. n. 2. Recte autem sic concipi hanc causam, videtur ex eo, quia etsi causae primae efficientis ratio conveniat, non tamen convenit motus, qui est solum ex parte effectus; nam transitus a *non esse ad esse* quaedam mutatio est.

Juvat afferre divisionem causae efficientis, remittentes pro divisarum declaratione ad art. III. praecedentis Capitis.

Primo ex Doctore (I. D. II. q. II. n. 12) causa efficiens DIVIDITUR in causam *per se* et *per accidens*. Secundo, in *principalem* et *instrumentalem* (ex IV. D. I. q. I. n. 6.). Tertio, in *physicam* et *moralem* (ibidem q. V. passim). Quarto in *univocam* et *aequivocam* (ex *Prol.* q. IV. n. 45.). Quinto, in *universalem* et *particularem* (IV. ibi). Sexto, in *primam* et *secundam* (ex I. D. XII. q. II. n. 4.). Septimo, in *mediatam* et *immediatam*. Octavo, in *necessariam* et *liberam*. Nono, in *naturalem* et *artificialem*. Decimo, in *totalem* et *partialem*. Undecimo, in *subordinatam* et *non-subordinatam*. Omnes igitur divisiones alibi expositae et causae in genere convenientes, efficienti conveniunt: quod de aliis non accidit.

ARTICULUS II.

De activitate causarum secundarum.

Agimus de hac materia hoc loco, quia activitas praecipue refulget in causa efficiente. De activitate inquiritur, an revera causis secundis insit. Non enim et antiquitus et recenter defuerunt qui denegaverint creaturis quibuslibet, vel pluribus saltem, omnem activitatem, Deo tribuentes quidquid actionis videtur esse ab illis. Inter recentes renovator pristini huius erroris est Malebranchius, cujus opinio sic exponitur breviter: omne *agere* esse a Deo et creaturas non esse nisi occasionem Deum impellentem ad sic et sic agendum in res creatas: ex quo ejus systema occasionalismi nomen obtinuit (*De Inquisit. verit.*, t. VI.). Contra, unanimi consensu sunt omnes scholastici et, si perpaucos excipias, tuto asseri potest esse omnes philosophos: qui quemadmodum verum

esse non repugnare censebant rebus creatis participatum, finitum et absolute a potentia Dei dependens, ita neque repugnare tuentur eisdem *agere* similibus cônditionibus: quare tamquam axioma illud usurparunt philosophi: operari seu *agere sequitur esse.*

Prop. Agere non repugnat causis secundis, sed iis competit. Est Doctoris *Quodl.* vii. n. 24. et alibi.

Prob. « Secundum Augustinum 7. *De Civit.* c. 30. sic Deus res quas condidit administrat, ut eas agere proprios motus sinat. Licet enim possit agere omnia et sic agendo entitatem quidem non destrueret, sed eas quasi otiosas et vanas relinqueret, maluit tamen eis sicut entitatem sic et virtutem activam et propriam tribuere: non enim universaliter perfectionem subtraxit, cujus sunt capaces » (ibi). Ex his sic licet arguere. Id solum repugnat quod est rei contrarium; et e contra inest quod conveniens est rei. Sed *agere* causis secundis non repugnat, imo convenit. Ergo eis inest. Minor patet ex allatis.

Item, a facto ad posse valet illatio et asseritur absolute realitas rei. Atqui cuilibet manifestum est causas secundas revera agere. Ergo, etc. Minor probatur tum quia in se res varias habet dispositiones pro varietate operationum et varias exigunt conditiones ut in actum prorumpere possint: dum Deus nullius eget ad agendum: tum quia dum effectum producunt in nos, non experimur solum effectum in genere, sed ut est talis causae, v. g. verberationem ex baculo, dulcedinem ex melle, combustionem ex igne, etc., etc. Neque asseri potest in his nos decipi; quia sic ipse Auctor naturae deceptionis incusaretur, cum nullius sint roboris ratiun-

culae adversariorum in tantam conscientiae et rationis evidentiam.

Tandem probatur propositio ex absurdis aliter procedentibus; quia eadem ratione, qua denegatur *agere* rebus creatis inferioribus, potest denegari et superioribus, scilicet animae humanae et puris spiritibus; nam si rebus inferioribus *agere* inferius repugnat, similiter repugnabit superioribus *agere* superius: neque ulla ratio in oppositum suffragari rationabiliter potest, si lubitum adversariorum excipias. Ex eo errore facile patet auferri libertatem, moralitatem et Deum fieri auctorem peccati, etc.etc. Confer et S. Thom. *Contr. Gent.* l. 3. c. 69 et 70.

Objectio. Non sunt ponenda inutilia. Sed Deus per se omnia potest facere. Ergo non facit per creaturas: quibus ideo neganda est quaelibet activitas.

Resp. Dist. min. Deus absolute potest, conc.; Deus vult facere, neg. et neg. cons. Ratio, quare Deus diversimode res disposuit, est ipsa sua sapientia: sapientius enim fecit res condendo cum *esse* et *activitate*, quam eas hac privare. Sic enim res commendant Deum non solum in *esse* accepto, sed etiam in accepto *agere*. Caeterum *esse* et *agere* inferuntur: disponere autem ista, sapientis est.

ARTICULUS III.

An duae causae possint producere eumdem numero effectum?

Pro quaestionis solutione quaedam PRAENOTARE oportet.

Imprimis revocamus divisionem causae in adaequatam et inadaequatam, quae in totalem et partialem incidit. *Secundo*, revocamus etiam non omnes causas esse

ejusdem ordinis, sed saepius ad ordinem diversum pertinere. Sunt autem ejusdem ordinis quae sunt ejusdem rationis in causando; v. g. duo ignes, duo viri, etc.: diversi vero ordinis sunt quae sunt rationis diversae in causatione; v..g. vir et foemina in generando, creatura et Deus concurrentes ad actiones rerum, etc. *Tertio* plures causae considerari possunt vel divisim, vel simultanee et conjunctim operantes ad idem. V. g. habeatur *A* et *B*: quaelibet potest considerari vel in se independenter ab alia, vel in reciproca relatione. *Tandem* revocamus causarum quasdam esse principaliores, quasdam autem secundarias.

Quaestio praeposita non inquirit de pluribus causis diversi ordinis et inadaequatis, deque una principali et altera accidentali; quia quoad hoc nulla invenitur difficultas, cum constans experientia ultro demonstret eumdem numero effectum posse procedere a pluribus causis talibus. *Agitur ergo quaestio:* an plures causae ejusdem ordinis, adaequatae, principales, sive conjunctim, sive divisim, sive simul tempore, sive successive, possint, etc.? Thomistae affirmant: scotistae cum suo Doctore negant: quorum sententia defenditur sequenti propositione.

Prop. Duae causae totales, ejusdem ordinis et principales nequeunt producere eumdem numero effectum. Est Doctoris iii. D. i. q. ii. n. 5. et alibi.

Prob. Effectus essentialiter dependet a causa sua, cum ab ea suum esse habeat. Nequit ergo existere sine existentia illius. Atqui haec necessitas dependentiae frustranea foret in sententia opposita; quia effectus posset esse, etiam non existente sua causa totali etc. Si enim effectus habeat v. g. *A* pro totali causa efficiente et etiam

B similiter, *A* sufficienter efficeret ipsum, circumscripto quolibet alio; secus non esset causa totalis: *B* igitur deficiet a ratione causae hujusmodi. Similiter arguatur pro *B* contra *A*; et sic utraque erit causa totalis et non erit. *Declaratur adhuc:* causa adaequata et totalis dicitur ea quae absque consortio alterius per se totum effectum producit. Si igitur *A* est totalis causa, *B* repugnat esse; nam quandoquumque aliqua causa totalis totaliter prudicit effectum, ipsa nihil relinquit alteri causae, quod ipsa possit producere in casu. Ideo contradictio manifesta est esse causam totalem et producere idem numero, quod altera similiter producit. Procederet *item* ex sententia opposita idem bis produci; cum enim duae sint causae realiter distinctae et distincte singulae producentes, duplex etiam distinctus sit oportet effectus, seu productum, quia causa non dicitur sine suo effectu. Atqui repugnat idem bis produci, quia suscepto jam esse in prima sui productione, non potest secundum idem *esse* iterum reproduci sine manifesta contradictione. Ergo duae causae totales ejusdem ordinis nequeunt producere eumdem numero effectum.

Objectio I. Duo ignes conjunctim possunt eamdem numero producere combustionem; duo homines trahere idem pondus, licet divisim quilibet eumdem effectum producere valeat. Ergo falsa est propositio superius defensa.

Resp. Dist. antec. Duo ignes etc. et duo homines in casu producunt effectum eumdem numero *de facto* tamquam causae *partiales*, conc.; tamquam causae totales etc. neg. et neg. cons. Declaratur distinctio sic: Sit *A* ignis comburens et *B* comburens similiter stupam *C;* ignes *A* et *B* vel ex diversa directione agunt in stupam et

tunc est manifesta sententia nostra; vel ex eadem directione, sive quia ignes componuntur, sive quia radii calorifici converguntur puta ope speculi concavi reflectorii: et tunc in effectu combustio est ab utroque et producitur *fortiori vi et breviori tempore* non tamquam a duabus causis totalibus, sed partialibus. Idem est dicendum de duobus hominibus idem pondus trahentibus; quorum quilibet propriam vim immittit divisibilem a vi alterius: et patet, nam si unus desinit trahere, pondus trahitur minori velocitate quia a sola vi alterius perseverantis in trahendo. Similiter distingue in aliis casibus.

Objectio II. Duo corpora sese compenetrantia per miraculum, constituunt idem *ubi.* In casu ergo eumdem effectum producerent.

Resp. Dist. antec. Constituunt improprie, conc.; proprie neg. et negatur cons. Sciendum *ubi* considerari posse vel prout actu est continens corpus, vel prout est continens in potentia. In primo casu, *ubi* includit relationem realem ad duo; quod non est repugnans; nam idem color potest referri ad alterum et ad alterum sine sui reproductione. In altero casu, *ubi* est relatio non mutua et extrinsecus adveniens: concipitur ergo *ubi* antequam sit terminus alter complens relationem: quo adveniente, non laeditur ipsum, sed manet, ut prius, sola facta mutatione in altero extremo. Et quoniam idem potest fundare plures relationes, *ubi* duo corpora sese penetrantia recipiens, non multiplicatur, nec producitur, multo minus reproducitur. Improprie igitur *ubi* produci a corporibus dicitur.

ARTICULUS IV.

An accidens agens possit producere substantiam?

Ut complete materia expleatur circa propositum quaesitum, tria sunt inquirenda: *Primum,* an accidens possit producere aliquid in genere? *Secundum,* an substantia possit producere accidens? *Tertium,* an accidens possit producere substantiam? Pro quorum solutione sequentes statuuntur propositiones.

Prop. I. Accidentia possunt aliquid in genere producere. Est Doctoris passim, sed praecipue iv. D. xii. q. iii. n. 10. et ix. *Metaph.* q. vii.

Prob. Productio passiva sita est in recipiendo esse antea non habito et activa in dando idem esse alteri. Atqui multa recipiunt esse actu antea non habitum ab activa virtute accidentis. Ergo accidens potest aliquid producere. Minor patet; v. g. calor et frigus mutationem in manu, vel corpore producunt; color afficit oculos, in hisque imaginem sui imprimit etc.

Prop. II. Substantia potest producere tum aliam substantiam, tum accidens. Est Doctoris ibidem n. 10. 11. et ii. D. xvi. q. i. n. 16.

Prob. I. pars, ex eo quia in ea productione adest debita proportio inter producens et productum: secundo, ex facto, quia continua experientia docemur substantias produci et non ab accidente, ut videbimus in sequenti propositione.

Prob. II. pars. Non semper agens agit quod absolute agere potest; seu prout est substantia: imo multoties e contra operatur. Atqui accidens est inferius substantia.

Ergo quotiesquumque haec non agit quod agere potest, valebit producere accidens. Quod item factis constat; quia lignum producit ignem, a quo est calor, vis est a forma, operationes a facultatibus animae consubstantialibus etc.

Prop. III. NULLUM ACCIDENS POTEST PRODUCERE SUBSTANTIAM, SIVE IMMEDIATE, SICUT QUIBUSDAM PLACUIT, SIVE MEDIANTE SUBSTANTIA, QUEMADMODUM PLACET THOMISTIS; SED SOLA SUBSTANTIA VALET PRODUCERE SUBSTANTIAM. Est Doctoris ibidem ut in prima prop.

Verum *nota* a nobis non demonstrari nisi secundam partem propositionis, quia tertia profluit naturaliter ex praepositis et primae falsitas ex secunda patebit: nam si accidens non valet producere substantiam mediante substantia, multo minus poterit per se immediate.

Prob. Nullus effectus perfectior sua causa esse potest, sive haec sit univoca, sive aequivoca; cum repugnet aliquid dare id quo prorsus caret, quodque perfectius se est: ex quo in Cap. praeced. art. v. diximus quod si effectus inveniatur sua causa perfectior, id tribuendum non ei causae quae apparet, sed alteri superiori et nobiliori. Atqui substantia longe perfectior accidente est et continet id quo prorsus accidens caret, scilicet esse in se et per se. Ergo illa ab hoc produci nullimode potest. Neque valet responsio thomistarum de productione mediante substantia: nam inquiri potest ab eis, an vis adaucta sit quae producit, vel non. Si primum, habetur propositum; quia sic accidens solum apparenter producit, realiter autem substantia. Si secundum, non potest intelligi, nisi adaugeatur vis accidentis substantialiter, vel accidentaliter. Atqui in secunda hypothesi accidens ut accidens producit et deest proportio ad producendam substantiam;

in prima duo sunt inexplicabilia, idest, primum, quomodo dici possit accidens producere vere et proprie; secundo, quomodo accidens recipere possit vim substantiae, prout substantia est.

Probatur ulterius propositio: agens quo magis est in actu, eo magis agere potest et perfectius producere: et ratione contrariorum, agens quo minus est in actu, eo minus valet agere. Atqui accidens est minus in actu quam substantia; ergo minus ea producere valet. Sed hoc evaderet falsum in opposita sententia, cum productio illius extenderetur perinde ac productio substantiae. Ergo etc.

Item si accidens substantiam producere valeret, nulla evaderet conclusio quae ab existentia imperfecti arguit perfectum; cum enim hoc posset esse ab illo, praecluderetur via ad nobilius arguendi. Imo, ut Doctor ibi observat, « posset proterviendo dici quod totum universum et quodlibet in eo factum, est a musca; si enim arguas quod musca est ita imperfecta et tu idem dicis, quod imperfectius potest producere perfectius. »

Tandem sic argue: in opinione asserente accidens cum substantia producere substantiam, duae ponuntur causae, quarum una est univoca, altera aequivoca. Sed univoca sibi similem producit. Ergo accidens non producit; et si producit, tunc vel duae causae producerent eumdem numero effectum, quod repugnare visum est superius ; vel substantia nihil agit; et redit primum absurdum. Potiusquam substantiam medium ponere relate ad accidens in effectus productione, magis rectae rationi congruum est causationem tribuere substantiae per se et accidenti tamquam dispositivo (ibidem).

Objectiones.

Object. contra I. prop. Accidentia habent esse a substantia; ergo et agere et producere: nihil ideo attingere possunt.

Resp. Dist. antec. Aliquando, vel etiam saepius, conc.: semper, neg. Negatur consequentia et consequens. Ratio distinctionis est, quia aliquando accidens est ab accidente; v. g. alteratio sanguinis a calore, pulchritudo a lineamentis quantitatis etc. Ratio negationis consequentiae est, quia falso supponitur quod omne originem ducens ab altero cum *esse* non recipiat etiam proprium *agere:* si ita foret, actum esset de activitate causarum secundarum.

Object. contra prop. II. Causa naturalis causat semper nobiliorem effectum quem potest. Sed substantia in producendo est causa naturalis. Ergo causat nobiliorem effectum; ideoque substantiam.

Resp. Dist. major. Nisi sit impedita et in eo ambitu in quo agere valet, conc.; secus, negatur. Idest, effatum Scholae est intelligendum de vi propria cuilibet causae cum remotione omnium impedimentorum, quae frequentius interponuntur ad prohibendum effectum. Nunc autem non omnis vis substantiae est substantia, vel saltem ordinata ad substantiam producendam. Et haec est ratio quare non semper a substantia substantialis producitur effectus. In casu vero quod adsit impedimentum et substantia producenda foret, aliquid certe producitur; et cum hoc inferius necessario sit, vel inferior substantia vel accidens erit.

Object. contra prop. III. Vis est accidens et nobilior

substantia, cui *agere* tribuit. Ergo etsi accidens entitative sit inferius substantia, est tamen nobilius active; et ita valet producere illam.

Resp. Dist. antec. Vis est accidens, aliquando, conc.; semper, nego, quia multoties vis est consubstantialis substantiae. Ratio distinctionis patet; adesse enim vires substantiae proprias, ut substantia est, manifestum est; quia quotiesquumque substantia agit, mediante vi sibi proportionata agit. In hoc vero casu non est accidens producens, sed substantia mediante sua vi sibi consubstantiali; v. g. ignis mediante sua vi combustiva, ignem producit; animal mediante sua virtute generativa sibi consubstantiali, generat animal; et sic de sexcentis aliis. Quotiesquumque igitur effectus productus apparet a vi quadam, consulatur in intrinsecam hujus naturam, ut sciatur hujus producentis ratio formalis.

Instant. Vis activa est aliud a potentia: licet ergo potentia sit substantialis, non tamen vis producens.

Resp. Dist. antec. Exercitium est aliud, conc.; vis in se, neg. Vis enim illa prout profluens quid a potentia est ipsa potentia in actu operans ea virtute, qua in talis potentiae natura constituitur: si igitur constituitur in potentiae consubstantialis natura, vis ejusdem sit oportet naturae; si e contra, accidens erit.

Instant adhuc. Confricatio inter duos lapides est causa producens ignem. Sed confricatio est accidens et ignis substantia. Ergo etc.

Resp. Dist. major. Est dispositio ad producendum ignem contentum potentialiter in lapide, vel in aere, conc.; est vera causa producens, neg. Vide *Paris.* IV. D. XII. q. III. n. 15.

ARTICULUS V.

De actione in distanti.

Efficiens saepe producit effectum in distanti, sicut patet in sole multa producente in terra. Recte ergo efficiens eo sub respectu hic consideratur. Breviter prius certa, dein controversa ponemus.

Praenota vero *primo* duplicem distinguendam esse agentis praesentiam, *virtutis* idest et *suppositi*. Prima est, quando res est praesens solum in virtute a se immissa; ut patuit in exemplo praeallato solis. Altera, quando est realiter rei ad rem; v. g. praesentia Petri ad *ubi* in quo actu est.

Nota *secundo* actionem, quando est in distanti, concipi posse vel *sine medio*, vel *cum medio*. Primo modo habetur quando virtus egressa ab agente transfertur in passum, absque eo quod recipiatur in spatio, vel in alio quolibet medio translationi apto; cujus exemplum videtur afferri posse de loquutione angelorum, quae devenire potest de uno angelo ad alterum in distanti, quin recipiatur in spatio physico inhabili ad entitatis illius receptionem. Secundo modo habetur quando medium transferendi actionem adest; ita ut causa immediate agat in proximius sibi, ex quo actio transeat in remotum, donec ad passum perveniat; quo modo transfertur sonus vocis ad aures audientis per commotionem aeris, prius spatium proximum ori afficientem et inde remotius etc.

Doctor II. D. IX. q. II. n. 16. TRIPLICITER dividit ACTIONEM IN DISTANTI operantem: quaedam enim est *ejusdem rationis cum medio*; et haec vere in medio recipitur: ut

patet in exemplo sonus: quaedam est *alterius rationis:* quae dupliciter distinguitur; quia aliquando agens habet *duas formas activas,* « quarum una est prior naturaliter reliqua et secundum illam formam quae est prior activa, natum est agere in medium et secundum aliam in terminum; » exemplum videtur inveniri in specie intelligibili, quae recipitur in aere non per se, sed mediante specie sensili, sub qua ipsa contegitur. Neque enim potest recipi per se in spatio materiali, cum sit spiritualis: neque divisa est a specie sensili: ergo ea mediante transferri videtur. Aliquando autem actio diversae rationis cum medio, talis est naturae ut *unicam formam* habeat; et tunc transfertur sine medio; ut in loquutione angelorum asserit Doctor accidere.

De existentia et realitate actionis in distanti, conveniunt Doctores; cum experientia, cui contrairi nequit, innumeris continuo id nobis ostendat factis: videmus enim solem illuminare terrestria; item res agere sentimus in sensus nostros, licet saepius in magna sint distantia positae, etc. Videas ibidem et I. D. XXXVII. n. 2.

An autem actio in distans sine medio detur, non conveniunt Doctores: S. Thomas (*Sum.* I. p. q. VIII.) cum suis negat. Scotus autem asserit cum suis discipulis. Dicendum putamus: distinguendus est ordo supernaturalis et naturalis. Si de primo sit sermo, videtur nobis tuto asseri posse actionem in distanti revera non repugnare supernaturaliter, seu ex virtute divina. Ratio, quia infinitum per se potest supplere defectui conditionum materialium; aliter magis potens institueretur medium creatum, quam virtus Dei infinita et increata. Si de secundo sit sermo, videtur adhuc asseri posse; idest, dari naturaliter actio

in distans. Concedimus tamen rationes allatas a Doctore in generali non valere, quia fundatas in physica antiquorum valde deficiente: valere videtur solum ratio de specie intelligibili quoad actiones diversae rationis a medio duplicem formam habentes et ratio a loquutione angelorum desumpta, quoad actiones diversae rationis unicam formam habentes. Vide ibidem II. totam quaestionem.

Objectiones quae fieri solent contra sententiam Doctoris, possunt solvi per eam medii distinctionem, quae allata est in secundo praenotando; idest, aliquando adest medium immediatum; aliquando medium mediatum est; seu actio transfertur per illud quod per se recipitur in medio: quod certe nihil repugnantis praesefert.

ARTICULUS VI.

De vi objectiva causae efficientis.

Vis objectiva causae efficientis, quam nunc examinandam aggredimur, sita est in veritate et evidentia PRINCIPII CAUSALITATIS, quod scholastici sic exprimunt: *omnis effectus necessario subaudit causam;* vel, *non datur effectus sine causa.* Cujus veritas et evidentia tanta fulget claritate, ut nullus sit philosophus, si scepticos vel scepticae doctrinae plus minusve addictos excipias, qui ipsum sit inficiatus. Tamen Hume hujus principii certitudinem nisus est laedere per illud invectum, nos solum in causationibus successionem factorum intueri, non tamen nexum intrinsecum inter causam et effectum. Cum autem intellectus nihil certi ponat in naturalibus, si ratio rei eum lateat, facile ex Humii doctrina mens fertur ad dubium,

vel ad neglectum illius principii, quod tanti fit a philosophis praesertim christianis. Nos igitur vindicabimus hujus vim objectivam, sequentem ponendo propositionem.

Prop. A NOBIS NON SOLA SUCCESSIO FACTORUM IN CAUSATIONIBUS INSPICITUR, VERUM ETIAM NEXUS INTRINSECUS CAUSAE ET EFFECTUS.

Prob. Experientiae credendum est. Atqui per experientiam edocemur non solam causae et effectus successionem, sed etiam illius in hunc influxum; v. g. non solum cognoscimus ignem urere et dein calorem et combustionem esse, sed etiam ab igne effectum procedere, quia a virtute intrinseca illius; non solum cognoscimus baculum, illiusque motum in humeros et passionem subsequentem, sed revera hanc esse ex influxu baculi in humeros ab alio inflicti et sic de aliis sexcentis.

Imo tanta est evidentia rationis quoad hoc principium, ut in dubium revocaretur vel ipsum principium contradictionis, si dubitaretur de vi objectiva causalitatis. Atqui principii contradictionis a nobis cognoscitur ratio intrinseca. Ergo et principii causalitatis; cujus terminorum ideo non sola successio, sed etiam nexus inspicitur. Major patet; quia effectus dicitur qui est ab alio: non concipitur ergo, si hoc aliud etiam non concipitur praeexistere et influere; aliter simul foret et non foret.

Hujus autem evidentiae si origo consideretur, dicimus notionem causae et effectus desumi a factorum consideratione et a posteriori; verum principii rationem esse a priori, cum ex comparatione horum terminorum immediate et per se menti ipsa appareat, independenter ab experientia: ab hac igitur est sola materia circa quam versatur effatum; forma est a rationis vi intuitiva.

Articulo terminum imponimus quaedam EFFATA Scholae afferendo causam efficientem respicientia.

I. Non datur effectus sine causa, de quo supra.

II. Causa continet quidquid perfectionis reperitur in effectu; de quo pariter aliquid innuimus art. v. praecedentis Capitis. Ratio autem patet; quia *esse* effectus est a causa; nihil autem dat quod non habet.

III. Quod est causa causae, est etiam causa causati.

Hoc autem est intelligendum de causis quae sunt in eodem genere agentis; v. g. si quis impellat hominem contra aliquod fragile, quod inde frangitur, confractio hujus primo agenti tribuitur, ut patet. Si vero sunt duae causae diversi generis, i. e. quae actum et effectum nullimode tangunt sub eadem ratione, tunc non obtinet effatum « qui est causa causae, est etiam causa causati. » Sic v. g. in peccato distingui debet ipsa physica, seu realis actio, hujusque moralis defectuositas, seu peccaminositas. Deus ut causa prima tangit totam entitatem et bonitatem illius; moralis vero malitia illius actionis est a sola causa secunda deficiente libere, i. e. ab homine peccante. Hinc nullatenus peccaminositas Deo, sed omnino homini adscribenda est. Confer v. *Metaph.* q. I. n. 5. et *Theorema* XIX. n. 8.

IV. Modus causandi sequitur modum essendi: scilicet, nihil potest operari supra id ad quod virtus sua sese porrigit; virtus autem sequitur *esse* et secundum majorem, vel minorem perfectionem hujus, crescit vel minuitur perfectio illius: patet considerando scalam creationis.

ARTICULUS VII.

De potentia obedientiali.

Usque adhuc loquuti sumus de causa vere efficienti; nunc agendum est de his quibus vel improprie, vel minori gradu ratio efficientiae convenit. Primi generis efficiens est potentia obedientialis, alterius autem est causa instrumentalis et exemplaris. De prima in praesenti articulo.

Potentia obedientialis definiri potest: capacitas creaturae, quae cum extraordinario Dei concursu aliquem effectum producere, aut formam aliquam accipere potest ultra vires suas naturales; v. g. ex potentia obedientiali asina Balaam potuit recipere virtutem loquendi, ad quam non habebat naturalem dispositionem.

Dupliciter obedientialis potentia considerari potest: vel prout significat adjutorium et formam superadditam, vel prout significat capacitatem recipiendi praefatam formam. Primo modo dicitur *activa;* altero modo *passiva.* In allato exemplo virtus loquutiva dicitur potentia obedientialis activa; receptio vel melius capacitas recipiendi illam, dicitur passiva.

De natura hujus passivae potentiae disputatur inter Doctores: quidam enim eam reponunt in aliquo *positivo:* quidam vero in aliquo *negativo,* ei nonnisi realitatem existêntiae tribuentes sine ulla positiva entitate illius constitutiva. Doctrina de hac materia expendetur sequentibus propositionibus.

Prop. I. In creaturis admittenda est potentia obedientialis ad actus eliciendos et recipiendas formas

NATURALEM EARUM FACULTATEM EXCEDENTES. Est Doctoris passim, sed praecipue in III. D. XII. q. II.

Prob. Id est rebus attribuendum, quod tum rebus, tum Deo maximi est decoris et convenientiae. Atqui talis est potentia obedientialis. Ergo in creaturis est admittenda. Minor probatur per partes: et imprimis *ex parte rerum*. Est maximi decoris et convenientiae, quia virtus supernaturalis potiusquam laedat, elevat naturam; cui non repugnat quidquid ad sui perfectionem confert: item est conveniens ut creatura sit sub omnimoda obedientia Creatoris, sicut constituitur per potentiam obedientialem. Probatur *ex parte Dei;* quia prorsus convenit ut supremus Creator et Rector et Gubernator ita sub imperio suo teneat quae condidit, ut ea moderari possit, sicut sibi libuerit: eo vel magis quod ad suam laudem elevantur homines, dum Dei mirabilia contemplantur in patratione miraculorum; de quibus specialius in Cosmologia.

Prop. II. IN REBUS CREATIS NON DATUR POTENTIA OBEDIENTIALIS AD OMNEM FORMAM ET AD OMNEM EFFECTUM. Est Doctoris ibidem n. 8.

Prob. Quae ita opponuntur ut ad invicem componi nequeant, non possunt ulli subjecto tribui. Atqui esse determinatas et limitibus admodum circumscriptas et simul habere potentiam etc. ad omnia, sibi invicem opponuntur. Ergo nulla res creata potest esse in potentia obedientiali ad omnes formas etc.

Idem constat considerando etiam superficialiter unam vel alteram naturam: nam « sicut lapis non potest esse sapiens, quia nullo modo habet rationem receptivi respectu sapientiae, sic angelus non potest esse albus, quia nullo modo susceptivus est formae hujus, sive ista forma

poneretur divisibilis, sive non » (ibi). *Confirmatur* etiam ratio, quia potentia obedientialis est supra naturam, non vero contra; neque est ad contradictoria, sed ad superiora. Multa autem inveniuntur quae relate ad determinatum ens sunt contra naturam et contradictoria, ut patet in materia ad ratiocinationem et in corporalibus ad spiritum.

Prop. III. ETSI POTENTIA OBEDIENTIALIS ACTIVA SIT ALIQUOD POSITIVUM, TAMEN POTENTIA PASSIVA NON SIC, SED EST IPSA ENTITAS NATURALIS POTENS RECIPERE FORMAM SUPERIOREM. Videtur haec magis consona doctrinae Doctoris ibi et alibi.

Prob. I. pars. Omne positive agens est ens, quia nihilum non agit. Sed potentia obedientialis activa positive est producens et agens. Ergo est aliquod positivum: non quidem naturale, ut constat; ergo supernaturale i. e. superadditum naturae, eique indebitum.

Prob. II. pars. Inutilia abhorrentur a natura. Atqui positivum in constitutione potentiae obedientialis est inutile. Ergo rejicitur a natura. Ratio minoris patet: quia per rei entitatem et passivitatem naturalem, seu non repugnantiam ad opus et ad formam novam suscipiendam, optime ea potentia explicatur.

Diximus propositionem esse magis consonam Doctori et non absolute asserta est; quia non desunt scotistae trahentes Scotum ad oppositam sententiam, eo quod ejus verba videntur id sonare: verum bene verba explicari possunt sic, quod Doctor pro positivo intelligat subjectum ipsum capax recipiendi etc., non vero ipsam potentiam in se.

ARTICULUS VIII.

De causa exemplari et instrumentali.

Causa exemplaris est *ratio in mente existens, secundum quam aliquid est formabile ad extra.* Dividitur in *divinam* et *humanam.* Divina « est ratio aeterna in mente divina, secundum quam aliquid est formabile ad extra, ut secundum propriam rationem ejus » (1. D. xxxv. n. 12.): si his verbis *aeterna* et *divina* substituatur vox *humana*, definitio humanae exemplaris obtinetur.

De *existentia* hujus causae non est dubium. Et imprimis existit in Deo; quia « Deus omnia causat vel causare potest non irrationabiliter: ergo rationabiliter: igitur habet rationem secundum quam format. Non autem eamdem omnium: ergo singula propriis rationibus format: non autem rationibus extra se, quia non eget in efficiendo aliquo alio a se: igitur rationibus in mente sua » (ibi).

Existit item causa exemplaris in homine: quod experientia constat: quiquumque enim vult aliquid extra se opus peragere, prius exemplare format, secundum quod opus disponit; sine quo nullimode datur effectio, vel nonnisi imperfectissima, si imperfectissima sit idea repraesentativa illius.

Si inquiratur, in quo sita sit *ratio formalis causae exemplaris,* facile respondetur eam constitui a *directione.* Re sane vera, finis praecipuus exemplaris est, ut efficiens in agendo recte dirigatur, ne opus turpe et informe prosiliat. Sed id includit directionem. Ergo ratio formalis causalitatis in exemplari reposita est in directione.

Causa instrumentalis identificatur cum instrumento,

quod ex Doctore IV. D. I. q. V. n. 14. diversimode sumi potest. Et imprimis *communissime* pro quolibet medio agente in relatione ad aliud superius; quo sensu cunctae causae secundae instrumentum dici possunt, quatenus divino concursu eas movente diriguntur in suis actionibus. Secundo *communiter* « pro eo quod est pars per quam totum agit; et sic loquitur Philosophus vocans 2. *de Anima,* organa sensuum et aliarum potentiarum instrumenta, sive partes per quas totum operatur tales operationes. » Tertio modo *minus communiter* « instrumentum dicitur causa activa ad dispositionem praeviam. » Tandem *proprie* « dicitur instrumentum, sicut instrumentum in arte: » quo sensu hic (ibi): sub quo respectu ad mentem Doctoris ibi q. I. n. 26. definiri potest: *Causa quae dat esse alteri per virtutem alterius illam moventis:* patet in securi, quae ad effectum incisionis concurrit; non tamen per se, sed virtute et activitate ea utentis.

Disputatur inter Doctores, an vera activitas, quae propria est cujuslibet verae causae, instrumento quoque conveniat. Quidam affirmant, quidam vero cum Doctore negant, reponentes ea quae actus naturam praeseferunt, inter dispositiones praerequisitas ad actionem principalis agentis.

Prop. PROBABILIUS INSTRUMENTUM NON EST EX SE PROPRIE ACTIVUM. Est Doctoris ibidem q. V. n. 14.

Prob. Instrumentum ex se non habet nisi quantitatem, figuram et motum localem; qui insuper est ab alio imprimente. Atqui haec non includunt de se activitatem. Ergo instrumentum de se vere et proprie non est activum. Probatur minor per partes. Non est activa *quantitas:* secus quaelibet hujusmodi posset producere

effectum. Neque activa est *figura* sive sola, sive cum quantitate; quia si sic, dummodo poneretur illa figura cum quantitate super materiam tractabilem, daretur effectus: quod est falsum; nam si fieret, v. g. malleus de ligno levissimo, eadem figura et quantitate praeditus non tamen effectum produceret, sicut si ferreus esset. Neque activa est *durities;* quia haec facit solum ut instrumentum impassibiliter se habeat corrumpenti, resistendo virtuti oppositae; nil autem positive de se in effectum influit: sicut patet, si non adhibeatur, vel si ponatur super materiam quin impellatur. Tandem non est activum instrumentum *ob motum localem,* quia hic non est ejus, sed principalis causantis. Concludendum ergo est « quod instrumenta artificialia non sunt formaliter activa, sed tantum sunt *receptiva cujusdam effectus prioris ordinati ad effectum ultimum* » (ibi): vel, ut ait *Paris.* ibidem q. I. n. 8., « non ergo serra vel securis agit effective, sed tantum passive, secundum quod ab agente movetur. »

Nihilominus pro certo habendum est, 1° instrumentum non posse principali agenti deservire, nisi quibusdam praeditum sit dispositionibus, quibus deficientibus, invanum speratur effectus; v. g. cultellus acutus sit oportet, etc.; 2° eadem de causa eidem activitatem latiori sensu acceptam posse tribui; quia saltem passive in effectum influit. Sic media progredimur via.

Object. Serra dum incidit lignum, revera agit, non autem manus moventis, quae longe est a ligno. Ergo etc.

Resp. Responsio patet ex dictis in fine argumenti.

ARTICULUS IX.

De causa finali.

Altera causa extrinseca est CAUSA FINALIS: cujus ideo tractatus recte ponitur post tractatum de efficiente contenta in eodem ordine.

Cartesius abjicit studium causarum finalium naturae hac ductus ratione, quia nos nequimus comprehendere opera mira Dei; ideoque temerarium esse determinare fines a Deo praehabitos. Ast falso: licet enim non comprehendantur opera Dei, videntur tamen in parte; et quod dicitur de natura, dicendum pariter est de eorum fine.

Finis non sumptus pro termino alicujus rei, sicut punctum in linea, sed pro eo in cujus gratiam aliquid fit, praebet notionem causae finalis, quae definiri potest: *principium extrinsecum secundum esse intentionale influens in effectum sui gratia ponendum. Extrinsecum* ponitur, quia agitur de causa extrinseca: *influens* additur, quia causae cujuslibet est influere in effectum. *Secundum esse intentionale* est differentia, quia non est ejus producere physico modo, sed solum motu metaphorico, quatenus allicit efficientem etc. Caetera patent ex definitione finis « cujus gratia caetera fiunt. » (IV. D. XLIX. q. X.).

Ut ea quae de causa finali acta sunt, clarius perspiciantur, est sciendum quod finis est *primus in intentione et ultimus in consequutione;* scilicet « est principium secundum esse in mente agentis et est ultimus secundum quod est in materia » (V. *Metaph.* q. I. n. 5.). Quod patet, quia antequam opus in executionem demandetur et sic effectus in re obtineatur, finis praemovet alliciendo ef-

ficientem: quae rursus materiam et formam in unionem reciprocam deducit, vel id quod est causa intrinseca effectus; qui ideo ultimo est. Hinc recte Doctor asserit finem et efficientem mutuo sese respicere (IV. D. I. q. I. n. 31.); idest finis non potest obtinere effectum intentum nisi mediante efficiente: et viceversa efficiens sese non movet nisi a fine praemoveatur. Vide *Metaph.* q. I. n. 8.

Finis distinguendus est a mediis, quibus finis attingitur; cujus distinctionis ratio manifesta est quia *finis propter se* eligitur, *media autem eliguntur propter finem:* v. g. felicitas est finis, cum eligatur propter se: divitiae, honores etc. sunt media, cum ad felicitatis consequutionem ordinentur: ast id quod appetitur propter se, optime distinguitur ab eo quod appetitur ob aliud.

Finis multipliciter distinguitur: *primo*, in *objectivum* et *formalem*. Dicitur objectivus ipsum objectum acquisibile per operationem: talis v. g. est Deus relate ad hominem: formalis non est nisi ipsa possessio objecti intenti: v. g. possessio Dei, quae est in Beatis.

Secundo, in finem *operis* et in finem *operantis*. Primus ille dicitur ad quem operatio ex sui natura dirigitur (qui dicitur etiam intrinsecus): v. g. finis eleemosynae ex se est sublevatio indigentis. Alter dicitur qui ab agente extrinsece apponitur, appellatus idcirco extrinsecus: v. g. dare eleemosynam puellae ad eam decipiendam.

Tertio, in finem *ultimum* et *non ultimum*. Ultimus est ille in cujus gratiam caeteri fines eliguntur, ipse vero non eligitur ob alium: si secus, non ultimus appellatur. Primi exemplum habetur in beatitudine, secundi in sanitate, quae appetitur ob beatitudinem.

Quarto, in *proximum* et *remotum*. Proximus, qui et

immediatus, dicitur qui non habet fines intermedios; v. g. finis proximus militis est bellum: dicitur remotus vel etiam mediatus, cum fines hujusmodi intermedii habentur; v. g. remotus finis exercitus est legitima defensio.

Quinto tandem, finis partitur in *principalem* et *accessorium*. Principalis est ille qui ita movet, ut quamvis caeteri fines desint, nihilominus ab agendo non arcet; qui principali accedit, accessorius evadit: exemplum primi habetur in elargiente eleemosynam tum ad sublevandum, tum ad honorem recipiendum: verum honore deficiente, non deseritur eleemosynae largitio.

ARTICULUS X.

De ratione formali causae finalis.

Duo de causa finali hic inquiruntur: primum, an revera fini ratio causalitatis conveniat; secundum in quo haec ratio sita sit?

Ad horum quaesitorum solutionem praescire fas est, quid sit causa *metaphorica;* scilicet, ea est quae non causat per motum physice acceptum, sed per eam mutationem, cui motus addicitur ratione cujusdam influxus in rem, vel in causam agentem, habentis quamdam similitudinem ad motum physicum.

Prop. I. Causa finalis revera est causa. Passim a Doctore supponitur, sed directe in II. *Physic.* q. IX. hac de re agit.

Prob. Causa dicitur ea propter quam obtinetur revera effectus; patuit in definitione: atqui effectus revera habetur ob finem: ergo hic revera est causa. Minor patet; quia, v. g. in consequutione felicitatis finis revera movet

voluntatem ad ea praestanda, vel omittenda quae ducunt vel removent a fine; et ita manifestus evadit influxus in mediis adhibendis. Neque hic tribui potest efficienti, quia hujus influxus subsequitur influxum finis. *Secundo* probatur sic. Illud est causa, per quod respondetur quaestioni *propter quid* aliquid est: atqui hoc praestatur a fine: ergo ipse revera est causa. Major constat; quia quaestio *propter quid* quaerit causam. Minor item patet: si enim quaeratur quopter quid, v. g. Socrates legem servat: responderi potest, quia ad felicitatem vult pervenire.

Imo Halensis vocat finem causam causarum, quia si deest ille, deest quaelibet causatio (I. P. q. XVII. m. IX.).

Prop. II. LICET FINIS REVERA SIT CAUSA, TAMEN EJUS INFLUXUS NON EST PER MOTUM PHYSICUM, SED PER MOTUM METAPHORICUM. Est Doctoris *Prol.* q. IV. n. 11. « Finis non est causa nisi inquantum *amatus* et *desideratus* movet efficiens ad efficiendum; » et II. D. XXV. n. 24. ubi scribit: « Causa efficiens ordinatur ad finalem, quae est causa alterius generis, quae movet *metaphorice.* »

Prob. ex definitione superius data motus metaphorici: hunc autem solum fini convenire patet; nam ipse solus movet ut amatus et desideratus, ejusque influxus nonnisi in amore et desiderio consistit. Vide et S. Thom. QQ. Disp. *De Verit.* q. XXII. art. II.

Inquiri hic solet a metaphysicis, quid sit id quo finis moveat efficientem? Respondent communius Doctores illud repositum esse in bonitate ipsius finis: nam *bonum* est quod agens omne appetit per amorem et desiderium vel gaudium: ergo bonum est ratio formalis finalitatis. Consule I. *Metaph.* q. II. n. 5.

Objicitur contra prop. I. Finis, dum agitur, non existit.

quia actio intenditur ad finem obtinendum. Atqui quod non est, nequit dici causa. Ergo finis a ratione formali causae removendus est.

Resp. Dist. major. Non est in consequutione, conc.; non est in intentione, neg. Optime de hac re Doctor in v. *Metaph.* q. 1. n. 8., ubi, postquam distinxit intentionem a consequutione, ita scribit: « Primo modo causa finalis in causalitate praecedit causas agentes recipientes: et hoc secundum suum esse in anima, quia anima adinvenit eam prius et postea imaginatur apud se actionem et inquisitionem recipientis et qualitatum formae. Respectu ergo causalitatis et respectu essendi in anima, non est aliqua causa prior finali; imo ipsa est causa essendi caeteris causis: esse vero aliarum causarum in effectu, est causa essendi illam in effectu: » seu, si agatur de motu, prior est motus finis: verum si agatur de effectus consequutione, obtentus finis est ultimus. Et inde pergit: « Si de unaquaque istarum esset scientia, inter eas notior esset scientia de finali et ipsa est sapientia et haec etiam est nobilior reliquis partibus hujus scientiae, quia est scientia considerans finales causas rerum. Et Commentator in fine capitis de principio, illud principium intenditur ad sciendum in hac scientia et illud est causa finalis: omnes enim causae non sunt principia nisi propter illud: et 2. *Physic.* d. *Text.* com. 89. sicut principium in speculabilibus, sic finis in agibilibus. Si ergo loquamur de prioritate in causando, dico quod extrinsecae (causae) prius causant; quia enim illae, ideo et intrinsecae causant, non e contra: extrinsecarum autem prius causat finis; ille enim quia movet efficientem in ratione amati, ideo agens agit, non e contrario. »

Nota. Non inferas tamen ex dictis scientiam veram rei haberi per finem; quia aliud est agere de causarum natura in se, aliud in ordine ad notitiam rei.

Apponimus pro conclusione articuli *effectus* causae finalis, qui sunt sequentes: *Primus* est desiderium efficax obtinendi intentum; ideoque non in uno sistit effectus finis sed in duobus, idest et in motu in intentum et in consequutione illius complente finem. *Secundus* est imperium de mediis inveniendis ad illum obtinendum, quando non immediate obtineri potest. *Tertius* est consultatio, quando plura media habentur, nec tamen apparet quodnam tutius in finem ducere valeat. *Quartus* tandem est voluptas in finis possessione; quia bonum finis obtentum menti delectationem infert.

ARTICULUS XI.

An omnia agunt propter finem?

Agere propter finem aliud est formale, aliud materiale. *Formale* habetur quando agens cognoscendo finem, in illum intendit: quo modo solum rationales naturae agere propter finem queunt. *Materiale* habetur ex opposito quando agens in finem inclinatur, quin finem et ejus rationem cognoscat: quo modo creaturae irrationales in finem trahuntur. Ad quod clarius perspiciendum, scire juvat agens in triplici differentia inveniri relate ad finem. Quoddam enim apprehendit formaliter finem, ut rationalia: quoddam apprehendit finem, non tamen sub ratione formali ejus, ut bruta; v. g. aves cum nidificant, cognoscunt utique quid faciant; id tamen est in confuso sine notitia formali finis: quoddam tandem nec appre-

hendit rationem formalem finis, nec finem ipsum in confuso, ut plantae et mineralia. De his variis agentium speciebus quaeritur an agant propter finem, modo tamen sibi proportionato? Affirmamus ponendo sequentem propositionem.

Prop. Omnia agunt propter finem; quaedam formaliter, quaedam vero solum materialiter. Est Doctoris passim, sed directe in II. *Physic.* q. IX. et I. *Metaph.* q. II. n. 5.

Prob. contra positivistas et materialistas: quia « aliter ibi (in natura) non accideret error, nec frustra: igitur (natura) intendit finem; igitur appetit et tamen (saepius) non cognoscit: igitur est aliquis appetitus sine cognitione: et cum perfectio sit aliquo modo finis perfectibilis... quia est finis motus; ideo ponitur desiderium naturale perfectibilis ad perfectionem: est igitur desiderium naturale in omnibus ordinatis ad finem alium a se et perfectibilibus perfectione differente a sua essentia » (*Metaph.*). Declaratur argumentum. Dicitur aliquid operari frustra et erronee, quando non agit secundum vim impellentem naturae sive physice, sive moraliter: atqui cessante hac vi, nullus finis extaret et sic nullum frustraneum et nullus error, cum res agendo sive hoc modo, sive alio modo, similiter suum intentum obtinerent. Cum ergo saepius res dicantur agere frustra (v. g. cum terra non producit germen suum), et errorem committere (v. g. cum voluntas in creatis finem suum constituit), concludendum est omnia ordinari ad finem et agere propter finem.

Item quaelibet res intendit perfici dum operatur: sed in eo finis continetur: ergo etc. *Item* vel agitur de agentibus rationalibus, vel non. Si primum, vel agens est Deus

et ipse uti sapientissimus et rectissimus non agit nisi altissima ratione, cum stulti sit agere inconsulto: vel agens est creatura: et haec quotiesquumque agit modo suo, sicut revera agere tenetur, nonnisi sibi finem praestituens agit: secus declinare dicitur a recto se dirigens more brutorum. Si secundum, irrationalia nequeunt divertere ab eo in quod natura impelluntur, quodque finis eorum dicitur. Omnia ergo agunt propter finem. Confer. Angel. *Cont. Gent.* l. 3. c. 2.

Propositio allata probat tantum de fine in genere: scilicet omnia ordinata esse ad agendum propter finem a Deo praestitutum. Verum daturne actio aliqua quae sine fine emittatur? Videretur quod sic et tunc accidere quando res dicuntur agere frustra et erronee. Ast falso; quia etiam falsitate deceptae res sibi finem praestituunt: etiam dum agunt non cognoscentes, finis saltem actionis adest: et errare et frustra agere dicuntur solum relate ad finem praestitutum ab auctore naturae. Sit unum et alterum exemplum. Homo sensibus abstractus operationes emittere sine fine dicitur, quia non directus ratione: tamen eae operationes ad aliquid de se ordinantur, v. g. ad exercitium et perfectionem facultatis: clarius patet res, dum homo credit creaturam suum finem constituere. Exemplum irrationabilium sit ignis, si quandoque potius quam comburere, madefaceret; quia id accideret vel ex miraculo, quod sine fine non est; vel ex aliquo superaddito naturaliter *destinato* ad illud producendum etc.

ARTICULUS XII.

De casu et fortuna.

Casus et fortuna dicuntur causae per accidens, quia per se non intentae ab agente; verum finis per se non deest, si comparentur ad primum omnium agens. Casus et fortuna ea causa dicitur *quae producit effectum non speratum, neque intentum;* v. g. cum effodiens terram, thesaurum invenit, quin illum intenderit. Si agens est ratione praeditus, quod accidit praeter intentionem dicitur *fortuitum* vel *fortuna;* si vero agens ratione et cognitione caret, dicitur, quod ita accidit, *casuale*, vel *casus*. Id tamen intelligendúm est de sensu rigoroso, nam ordinario unum sumitur pro alio. Vide *Metaph.* l. VI. q. II. n. 7.

Circa *naturam* hujus causae multa veteres finxerunt: ita ut vel ad Deitatis dignitatem ipsam extulerint, cui tamquam causae per se attribuebant effectus quos videmus fortuite evenire. Quid de ea sit tenendum dicetur postea.

Pro existentia notamus hujusmodi causam revera dari, et apparet ex consideratione eorum quae accidunt in hac rerum universitate. An autem haec sit specialis causa, negamus cum Doctore ibidem et praecipue in *Quodl.* XXI. n. 3. etc., ubi multa, eaque optima hac de re. Casus enim et fortuna si considerentur prout in se sunt, resolvuntur in causam per accidens et operantem aliud per propositum, ut patuit in exemplo allato superius. « Fortuna, scribit ibidem n. 4. Doctor, non est causa totalis, hoc est, quod nihil sic evenit a fortuna, quin eveniat ab aliqua causa per se intendente... Et hoc rationabiliter

concessit (Cicero), quia quod non est a se, non potest habere esse nisi a causa efficiente: et ibi requiritur aliqua causa per se, sive intendens, quia sub intentione causae universalioris cadunt plures effectus et ita sub intentione causae primae cadunt omnes: sed quando alicujus effectus non apparet causa proxima per se, sive intendens, tunc ille dicitur effectus fortuitus et casualis; et sic est intelligendum illud Augustini de academicis quaestionibus in principio, ubi dicit: fortasse nihil aliud in rebus casum vocamus, nisi cujus ratio secreta est. Et hanc opinionem tangit Philosophus in isto libello cap. 2.: si autem, inquit, a fortuna nihil dicendum est geri, sed nos, alia existente causa, propter non videre, hoc est quia non videmus eam, fortunam dicimus esse causam. » Vide et *Metaph.* ibidem.

Quae dicta sunt, contradictoria videntur, idest, effectus fortuitus esse per accidens et tamen a causa per se agente. Ast nulla in eo contradictio habetur si finem ab efficiente distinguas. Dicimus ergo, quod effectus fortuiti diverso sub respectu dicuntur per se et per accidens; idest, sunt a causa per se relate ad agentem; dicuntur per accidens relate ad finem non intentum; qui tamen finis refunditur in causam primam. Primum sic patet. Certum est nihil adesse posse absque causa revera, ideoque per se agente; v. g. thesaurus non invenitur, nisi sit aliquis per se agens ad effodiendam terram. Secundum item est manifestum ex definitione casus et fortunae jam data. Tertium constat; tum quia Deo nihil est occultum et quidquid accidit, ipse vel permittit vel vult; tum quia ordinari omnia debent in finem; qui finis si non intenditur a creatura, suppleri a Deo debet, ut nihil sit in mundo absque causa finali.

Fortuna (ibidem n. 7.) in *bonam* et *malam* dividitur, prout bonum, vel malum habet adnexum. Si alia de hac materia cupis, videas ibi.

ARTICULUS XIII.

De fato et monstro.

Quemadmodum non unica fuit opinio veterum circa casum et fortunam, ita et de FATO; omnia enim quæ his ultimis articulis peracta sunt, admodum correlativa sunt. Seneca lib. 22. q. q. natur. c. 36. refert quosdam sic illud descripsisse: *Fatum* est indeclinabilis rerum ordo et inevitabilis earum catena, quam nulla vis potest irrumpere, propterea quod a Jovis dispositione et definito deorum consilio pendeat. Alii ex testimonio Alberti Magni 2. *Phys.* tract. 2. c. 19. fatum sic descripserunt: fatum est colligantia causarum ex astrorum motibus et viribus efficaciam trahens. Ex quo deducebant cuncta creata, non exclusa humana voluntate, fato subjici et necessario agere.

Verum philosophi christiani diversam omnino circa fatum sententiam habent, quod nihil aliud esse censent nisi *immobilem dispositionem* inhaerentem rebus mobilibus, per quam divina Providentia suis quaeque nectit ordinibus. Vel, *est ordo* a divina Providentia dispositus omnia dirigente constanter ad finem suum; libera quidem libere, necessario vero non libera; non tamen sic ut quandoque derogatio fieri non permittatur, si ita ipsi placuerit. Confer Halensem. I. p. q. XXVII. m. II. a. I.

Ratio hujus ultimae distinctionis est, ut libertas Dei et hominis integra servetur; quod non accideret si omnia

similiter fato subjicerentur. Ratio derogationis necessaria est ad miraculorum patrationem salvandam.

Inferes ex his quam male quidam fato se tradant, ut spernent media libertati nostrae et activitati tradita ad eludenda quae secus necessario acciderent. Vide multa de hoc II. *Physic.* q. XIII. et Halensem in tota quaestione indicata.

MONSTRUM ex Doctore ibi q. XIV. n. 2. definitur: effectus eveniens praeter communem et consuetum cursum naturae superabundans aut deficiens in aliquo, quod necessario requiritur ad perfectum esse in sua specie: et sic monstrum dicitur homo pluribus membris praeditus, quam humana species patiatur, vel ita deformibus ut nimis recedat ab exigentia naturae. Si deficientia vel superabundantia sit levis, non monstrum, sed tantum res imperfecta dicitur.

Defectus monstrum causantes *quadruplici ex fonte* dimanare solent. *Primo,* ex superabundantia materiae: quae vel superabundat proportionabiliter in omnibus partibus, v. g. in gigantibus; vel solum in una et altera parte, v. g. in naso etc. *Secundo,* ex defectu materiae: qui item vel se habet in omnibus partibus proportionabiliter, v. g. in nanis, vel improportionabiliter, v. g. in uno brachio tantum. De quibus notandum quod defectus et superabundantia aliquando potest esse in quantitate discreta, v. g. cum quis nascitur cum uno oculo, vel tribus pedibus, vel duobus nasibus etc. *Tertio,* monstrum causari potest ex indispositione qualitatum primarum, quae concurrunt ad rei productionem: sic indispositio hujusmodi est causa quare foemina sit barbuta et e contra aliqui viri prorsus barba careant. Idem dicendum quo-

tiesquumque qualitates permisceantur simul, quae permisceri non debent, saltem in tali proportione. Tandem *quarto,* monstrum est ex indispositione continentis; sicut patet in foeto male contento in utero matris, ex qua mala dispositione membra impediuntur in sui naturali evolutione.

Notandum tamen monstrum non intendi a natura *directe* et *per se,* sed solum *indirecte* et *per accidens.* Primum sic ostenditur: illud a natura per se et directe intenditur, ad quod naturaliter inclinatur: sed res omnes naturaliter inclinantur ad sui perfectionem: ergo monstruositas, quae est perfectioni contraria, non intenditur per se et directe a natura. Secundum consequitur ex primo, quia deficere a recto solum per accidens rebus naturalibus accidit.

ARTICULUS XIV.

De causa materiali et formali.

Cum plene de hisce causis in Cosmologia acturi simus, hic pauca de iisdem praelibabimus.

Causa materialis definitur: *id ex quo aliquid fit;* causa vero formalis: *id quo aliquid fit.* Quae definitiones ut probe intelligantur, est sciendum in quolibet composito materiali duplex principium inveniri; unum commune et determinabile, alterum vero determinans et coarctans illud ad hanc vel illam rerum speciem. Primum principium causam materialem constituit, alterum causam formalem. Dicitur ergo in definitione causae materialis *id ex quo aliquid fit,* quia materia dum revera ad esse rei concurrit, tamquam pars ad totum, tamen pas-

sive se habet in totius constitutione quod innuitur per illud *ex quo fit.* Contra, in definitione formae dicitur *id quo aliquid fit;* nam praeter hoc quod sit pars, forma insuper determinat et constituit rem in esse suo specifico.

Quaeritur hic, utrum principium materiale et formale vere *de ratione causae* participent, cum prima fronte ab hac deficere videantur: pro cujus solutione sit

Prop. MATERIAE ET FORMAE VERE CONVENIT RATIO CAUSAE. Est Doctoris *Metaph. Text.* l. v. c. II. n. 6. 7.

Prob. Principium per influxum revera concurrens ad effectum, in se continet rationem causalitatis. Atqui materia et forma sunt principium hujusmodi. Ergo ipsis convenit ratio causalitatis. Minor probatur; et imprimis materiam et formam concurrere ad compositum patet, quia si una, vel altera desit, compositum non obtinetur et obtineri repugnat. Quod vero illud habetur per verum influxum, item patet; nam forma nequit sibi unire et determinare specifice materiam, nisi illam afficiat intrinsece; quae item nequit concipi ut receptiva formae, nisi quodammodo coagens ad unionem partium. « Forma, scribit ibidem n. 11. Doctor, est causa materiae et e converso etiam quantum ad esse, quatenus forma dat materiae esse et actum specificum; materia vero sustentat formam: nam loquendo naturaliter, sicut est impossibile materiam existere sine forma, sic et forma sine materia. »

Concedendum tamen est influxum materiae et formae, utpote qui est alterius rationis, non apparere ita manifeste sicut in efficiente: neque tam clare apparet in materia quam in forma, cum illa in infimo sit gradu perfectionis, ideoque et influxus.

CAPUT VIII.

De entis divisione.

Postquam hucusque egimus de entis constitutione tam entitativa quam causativa, restat ut praesenti et sequenti capite sermo fiat de entis resolutione, seu divisionibus. Ratio autem qua ducti sumus in ultimo reponere entis divisionem post reliqua considerata in Metaphysica, est, quia divisio includit imperfectionem: perfectum autem imperfecto praefertur.

Ens ex Doctore I. D. VIII. q. III. n. 18. dividitur in infinitum et finitum, in creatum et increatum, in possibile et reale vel actuale, in mutabile et immutabile, in necessarium et contingens, in simplex et compositum, in substantiam et accidens; quod item partitur in novem categorias. De his omnibus eo ordine, quo disposita sunt, peragetur. Vide Seraphicum, *Itin. Mentis in Deum*, c. III. n. 3.

ARTICULUS I.

De finito et infinito.

FINITUM ex Doctore II. *Metaph.* q. VI. n. 18. illud dicitur *cujus quantitatem quantamqunmque accipientibus, non semper est aliquid accipere extra:* nam ex eo quod aliquid est finitum, circumscribitur limite, nec in se habet unde ultra continuet; ideoque devenitur ad unum praeter

quod non est aliud accipere; v. g. in ternario numero, extra cujus tres unitates nulla alia unitas reperitur.

INFINITUM ibidem n. 2. tripliciter sumitur; idest negative, privative et contrarie. *Negative* infinitum dicitur quod natum est non finiri; v. g. punctum cui infinitas convenit ex eo solum quia est immensurabile et incapax recipiendi fines. *Privative* infinitum dicitur quod caret fine apto nato inesse; v. g. opus sculptile inceptum, nec suae perfectioni demandatum. Denique infinitum dicitur *contrarie* quod habet habitum contrarium ut finiatur, idest, negat finitatem cum positione contrarii illimitantis. Et hoc modo dupliciter sumi potest; vel in eo sensu quod actu sit existens sine terminis, vel quod sit tale solum in potentia. Primo modo solus Deus est infinitus, utpote cui insunt omnes omnino perfectiones in gradu omnium perfectissimo. Altero modo infinitus esse potest numerus possibilium, quorum numero quantumvis magno semper additio fieri potest.

Praeter divisionem allatam infiniti, ipsum alias adhuc divisiones patitur; quarum praecipuae hae sunt; in proprie et hyperbolice infinitum et in infinitum essentia, virtute, duratione et quantitate.

Proprie infiniti notio supra allata est: *hyperbolice* infinitum dicitur quod figurative ponitur pro multitudine innumera.

Dicitur infinitum *in essentia* id cujus essentia est undequaque perfecta. Si haec perfectio sit in virtute agendi, dicitur infinitum *in virtute;* et utroque modo est in Deo, cujus virtus exhauriri non potest, sicut nec essentia. Dicitur infinitum *in duratione* quod nec initium, nec terminum suae durationis habet. Quo sensu duratio infinita

adscribi possit et debeat Deo, vide ubi de aeternitate (*Theol.* C. II. a. III.). Dicitur tandem infinitum *in quantitate,* quod limites respuit in quantitate, qua gaudet.

Finitum fere similiter dividitur ac infinitum.

ARTICULUS II.

An infinitum detur?

De finiti existentia vix scepticus dubitat; quia in pelago versamur rerum limitibus circumscriptarum. Solum ergo de infinito inquiritur.

Verum est notandum non unica ratione infinitum sumi; non ergo potest quaesito responsione unica satisfieri.

Imprimis dicimus quod DATUR REVERA ENS ACTU INFINITUM TUM IN ESSENTIA, TUM IN ATTRIBUTIS, TUM IN VIRTUTE, INFINITATE RIGOROSE SUMPTA; ast demonstratio hujus ad Theologiam pertinet. Vide C. I. a. IV.

Prop. II. NULLUM ENS CREATUM POTEST ESSE ACTU INFINITUM IN ESSENTIA ET PERFECTIONE. Est Doctoris I. D. II. q. II. n. 34. et D. VIII. q. II. n. 2. et II. *Metaph.* q. VI. n. 3.

Prob. Ens actu infinitum essentialiter plenitudinem essendi et agendi possidet, ita ut, hoc deficiente, deficeret eo ipso ab infinitate, cui addi repugnat vel minimum. Atqui quod est tale, est Deus; et cum repugnet creatum in Divinam Naturam converti, repugnat etiam adesse creatum actu infinitum in essentia et virtute. *Praeterea* ex plenitudine essendi infinito repugnat esse ab alio; quia plenum esse non indiget alio, a quo suum primum esse dependeat. Atqui creato essentialiter convenit esse ab alio. Ergo ei repugnat habere plenitudinem essendi.

Sed virtus sequitur esse: ergo creato repugnat tum esse, tum agere infinitum.

Neque objiciatur ex Doctore III. D. XIII. q. IV. Christo datam fuisse gratiam summam: quia ibi non est sermo de infinito, sed de summo, quod sane differt ab illo: idest, Christo datum est quidquid perfectionis recipi potest a creatura adjuta a specialissimo Dei auxilio et possibiliter a potentia divina creaturae conferibile. Creatura autem est incapax infinitae perfectionis. Ergo gratia concessa Christo etsi sit summa, non tamen est infinita. Confer et S. Bonav. I. D. XLIII. a. un. q. III. et S. Thom. p. I. q. III. etc.

Prop. III. REPUGNAT DARI ACTU INFINITUM IN MAGNITUDINE MOLIS (II. *Metaph.* q. VI. n. 3. et 19. et I. D. VII. n. 3.), IN MULTITUDINE (I. D. II. q. II. n. 26. et 27. et *Metaph.* ibid. n. 3.) ET IN QUALITATE.

Prob. I. pars, seu de magnitudine molis. Nullum quantum quantitate molis potest esse sine figura; patet quia saltem partes eam possident, ideoque et totum ex his constans. Atqui ubi est figura, ibi est et terminus; figura enim est ex resultantia termini in quantitate. Ergo quodlibet quantum quantitate molis est finitum et sic repugnat etc. *Item* quantum ficte infinitum vel conciperetur divisibile in partes finitas, vel infinitas. Atqui repugnat primum, quia finitum nequit dare infinitum: repugnat item alterum, quia sic laederetur notum principium *totum est majus sua parte;* cum partes in casu sumerentur perinde infinitae ac totum: caeterum quantum molis nequit concipi indivisibile. Quoquumque modo ergo concipiatur, non effugitur absurdum.

Prob. II. pars, seu de multitudine infinita. Infinitum nequit esse, cui addi vel demi aliquid potest, quia infi-

nito repugnat addi perinde ac demi. Atqui cuilibet multitudini semper addi et demi potest, quia non repugnat idem numerus semper multiplicari, vel dividi; cui itaque respondet ens, ut possibile, saltem ex infinita et numquam exhauribili potentia Dei. Probari etiam potest propositio per argumentum desumptum a natura partium, ut supra pro I. parte.

Tertia pars profluit ex dictis; quia qualitas vel consideratur in sua essentia; et de ea actum est in Prop. II.: vel in multitudine; et de hoc pariter actum est immediate supra. Confer. S. Thom. p. I. q. VII. art. III. et IV.

Doctrinae secunda parte hujus propositionis traditae videtur contrarius Doctor in III. D. XIV. q. II., ubi Christo tribuit infinitas species. Verum hic Doctor est problematicus; scribit enim: « si ista via tertia non placet, neque quod infinita videat elicitive, neque simul recipiendo visiones, scilicet infinitas infinitorum, *potest dici* quod videt omnia habitualiter, non tamen actualiter: » idest, quia unitus est Deo intuitive eum videns, est in potentia proximà ad videndum quotiesquumque vult, quidquid est in Deo, modo tamen finitae naturae proportionato; non simul omnia, sed unum post aliud: agitur ideo de infinito improprio, non de vero, sicut sonat propositio.

Prop. IV. INFINITUM IN POTENTIA TUM MAGNITUDINE, TUM MULTITUDINE, TUM QUALITATE, TUM ESSENTIA NON REPUGNAT IN CREATIS. Eruitur ex locis supra citatis et ex II. *Metaph.* q. VI. n. 27. 28. 29.

Prob. Et imprimis id certum est *de magnitudine et multitudine.* Dicitur enim infinitum in potentia illud quod semper patitur additionem. Atqui nulla concipi potest magnitudo et numerus, cui continuo addi saltem ex vir-

tute divina non possit. Ergo datur in potentia magnitudo et numerus infinitus. Minor constat, quia quod non est infinitum vere et proprie relate ad Deum, finitum est et finitum semper augmentum patitur. *De qualitate* item patet, quia si qualitates considerentur in numero, dari patet infinitas ex ratione allata: si considerentur in essentia, patebit ex dicendis de essentia.

Quod spectat infinitum *in essentia* dicimus nos non agere de hac, vel illa essentia determinata, v. g. de homine; quia hujus quidditas in determinato gradu continetur, ultra quem additionem non patitur. Sed agitur de essentia possibili, vel in genere, an sc. in tribuendo esse rebus creabilibus, standum sit in determinato gradu ultra quem nulla creatura detur, an vero possit procedi ultra sine determinatione; v. g. utrum data tali creatura perfecta in gradu *A*, possit alia superior creari, v. g. *B*, et sic progressive sine fine?

Quamvis non desint negantes, tamen affirmandum videtur ob hanc rationem. Quaelibet creatura quantumquumque perfecta semper infinite distat a Deo. Aliae ergo indefinitae dari possunt, quin umquam perveniatur ad gradum ultimum; quia quidquid per se non repugnat, a Dei infinita virtute ad esse reduci potest. Ergo datur etiam essentia infinita in potentia.

Object. Contra Prop. I^am^ etc. Quidquid est in potentia, a Deo in actum reduci potest. Atqui datur infinitum in potentia. Ergo a Deo in actum reduci potest, et sic actu dari non repugnat infinitum in creatis.

Resp. Primo, negatur suppositum, scilicet, quod infinitum in potentia sit vere infinitum, dum re finitum est, cum ei addi possit. *Secundo,* respond. distinguendo major.;

dummodo non repugnet ex parte rei, conc.; si repugnet, neg. Repugnare autem actu infinitum in creatis patuit superius: ergo etc.

Inst. In casu opposito Dei potentia non esset infinita.

Resp. Disting. Si impossibilitas esset ex parte Dei, conc.; si ex parte rerum, neg. Potentia Dei fertur in ens, non vero in non ens, quale est contradictorium. Atqui esse creatum et simul infinitum in actu, est vere contradictorium, ut supra habitum est. Ergo in ipsum non potest ferri omnipotentia Dei; quae secus evaderet impotentia, idest potens nihil.

ARTICULUS III.

De progressu in infinitum.

Ad complementum doctrinae hic agendum est de infinitate, utrum detur necne in causarum progressu.

Progressus in infinitum in causis in eo situs est, quod cum res per successionem ad esse perveniant et per processionem unius ab altera, efformant quasi catenam; in qua si numquam ad initium perveniretur, progressus fieret usque in infinitum.

Talis autem progressus dari nequit; verum ante demonstrationem quaedam praenotare oportet.

Imprimis distinguendae sunt causae *ordinatae per se* et *ordinatae per accidens.* Dicuntur causae ordinatae per se, quarum una ita dependet ab alia in causando, ut sine influxu alterius, vel aliarum nullimode obtineri valeat effectus: hujus exemplum habetur in causis efficienti, finali, materiali et formali, quae omnes si simul non agant, effectus in vanum speratur. Dicuntur causae ordinatae

per accidens, quae ita dependent in agendo, ut nihilominus effectus obtineri queat: exemplum sit in Isaac progenito ab Abraham, qui Isaac item generare potuit Jacob quin in actu generandi a patre penderet.

Nota *secundo,* triplicem a Doctore I. D. II. q. II. n. 12. assignari ***differentiam*** inter causas ordinatas per se et ordinatas per accidens. « ***Prima*** differentia est quod in causis per se ordinatis, causa secunda, inquantum causa, dependet a prima; in ***per accidens,*** non, licet in esse, vel in aliquo alio dependeat. ***Secunda*** est quod in per se ordinatis est causalitas alterius et alterius ordinis, quia superior est perfectior; in accidentaliter ordinatis, non: » secundum patet in generationis exemplo superius allato. Ratio autem primi a Doctore affertur: « nam nulla causa a causa ejusdem rationis dependet essentialiter in causando; quia in causatione alicujus sufficit unum unius rationis; » v. g. sufficit una foemina et vir unus ad generandum hominem. « *Tertia* est quod omnes causae per se et essentialiter ordinatae simul necessario requiruntur ad causandum, alioquin aliqua per se causalitas deesset effectui: in accidentaliter autem ordinatis non sic, quia non requiritur simultas eorum in causando: » patet ex praeallatis exemplis. Quibus positis, sit:

Prop. PROGRESSUS IN INFITITUM IN CAUSIS TUM PER SE, TUM PER ACCIDENS ORDINATIS, NON DATUR. Est Doctoris ibidem n. 14. etc.

Prob. I. pars. Causae per se ordinatae omnes necessariae sunt ad effectum: hinc si infinitae forent, ad quemlibet effectum ipsae omnes requirerentur. Atqui absurdum est asserere ad effectum aliquem causas infinitas requiri; tum quia numerus actu infinitus repugnat, ut visum est

supra art. II.; tum praecipue si consideretur secunda differentia allata superius de majori et majori *perfectione* causarum ordinatarum per se; tum quia nulla apparet ratio hujus necessitatis. Ergo repugnat causarum per se ordinatarum progressus in infinitum.

Prob. II. pars. Si ad effectum aliquem requirerentur plures causae, ita ut numquam ad primam pervenire liceret, infinitae ponerentur praecessisse effectum, ideoque jam praeteriisse. Atqui utrumque repugnat. Repugnat quidem praeteriisse, quia actu infinito limites poni non possunt. Repugnat in numero infinito praecessisse effectum; quia cum infinitum excludat limites et numquam pertranseat, numquam item perveniretur ad effectum ponendum.

Praeterea in progressu ficto supposito, vel dantur partes, vel non. Non secundum; quia, v. g. in ordine generationum quodlibet individuum est pars distincta a generato; secus idem simul generans et genitum foret, ideoque idem causa suipsius: quod item constat interna experientia, cum quilibet sentiat se esse revera alium a patre suo et a matre. Si primum, repugnat, quia sic infinitum constitueretur per finita, cum partes, ut patet, sint finitae: infinitus autem numerus actualis partium in se finitarum non datur, ut supra habitum est art. II.

Tandem ubi est medium et terminus, ibi est et initium; nam terminus naturaliter dicitur ad medium et hoc ad primum. Atqui in ordine rerum invenitur et terminus et medium. Ergo et initium; et sic non datur processus in infinitum. Major ita declaratur: terminus habet suum correlativum; hoc autem nequit esse medium; quia medium non opponitur termino, sed dicit solum unibilitatem

cum altero extremo opposito: extremum ergo termini est initium.

Objectio. Non repugnat dari infinitum in potentia, seu a parte *post:* ergo non pugnat etiam ipsum dari a parte *ante:* et sic progressus in infinitum dari potest.

Resp. Neg. consequentia. Ratio, quia infinitum a parte post est in re vere finitum, habens scilicet et initium et medium et terminum; hac sola modificatione adjecta, quod ultimus consideratur tamquam punctum unionis cuidam possibili perfectioni, quin ad aliud nequeat pertransiri. Verum si progressus a parte ante consideretur, jam transitus haberetur et actu jam fuisset; quod multipliciter implicat, ut supra visum est.

ARTICULUS IV.

De Ente creato et increato, deque possibili et reali.

Ens creatum dicitur quod habet esse post non esse per eductionem sui ex nihilo. Si ens ita habet esse ut numquam in *non esse* fuerit, dicitur *increatum.* Plura in Cosmologia et Theologia de hoc.

De possibili praeter dicta C. ii. art. viii. accipe sequentia ex Doctore i. D. xliii. n. 3., ubi scribit: « possibile est illud cui non repugnat esse et quod non potest ex se esse necessarium: » seu, possibile dicitur quod ad esse pervenire potest; ita tamen quod si ipsum assequatur, nullam in se continebit necessitatem essendi.

Possibili opponitur reale; quod definiri potest: id quod actu existit, vel quoquumque modo habet verum actum essendi, sive hic sit per modum substantiae, sive accidentis, sive essentiae, sive passionis.

REALE DIVIDITUR in *infinitum* et *finitum* (de quibus supra); in *conjunctum* potentiae, ut creaturae, et in *non conjunctum* potentiae, ut Deus respuens quidquid non est purus actus; in *spirituale* et *materiale;* in *necessarium* et *contingens;* in *immutabile* et *mutabile;* in *substantiam* et *accidens;* de quibus infra.

POSSIBILE DIVIDITUR primo in internum et externum. Dicitur *internum* possibile quod consideratur simpliciter in sua ratione formali; v. g. animal et rationale in abstracto spectata prout possibiliter re conjungi possunt. Dicitur possibile *externum* prout refertur ad eam causam a qua ad esse reduci potest.

Secundo in *logicum* et *reale.* « Possibile logicum est modus compositionis formatae ab intellectu, illius quidem, cujus termini non includunt contradictionem, » quique ideo conjungi possunt; v. g. homo et albus. « Possibile reale est quod accipitur ab aliqua potentia in re, sicut a potentia inhaerente alicui, vel terminata ad illud sicut ad terminum, » qualis est potentia subjectiva (I. D. II. q. VII. n. 10.).

Tertio, in metaphysicum, physicum et morale. Dicitur *metaphysicum*, cujus notae constitutivae ad invicem sese non excludunt: hoc identificatur cum possibili interno: non est autem idem cum logico, quia hoc respicit propositiones, metaphysicum vero rem. Dicitur *physicum* quod pollet possibilitate intrinseca considerata per principia physica; v. g. unio corporis organici et animae. Dicitur tandem *morale* illud quod, attentis omnibus circumstantiis et rerum adjunctis, effici potest; v. g. moraliter possibile est Petrum Deo esse redditurum vota sua.

Possibile differt a futuro in eo quod hoc ad esse ali-

quando perveniet, illud autem non sic, etsi non repugnet: latius ergo possibile patet.

Cum possibili arcte connectitur notio IMPOSSIBILIS, quod definitur: ***illud cui repugnat esse et quod necessario ex se non potest esse.*** Ex dictis de possibili definitio patet. Dividitur autem impossibile in ***absolutum,*** vel intrinsecum, seu purum, et extrinsecum, vel ***relativum.*** Primum dicitur « cujus ratio est in se falsa, » seu cujus termini omnino se destruunt, ut circulus quadratus (IV. D. I. q. II. n. 5.). Dicitur relativum, quod non potest reduci ad esse relate ad omnes causas, sed solum relate ad aliquas; v. g. effectus miraculosi.

ARTICULUS V.

De ente mutabili et immutabili, deque necessario et contingenti.

ENS MUTABILE est illud quod nunc aliter ac prius se habet, vel ita nunc est ut post breve aliter esse possit: secus dicitur IMMUTABILE.

Mutatio alia est *accidentalis,* alia *substantialis,* alia *intrinseca* et alia *extrinseca.* Prima est transitus ab accidente ad accidens, vel non accidens; altera a substantia ad substantiam, vel non substantiam; tertia versatur circa essentiam rei; quarta versatur circa ea quae rem circumstant, v. g. mutatio loci etc.

Immutabilitas alia est *absoluta* et alia *secundum quid.* Prima respuit quamlibet mutationem; haec autem uni inest Deo. Altera respuit mutationem solum in aliquo; v. g. in substantia; et haec propria est spiritualium substantiarum.

NECESSARIUM definitur: *id quod non potest non esse:*

vel cujus non esse repugnat. CONTINGENS contra definitur: ***id quod dum actu est, potest non esse;*** vel cujus non esse non repugnat. Quod homo sit animal rationale, est necessarium, quia repugnat aliter hominem haberi: quod homo sit albus, est contingens, quia non repugnat hominem esse sine albedine.

Necessarium triplex est, absolutum, hypotheticum et morale. ***Absolutum*** dicitur, cujus non esse absolute repugnat; quod soli Deo convenit. Dicitur ***hypotheticum*** quod aliter repugnat esse, data quadam hypothesi; v. g. dato quod obtineri velit homo, nonnisi animalitate et ratione praeditus potest haberi. Dicitur ***morale,*** quod aliter esse repugnat ratione difficultatis; ut patet in habituatis.

Contingentium natura optime declaratur a Doctore III. D. XVIII. n. 17.: « Contingens, scribit, numquam est formaliter contingens, nisi quando est: ideo contingens quando est, contingenter est; non tamen loquor in sensu compositionis; non enim omne ens quod est, est necessarium... Unde sicut entia antequam sint, quaedam sunt contingentia et quaedam necessaria, sic etiam quando sunt, quaedam sunt contingenter et quaedam necessaria... Unde non est ratio quare contingentia sunt contingentia, quia causa duratione praecessit, sed quia causa quando causat, contingenter causat. » Quibus in verbis tota continetur de natura contingentiae notitia. Et imprimis declaratur ratio formalis contingentis, quod dicitur non solum quod excludit necessitatem, sed insuper includit actualitatem essendi; ita, scilicet, ut dum est, potest non esse; contra rationem possibilis quod ita non est, ut ad esse reduci possit. Innuitur etiam necessitas in sensu compositionis, quae cuilibet contingenti inest; et ideo

exactissime indicatur formalitas contingentiae, ita ut nihil melius desiderari queat. Seu, si contingens consideratur prout actu est, non potest non esse, quin contradictionis principium laedatur: si vero consideratur in sensu diviso, seu relate ad instans posterius, ita nunc est, ut possit dein non esse.

Contingentium *existentiam* dicimus adeo manifeste apparere, ut contra negantes adhiberi fas esset remedium a Doctore I. D. XXXIX. n. 13. indicatum, exponendo nempe hujuscemodi dementes tormentis, donec fateantur fieri posse ut non torqueantur. Innumera enim prae oculis habentur, quae dum sui speciem et notitiam menti nostrae ingerunt, poterant etiam non inferre.

Causa contingentiae ortum habet a voluntate divina (ibidem n. 14.), non autem a divino intellectu. Ratio, quia quidquid est in intellectu (seu intellectus intelligit), modo naturali inest et necessario: ideo nulla contingentia in divino intellectu esse potest quoad cognitionem rerum etiam contingentium: quapropter ipse causa contingentiae rerum nequit esse. Prima ergo causa contingentiae est quaerenda in principio libero, quod est voluntas. Videas et *Paris.* I. D. XL. n. 7.

Ex dictis de necessario et contingenti sequuntur haec corollaria. 1. Ens *absolute necessarium* nullam sui causam habet (v. *Metaph.* q. III. n. 2.). Ratio, quia necessarium absolute est omnino independens; nam in dependentia ab alio includitur subjectio, quae non stat cum absoluto. Praecipue id valet in eorum sententia rationabili, qui tuentur nihil posse transire a non esse ad esse, nisi instans concipiatur, quo productum in potentia fuerit relate ad sui causam: ast absolute necessarium nequit

concipi fuisse in tali instanti, quia tunc in illo instanti non fuisset, ideoque tunc non in se frueretur necessitate; eo vel magis quod posset concipi subjectum impedimento prohibenti productionem sui.

2. *Caetera necessaria* in absoluto habent sui causam (ibidem). Praeter absolutum omnia sunt effecta: atqui quodlibet effectum habet sui causam: ergo, etc. In absolutum autem refundi horum causalitatem, patuit, cum omne imperfectum reduci ad perfectum monstratum est C. v. art. iv.

ARTICULUS VI.

De ente simplici et composito.

Simplex proprie dicitur quod caret partibus: ens e contra ex partibus conflatum, compositum appellatur. Dictum est *proprie* simplex; nam in physica simplicia dicuntur etiam ea composita, quae constant ex elementis homogeneis.

Compositum dividitur in essentiale et integrale. Dicitur *essentiale,* cuius partes essentiam rei constituunt; v. g. corpus et anima relate ad compositum humanum: dicitur vero *integrale,* cujus partes integrant rem; v. g. pectus, caput, etc. integrum reddunt corpus nostrum.

Essentiale subdividitur in *physicum, metaphysicum* et *logicum.* Primum dicitur quod constat ex partibus physicis, sicut in exemplo primo loco posito patet. Dicitur metaphysicum quod constat ex variis conceptibus immediate fundatis in re, partes quasdam metaphysicas indicantibus, v. g. ex actu et potentia. Dicitur logicum quod

constat ex conceptibus, seu intentionibus secundis solum mediate in re fundatis; v. g. ex genere et differentia.

Tandem nota est divisio compositi in *substantiam* et *accidens,* secundum quod partes ejus sunt substantia vel accidens, vel partim substantia et partim accidens.

Simplex aliud est *absolutum,* aliud *relativum.* Primum quamlibet compositionem excludit, sive physicam, sive metaphysicam, sive logicam; qua simplicitate solus Deus fruitur. Alterum dicitur quod solam excludit compositionem physicam, quemadmodum angelis et animae humanae accidit. Huic divisioni addi potest *simplex negativum* simpliciter negans extensionem; quod puncti est proprium: hoc enim dicitur simplicitate gaudere non ex eo quod sit substantia, aut accidens spirituale, sed ex eo quod negat extensionem sui in corpore in quo est ad modum cujusdam partis indivisibilis; de quo mathematici.

Simplicitas rigorose sumpta (I. D. VIII. q. I. n. 6.) est *perfectio simpliciter simplex;* quia melius est ipsa frui quam non ipsa: ex quo pariter accidit aliquid perfectius evadere, quo magis a compositione recedit et accedit ad simplicitatem absolutam. De quo consule C. V. art. IV. Vide etiam quae pulchra habet Doctor ibidem q. II. n. 2. de creaturae simplicitate.

CAPUT IX.

De entis divisione in categorias.

Ultima divisio entis est in substantiam et accidens, quod sub se comprehendit novem categorias, seu suprema genera, de quorum praecipuis hic agemus.

ARTICULUS I.

De substantia in genere.

SUBSTANTIA potest considerari vel prout est notio prima, vel prout est notio secunda. Hoc secundo modo de ea et de reliquis praedicamentis est actum in Logica; hic de substantia peragere oportet primo modo.

Pro quo est sciendum substantiam multipliciter sumi. *Primo,* pro fundamento cujuslibet rei; quo sensu fides ab Apostolo dicitur sperandarum *substantia* rerum. *Secundo,* pro quidditate vel essentia alicujus rei; et eo sensu dici potest etiam de accidente, cum repugnet quidquam esse sine essentia. *Tertio,* pro eo ente quod est non solum in se et per se, sed etiam a se, idest, Deus; licet enim Deus non contineatur in substantia prout haec dicitur logice, seu praedicamentaliter, tamen ipsi revera convenit perfectissimo modo ratio substantiae cum absoluta independentia indicata per illud *ab se. Quarto,* sumitur etiam pro omni eo quod non est in alio generice; et ut sic, ratio ejus convenit etiam substantiis incompletis, v. g. animae separatae et corpori item ab anima diviso. *Tandem* sumitur *pro ente completo quod est in se et per se.*

Definitio clara est ex dictis in Logica majori C. I. art. IX. Hic solum repetimus duo innui a substantia: *accidentibus substare* et *esse in se.* Primum potius imperfectionem redolet, quia subjectionem quamdam importat et id cunctis creatis substantiis convenit, quarum perfectio non est tota in *per se esse,* sed magna ex parte profluit et ab eo quod exigit esse in alio. Alterum perfectionem refert

et constituit rationem formalem et intrinsecam illius. Vide ibid. q. III. n. 16. et IV. D. XII. q. II. n. 12.

Contra praefatam definitionem est Spinoza (*Ethic.* part. I. def. 3.), ita praebens substantiae definitionem, ut nonnisi Deo conveniat, et sic viam sibi sternat ad pantheismum, cujus ipse inter recentes parens et restaurator est. Sic igitur substantiam definivit: id cujus conceptus non indiget conceptu alterius ut concipiatur: quod cum de Deo solo vere et proprie dici possit, conclusit unicam in universo esse substantiam.

Admodum huic affinis est substantiae definitio data a Cartesio, idest: res quae ita existit, ut nulla alia re indigeat ad existendum. Sola differentia est in intentione definientium; res autem omnino videtur aequalis.

Refutatur autem Spinozae definitio, *imprimis* quia asseritur per eam systema omnino perniciosum, ut demonstrabitur in Cosmologia. *Secundo,* quia res mundanae, etsi respuant esse a se, et ideo conceptus earum indigeat conceptu Dei, tamen revera sunt entia et earum multae revera sunt *in se et per se;* quod est sufficiens juxta communem sapientium sententiam ad substantiae rationem et ad earum distinctionem a Deo, sine quo tamquam subjecto, in se et per se existere valent.

Substantiae contraponitur *accidens* eidem inhaerens, quo illa est prior *natura* et saepius etiam *tempore* (VII. *Metaph.* q. XIII. n. 3. et II. D. I. q. IV. n. 20.). Quorum *primum* sic ostenditur; quia indigentia alterius ad esse, constituit ens indigens in inferiori conditione relate ad illud a quo sustentatur; nam sustentare virtutem activam includit, passivam autem sustentari: activum autem est natura prius passivo. *Secundum* obtinet, quando agitur

de accidentibus individui: haec enim non a principiis rei profluunt, sed extrinsecus adveniunt: atqui quod tale est, modo est et modo non est; neque ideo exigit esse simul cum suo subjecto. Contra, accidentia speciei profluentia a principiis intrinsecis, simul tempore sunt cum substantia.

Terminum articulo imponimus praebendo notionem substantiae incompletae, cujus superius meminimus: dicitur autem talis quaelibet substantia per se ordinata ad cujusdam completi constitutionem tamquam pars ad totum; sicut patet in anima humana, quae licet sit completa prout anima, tamen non est completa, si prout est pars hominis, inspiciatur.

ARTICULUS II.

De substantiae essentia et existentia.

Ultimis hisce temporibus quoad utrumque erravit Lockius (l. II. *De intell. hum.* c. 22.) et quoad essentiam Leibnitius (*Nouv. Syst. de la nat.*, p. 124. et 127., ed. Erdm.), quorum prior prorsus de medio sustulit substantiam, eam reponens *in complexu omnium accidentium*, ignota ratione cohaesionis. Alter vero etsi hujus existentiam asserat, tamen deturpat notionem ejus, reponendo rationem formalem illius in *vi agendi*. Sit igitur prima propositio:

Prop. I. Substantia vere datur in rerum natura.

Prob. Substantia dicitur omne ens in se et per se: atqui in rerum natura revera datur ens in se et per se: ergo et substantia. Minor patet; videmus enim continua experientia quod quamvis multa a subjecto recedant et de novo adveniant, manet nihilominus quiddam rem in-

trinsece constituens, quod sustentat accidentia; considera v. g. hominem, brutum, plantam, lapidem.

Nec valet Lockii recursus ad effugium illud, non repugnare plura accidentia simul unita per se stare posse, licet hoc eis non liceret divisis. Ratio, quia esse in se et per se et esse in alio sunt formaliter opposita, et unum nequit esse ratio formalis alterius. Imo insistendo contra Lockium, demonstrari posset substantiam, vel id quod ab eodem tali nomine insignitur, magis exigere esse in alio quam unum solum accidens; nam quo magis tendentia ad esse in alio augetur, eo magis augetur necessitas essendi in alio: sed magis tendentia ad esse in alio invenitur in substantia juxta lockiana principia, quam in uno accidente, quia multiplex exigentia fortius trahit, quam una tantum: ergo etc.

Object. Substantia a nobis non cognoscitur, sed sola accidentia. Ergo ipsa non datur, quia secus inspiceretur ab intellectu nostro.

Resp. Dist. antec. Non cognoscitur immediate, conc.; mediate, neg. et neg. cons. contradistincta ratione illius. Idest, quoniam mens nostra a cognitione sensilium ad intelligibilia progreditur, nequit res in sua intrinseca natura perscrutari, nisi qualitates sensiles prius perspectae fuerint; v. g. nequit prius essentiam hominis videre, nisi jam in phantasia sit species sensilis. Id autem multo magis requiritur in designanda ratione formali rerum; pro qua insuper requiritur quaedam ratiocinatio extranea excludens et formalia in ratione essentiali includens. Verum quemadmodum irrationale est negare vim arguitivam intellectus quoad omnia, sic irrationale est negare eamdem vim quoad hanc ordinariam noscendi rationem menti

nostrae insitam de rerum essentiis et formali ratione. Ratio autem visionis non immediatae circa substantiam, non est defectus substantiae, quae de se intelligibilis est immediate, sed positio actualis nostri intellectus inhabilis in hoc statu ad intuendam in multis immediate essentiam et intrinsecam rei rationem. Vide de hoc Doctorem I. D. III. q. III. n. 9.

Prop. II. RATIO FORMALIS SUBSTANTIAE NON EST REPOSITA IN VI AGENDI.

Prob. Ratio formalis ita unius propria est, ut alteri naturae tribui nequeat, speciatim si sint sibi oppositae. Atqui vis agendi non in sola substantia invenitur, sed saepius etiam in accidentibus; v. g. in calore, frigore, etc. Ergo vis agendi nequit esse ratio formalis substantiae. Patet etiam id ex eo, quia etsi materia sit revera substantia, quamvis incompleta, non tamen ei competit ratio agendi, cum id ei conveniat ratione formae. Concludimus ergo asserentes vim agendi non essentiam, sed proprietatem praecipuam substantiae constituere.

Concludimus ergo ex praehabita doctrina:

RATIO FORMALIS SUBSTANTIAE SITA EST IN ESSE ENS IN SE ET PER SE.

ARTICULUS III.

De proprietatibus substantiae.

Scholastici post Aristotelem cap. *De Subst.* SEX PROPRIETATES enumerant substantiae.

Prima proprietas est quod *non est in subjecto* inhaesionis: profluit id ex intrinseca substantiae natura, ut patet ex definitione. Hoc autem ei convenire sicut *pro-*

prium constat ex eo, quia cuilibet substantiae inest, sive creatae, sive increatae, sive materiali, sive spirituali; cum cuilibet conveniat esse *in se et per se.*

Secunda proprietas est quod substantia *univoce praedicatur de suis inferioribus,* eisque *univoce inest.* Ratio primi, quia si in ordine praedicationis ipsa inspiciatur, est praedicamentum perinde ac reliqua enumerata a logicis: sed praedicamenta relate ad sui inferiora se habent univoce: ergo etc. Ratio secundi facile educitur ex ratione praefata, sola facta variatione in terminis, ponendo rem pro conceptu.

Tertia proprietas est quod substantia significat *hoc aliquid:* et hoc praecipue convenit substantiae primae: de qua considerare est proprium metaphysici. Recole dicta in C. I. art. VIII. Log. Min.

Quarta substantiae proprietas est *non habere contraria;* quod est intelligendum simpliciter de substantia prout substantia est; non vero de his quae accidere possunt substantiae sive intrinsece, sive extrinsece: vel est intelligendum de substantia in genere, non vero in specie. Ratio primi; quia esse in se et per se non habet contrarium, nisi esse in alio; quod est proprium solius accidentis. Et quoniam nihil secundum idem potest esse et non esse, si substantiae ratio est *esse in se,* nequit ei convenire, cujusquumque generis esse concipiatur, esse oppositum, idest, *esse in alio.* Ratio secundi; quia saepius in natura variae substantiae inveniuntur, quarum una alteri contrariatur; v. g. glacies et ignis, materia et spiritus etc. Verum cum id non conveniat substantiae ratione sui, ut visum est, non potest ei convenire nisi ratione alicujus eidem accidentis, seu quia talis substantia est.

Quinta proprietas adnumeratur haec, quod substantia *non suscipit magis et minus;* quod item est intelligendum de substantia in abstracto considerata, seu in se, non vero prout est in hac vel illa specie, neque in hoc, vel illo individuo. Bene de hoc Doctor VIII. *Metaph.* q. III. n. 3. « Ad quaestionem sustinendo quod suscipit (substantia magis et minus) ad hoc notandum propter auctoritates quod Metaphysicus hic in 8. loquitur de forma et differentia secundum quod pertinet ad quidditatem rei; sed quidditas abstrahit a suppositis, non includens aliquid quod pertinet ad individua: sed suscipere magis et minus non competit quidditati secundum se consideratae, sed ut est in individuis; secundum haec differentia addita quidditati, sic variat definitionem. Substantia ergo secundum speciem in universali considerata, ut quidditas, non suscipit magis et minus, sed in supposito patet, quia hoc individuum perfectius habet naturam specificam quam aliud. » Quod pariter est de speciebus substantiae subjectis, relate ad substantiam ipsam.

Sexta tandem proprietas substantiae est, quod *successive est receptiva contrariorum;* idest, eadem manens potest lapsu temporis suscipere contraria accidentia. Pro quo notandum nos dixisse *successive;* nam eodem tempore repugnare duo contraria simul consistere in eadem patet, nisi sint in diversa parte ejusdem compositi. Vide IV. D. XII. q. II. n. 6. Item patet nos loqui de substantia prima, quia secunda non subest mutationi.

ARTICULUS IV.

De accidente in genere.

Accidens dupliciter sumi potest ex II. D. III. q. IV. n. 20. vel pro eo omni quod est extra rationem formalem alicujus; v. g. manus relate ad hominem; vel pro eo omni quod extrinsecus advenit essentiae: sub qua significatione hic. Accidens sic inspectum definitur: *Ens aptum natum inhaerere. Ens* est per modum generis, commune etiam substantiae: caetera differentiae locum tenent. In hac definitione, ut notat Doctor ibi n. 16., subjectum quoque includitur, non quatenus rationem accidentis constituat, sed quia a nobis non recte accidens concipitur, nisi in ordine ad substantiam, a qua sustentatur. Vide et *Seraph.* I. D. XXX. a. un. q. II.

De natura accidentis, ejusque distinctione a substantia, contra consensum unanimem antiquorum plures recentiores errarunt, quos proin refellere hujus loci est.

Prop. Esse accidentis est re aliud ab esse substantiae. Est Doctoris VII. *Metaph.* q. I. et IV. D. XII. q. I. n. 9. et 16. et alibi.

Prob. Imprimis experientia: videmus enim in rebus, subjecto permanente, multa continuo fluere; v. g. in homine animam et corpus permanere; verum colorem, robur, affectiones et alia multa mutari. Atqui quod mutatur realiter distinguitur a permanente non solum numero, sed etiam essentia. Ergo in qualibet re duo realiter distincta sunt ponenda, unum per modum permanentis et alterum per modum fluentis. Sed hoc saepius est accidens, ut patet. Ergo accidens realiter a substantia distinguitur.

Praeterea in quolibet subjecto multae inveniuntur modificationes, quae non sunt ipsum subjectum; aliter aliquid suipsius esset modificativum, seu simul foret subjectum et subjecti modificatio: neque eae modificationes sunt nihil; sunt ergo aliquid aliud re a subjecto: sed subjectum saepius est substantia, modificativum autem accidens. Ergo etc. Ad rem Doctor ibi *Sent.* n. 9.: « Subjectum non est de essentia accidentis, quia tunc homo albus non esset ens per accidens; quod est contra Philosophum 5. *Met.* cap. *De Ente* et cap. *De Uno, Met.* cap. 3., quia addendo alicui illud quod est de essentia ejus, non habetur ens per accidens.... Accidens autem secundum se est ens per se (idest verum in genere suo) secundum Philosophum *Met.* cap. *De Ente;* unde per se est in genere. »

Declaratur adhuc argumentum probans distinctionem modificationis a subjecto. Saepius modificationes multipliciter ab ipsa substantia producuntur et recipiuntur sine sui mutatione nisi accidentali; sicut patet in cogitationibus, affectionibus et passionibus animi nostri: patet etiam ex eo, quia secus nonnisi consubstantiales nobis et ceteris rebus modificationes acciderent: quod est absurdum. *Item,* nullum ens secundum idem potest pertinere ad multiplices species. Atqui, v. g. homo prout est substantia pertinet ad speciem hominis sub primo praedicamento; prout est albus ad speciem qualitatis; prout est altus ad speciem quantitatis etc. etc. Ergo non secundum idem. Ergo praeter esse substantiae datur aliud esse realiter distinctum, quod est esse accidentis. *Tandem* essentia unius non potest esse essentia alterius differentis specie: si igitur essentia accidentis eadem foret cum esse substantiae, quoniam haec est varia pro varietate speciei,

varia item forent accidentia cujuslibet substantiae, ita ut eadem accidentia repugnaret inveniri in variis substantiis. Atqui hoc est falsum; quia, v. g. color est in facie, in pariete, in metallo, in planta, in bruto etc. Ergo non eadem est substiantiae et accidentis essentia. Cf. S. Thom. *Contra Gentiles*, l. 4. c. 14.

OBJECTIONES.

Object. I. Esse accidentis est a substantia et in substantia. Ergo ab esse hujus non distinguitur.

Resp. Neg. cons. et consequentia. Nam esse ab alio et esse in alio abstrahunt a reali identitate et distinctione, ut constat exemplo proprietatum et facultatum atque accidentium communium et effectuum. Realis ergo vel identitas vel distinctio aliunde repetenda est. Insuper secus via lata pateret pantheismo.

Object. II. Modificatio non est alia res a modificato, sed modus intrinsecus: atqui accidens est modificatio substantiae: ergo non est alia res ab ea.

Resp. Dist. maj. Aliqua modificatio, conc.; omnis modificatio, neg. Dist. min.; est modificatio late sumpta, conc.; rigorose, neg. et neg. cons. Modificari stricte sumptum infert modum rei intrinsecum; late autem intellectum usurpatur etiam pro quolibet in genere modificante rem, sive intrinsece eam afficiat, sive extrinsece, sicut accidens. Differt autem utrumque ad invicem, ut patet: non licet ergo ex identitate reali unius cum substantia concludere ad similem identitatem alterius.

Object. III. Accidentia sunt modus intrinsecus; quia intrinsece saepius modificant substantiam, sicut patet in quantitate. Ergo etc.

Resp. Neg. antec., et ejus falsitas probatur per partes. Et imprimis non est modus rigorose sumptus habitus, situs, ubi et quando, quia hae categoriae sunt extraneae rei ipsis subjectae. Patet item in actione et passione; quia res potest stare sine his, cum non semper agat et patiatur; intrinsecum rei est solum principium agendi et patiendi, non autem actio et passio. Patet etiam in relationibus quae adveniunt et recedunt sine substantiae mutatione substantiali. In qualitatibus etiam manifeste apparet, quia habitus, potentia, passio et figura de se nihil rei intrinsecum dicunt. Difficultas non parvi momenti invenitur in quantitate (de cujus distinctione a substantia in Cosmologia agetur); ipsius enim non ita manifesta distinctio est sicut in caeteris praememoratis accidentis categoriis. Praecipua ratio pro ea desumi potest ex eo quia quantitas speciales habet species distinctas realiter a speciebus substantiae, cujus est quantitas; itemque modificationes inductae in quantitate, immediate et per se eam afficiunt et solum per accidens et mediate substantiam. Patet igitur per omnes categorias accidentis, ipsum non esse modum substantiae intrinsecum, sed quid realiter distinctum ab ea.

ARTICULUS V.

De accidentis essentia, proprietatibus et divisione.

Duo hic examinanda sunt DE NATURA ACCIDENTIS: *primum:* an essentia ejus ex pluribus vel ex uno tantum constet? *secundum:* an sit imperfectius sub quolibet respectu substantia?

Quoad *primum* Doctor VIII. *Metaph.* q. I. n. 3. stat

pro SINGULARITATE, reponens accidentis essentiam in uno tantum. Et quamvis ibi explicite solum unum et alterum memoret accidens, tamen nulla ratio invenitur cur non debeat idem asseri de reliquis. Sic autem suam sententiam confirmat: « Omne illud quod est immediatum principium agendi, ut scilicet quo agens agit, videtur esse tantum actus, ita quod non includit duas res, potentiam et actum, quia non esset quo primo agit, sed per partem primi quae est actus: accidens autem aliquod, ut calor et hujusmodi, ponitur quo primo agens agit in aliqua actione, ut in calefactione: » ergo istud accidens est forma simplex: ergo et reliqua ex dictis. Idem constat ex eo, quia accidens est infimum ens: non ergo plura sui principia exigere potest.

Ad *secundum* sic Doctor respondet: accidens ESSE IMPERFECTIUS qualibet parte substantiae (II. D. XII. q. II. n. 6. et III. D. XIII. q. IV. n. 13.). Ut autem recte resolutio intelligatur, distinguere oportet ordinem *essendi* et ordinem *agendi*. Relate ad secundum dicimus *agere* accidentis esse perfectius aliquando quam *agere* substantiae; patet in calore et vi attractiva relate ad materiam inertia maxima affectam: si vero agatur de *esse* et multoties etiam de *agere*, semper accidens est inferius: quod sic ostenditur. Quod indiget altero ad existendum, eo inferius natura sit oportet: atqui accidens ex natura sua indiget substantia ad existendum: ergo est ea semper inferius. Id autem extendi et ad quaslibet substantiae partes patet, quia hae naturam totius participant.

Contra ultimum objici potest accidens supernaturale, v. g. gratia elevans hominem ad divinam filiationem adoptivam. Verum animadvertit Doctor ibi III. accidens non

esse nobilius ex se in casu, « sed ex hoc quod conjungit immediate cum objecto perfecto; » ideo extrinsece: vel, si melius placet, perfectio major erit in *agere*, de quo supra, non vero in *esse* ex ratione allata.

PROPRIETATES accidentis reducuntur ad hanc praecipuam, quae est suscipere de se magis et minus ex VIII. *Metaph*. q. II. n. 2. et I. D. XVII. q. V. n. 5. Animadverte tamen id esse intelligendum de accidente concrete inspecto, non vero in abstracto, seu in sua essentia. Quoniam autem id pariter assertum est in art. III. de substantia, videtur praememorata non esse proprietas accidentis. Verum magis et minus non infertur de se a substantia; ab accidente autem per se magis et minus suscipitur.

DIVISIO accidentis sit *primo*, in naturale, supernaturale et artificiale. Dicitur *naturale* quod naturaliter sequitur subjectum; v. g. albedo in lilio: *supernaturale* appellatur, quod praeter ordinem naturae accidit; v. g. gratia qua homo Deo fit gratus in supernaturali ordine: *artificiale* dicitur quod arte in subjectum inducitur; v. g. figura in marmoreum lapidem.

Secundo in *reale* et *intentionale*: primum invenitur in rerum natura; v. g. albedo; alterum nonnisi in mente est; v. g. species intelligibilis et generaliter intentiones secundae, prout tales.

Tertio, in absolutum, relativum et modale. *Absolutum* situm est in aliqua entitate absoluta; v. g. qualitas etc. *Relativum* de se infert relationem ad alterum: *modale* est modificativum de se, seu specialiter subjecti; v. g. celeritas, tarditas, magnitudo etc. Dictum est *specialiter* ad distinguendam modificationem generaliter importatam a quolibet accidente.

Quarto accidens dividitur in *spirituale* et *materiale;* quorum primum dicitur quod spiritum comitatur; alterum quod corpus.

Tandem est *physicum*, *metaphysicum*, vel *logicum*, prout vel physice rem afficit, vel consideratur veluti quid *essentias* extrinsece modificans, vel quid logicum referens.

ARTICULUS VI.

An áccidens possit stare extra substantiam?

Accidens est *ens in alio,* nempe in substantia, quae sic appellata est a *substare* accidentibus. Ex eo desumunt scholastici-occasionem inquirendi, AN ACCIDENS EXTRA SUBSTANTIAM STARE POSSIT?

Ad hujus solutionem quaedam PRAENOTARE oportet: et imprimis, aliud est inquirere de potentia naturali, aliud de potentia supernaturali, seu an fieri possit *ex virtute ordinaria rerum,* aliud *ex virtute divinae potentiae.* — Item aliud est inquirere *de omnibus et singulis* accidentibus, aliud *de accidentibus quibusdam* tantummodo. — Praeterea distinguere etiam oportet *inhaerentiam actualem* ab *aptitudinali:* prima ea est qua actu accidens inhaeret suo subjecto; altera ea dicitur quae accidens intrinsecus afficit, quaque illud est exigens inhaerentiam praefatam. — Tandem aliud est *sequi* essentiam, aliud *constituere* essentiam: illud praesupponit essentiam jam constitutam, sicut proprium; alterum vero ad internam ipsius essentiae rationem concurrit. Quibus positis, en resolutio quaestionis sequentibus propositionibus exhibita.

Prop. I. ACCIDENTIA NEQUEUNT NATURALITER STARE EXTRA SUBSTANTIAM. Est Doctoris IV. D. XII. q. I. n. 9. 10.

Prob. Primo per definitionem accidentis, quae exhibetur per inhaerentiam in alio: deficeret autem a sua ratione, si inhaerentia naturaliter non sequeretur accidens: unde sic arguitur: illud est naturaliter impossibile quod contrariatur naturali dispositioni alicujus; atqui *non esse in alio* contrariatur naturali dispositioni accidentis: ergo accidens naturaliter nequit stare extra substantiam. *Item* modificatio etiam late sumpta, naturaliter nequit stare extra subjectum per illam affectum. Sed accidens naturaliter est modificativum et affectivum (late) substantiae, cujus est: ergo naturaliter nequit stare sine illa.

Id autem est intelligendum non solum de his accidentibus quae immediate afficiunt substantiam: sed et de his quae in alio accidente resident, sicut v. g. color in quantitate; quia haec quoque supponunt substantiam tamquam subjectum primum et virtualiter influens in omnia sustentata.

Prop. II. Nec actualis, nec aptitudinalis inhaerentia constituit essentiam accidentis. Est Doctoris ibidem n. 14.

Prob. Inhaerentia sive actualis, sive aptitudinalis non potest intelligi quin praesupponatur et ens quod inhaerentiae sit subjectum et ens aliud quod sit objectum inhaerens; quia *inhaerere* intelligitur quod sua essentia distinctum a subjecto, hujus est modificativum per suam inhaerentiam: quare inhaerentia est natura posterior tum subjecto, tum objecto. Atqui repugnat quod est natura posterius constituere essentiam superioris et prioris natura. Ergo repugnat quoque inhaerentiam sive actualem, sive aptitudinalem essentiam accidentis constituere. *Item* inhaerentia de se dicit respectum alicujus ad aliud, quem-

admodum accidit in relatione. Atqui non omne accidens est relatio; licet omne accidens possit fundare relationem ad subjectum. Ergo non omne accidens infert id quod ab inhaerentia infertur. Ex quo item sic licet arguere: subjectum et fundamentum distinguuntur a relatione: ergo etiam accidens ab inhaerentia, cujus est fundamentum.

Prop. III. Accidentia modalia et relativa nullimode (ideoque nec virtute divina) possunt existere extra substantiam. Est Doctoris ibidem n. 8.

Prob. I. pars. Accidentia modalia de se includunt ens cujus sunt modi intrinseci: patet in celeritate, motu, etc. etc.; ergo nequeunt concipi sine subjecto.

Prob. II. pars a Doctore: « Respectus est *essentialiter* habitudo inter duo extrema; et ideo sicut tollere terminum ad quem est respectus, est tollere vel destruere respectum, ita tollere illud cujus est respectus, est tollere respectum et destruere rationem respectus: » ergo accidens respectivum necessario requirit cujus sit et ad quod sit.

Prop. IV. Accidentia absoluta ex Dei virtute stare possunt extra subjectum inhaesionis. Est Doctoris ibidem n. 9. et q. II.

Prob. Si aliqua repugnantia inveniri posset quoad existentiam accidentium extra substantiam, haec vel desumenda foret ex parte modi essendi accidentis, vel ex parte essentiae ejusdem. Atqui neutra ex parte: non quidem ex parte modi essendi, « quia causalitatem cujuscumque causae extrinsecae respectu cujusque causati, perfecte supplere potest prima causa, quia habet in se omnem talem causalitatem eminentius quam causa secunda. » Neque ex parte essentiae, quia essentia acci-

dentis, praecipue absoluti, ut supra ostensum est, non est essentia subjecti; neque de essentia accidentis est ipsa actualis, imo neque aptitudinalis inhaerentia. Nulla ergo includitur repugnantia in existentia accidentis extra substantiam; talis ergo existentia haberi potest ex divina virtute. Consule etiam Seraphicum in IV. D. XII. p. I. art. I. q. I. et Angel. III. q. 77. a. 1. et Halensem p. IV. q. X. m. VII.

Nota. Haec thesis est fundamentum philosophicum pro pulcherrima scholasticorum doctrina de permanentia reali, realique actione accidentium panis et vini in SS. Eucharistiae Sacramento.

Objectiones.

In prop. II. objic. Accidens nequit intelligi sine aptitudine inhaerendi substantiae: ergo hac essentialiter constituitur.

Resp. Negatur consequentia; et res patet ex materia, quae licet potentialiter et aptitudinaliter feratur in formam, non tamen constituitur in suo esse formali ab ea aptitudine, licet necessario haec illam sequatur.

In prop. IV. objic. Quemadmodum repugnat substantiae esse in alio, ita debet repugnare accidenti esse in se. Fieri ergo nequit ut accidens sit extra substantiam.

Resp. Dist. antec. Si agatur de aptitudine, conc.; si de actuali inhaerentia, neg. Optime solvitur haec difficultas a Doctore ibidem q. I. n. 23.: « Ad primum dico quod accipiendo *per se esse* et *esse in alio* uniformiter, scilicet prout per se esse negat aptitudinem ad inhaerendum et esse in alio affirmat illam aptitudinem, sic ista duo proportionabiliter conveniunt primum substantiae et

secundum accidenti; et tunc non plus sequitur nisi quod accidens non possit esse ens per se, cui repugnet inhaerere; sicut nec substantia potest esse ens, cui conveniat aptitudo inhaerendi. »

Instant. Quae definitionem ingrediuntur, sunt inseparabilia a definito. Sed actu inhaerere ingreditur definitionem accidentis. Ergo est ab eo inseparabile.

Resp. Dist. maj. Id verum est in definitionibus strictis, conc.; in definitionibus per additamentum, neg. Contradistincta minori, negatur consequens. Quid additamentum in definitione inferat, videas in Logica minori C. II. art. XIII.

Instant adhuc. Omnia accidentia explicantur per simplicem modificationem substantiae: modus autem est inseparabilis a re.

Resp. Dist. major. Si sermo sit de modo late sumpto conc.; secus, negatur. Contradistincta minori, negatur consequens. Cfr. supra art. IV.

Instant tandem. Saltem non potest concludi pro separatione accidentium a substantia, dato etiam quod ab ea distinguantur realiter.

Resp. Si non agatur de absolutis, conc.; si de absolutis sit sermo, negatur. Ad hoc genus referuntur multae qualitates et quantitas: primae separari possunt a substantia stando tamen in quantitate; haec autem stando in se per divinam virtutem. Cujus non repugnantia quoad qualitates patet: quoad quantitatem difficilius constat: quoniam autem et ipsa realiter a substantia distinguitur, dimicat pro ejus separabilitate ratio allata in propositione quarta; etsi mens humana hoc plene scrutari, planeque penetrare nequeat.

ARTICULUS VII.

De qualitate.

Cum plura de categoriis accidentis peregerimus in Logica, hic restat ut metaphysice exponantur potiora de praecipuis generibus supremis accidentis, scilicet, de qualitate, relatione, actione et passione, remittendo doctrinam de quantitate, de ubi et quando ad Cosmologiam, cum de quanto, de loco et tempore sermo erit: ab explicandis situ et habitu supersedere posse censemus, cum nullius fere sint momenti.

QUALITAS ex Philosopho 5. *Metaph.* c. 14. tripliciter sumi potest: *primo,* pro eo omni quod aliquo modo substantiam modificatur; quo sensu etiam substantiale qualitas appellari potest; v. g. differentia specifica indicans *qualis* sit rei essentia. *Secundo,* pro eo omni quod naturam completam quoquo modo in accidentalibus determinat: quo sensu qualitatis nomen obtinent cuncta accidentia. *Tertio,* pro ea forma accidentali et absoluta specialiter qualificativa substantiae; v. g. albedo, scientia, virtus, etc. Quoniam autem qualitas solum proprie usurpatur hoc tertio modo, de ea hic agitur eo sub respectu; et definitur: *accidens absolutum, intensibile et remissibile ac qualificans objectum.*

Absolutum discriminat qualitatem a relatione. *Remissibile* et *intensibile* nominatur, quia haec proprietas praecipue resplendet in qualitate. *Qualificans* est differentia, cum specialiter hoc accidens ordinetur ad modificandum objectum, nec ejus modus reducibilis sit ad caeteras categorias.

Comparata cum quantitate, statuimus:

Prop. QUALITAS EST QUANTITATE PERFECTIOR. Est Doctoris IV. D. XII. q. II. n. 9.

Prob. Quod formaliter inveniri potest in substantiis spiritualibus, est perfectius eo quod in solis corporeis rebus invenitur; spiritus enim et ea quae ejus sunt, perfectiora sunt corpore et corporeis. Atqui qualitates formaliter inveniuntur, non vero quantitas in spiritibus. Ergo, etc. *Praeterea,* « quantitas sequitur compositum ratione materiae; qualitas autem ratione formae: forma autem est simpliciter perfectior materia. » *Item,* « quod magis convenit cum perfectione simpliciter, est simpliciter perfectius: qualitas autem, ut puta sapientia, magis convenit cum perfectione simpliciter et similiter intelligere et velle, quam aliqua quantitas » (ibi). *Tandem* qualitas est magis activa quam quantitas; huic enim nonnisi resistentia passiva convenit; contra, illi etiam activa vis tribuitur, ut patet in habitu et in potentia: activum autem esse passivo perfectius patet.

PROPRIETATES qualitatis tres enumerantur: *prima* est quod *habet contraria;* et est intelligendum de diverso subjecto, vel saltem de diversis partibus ejusdem subjecti; quia repugnat in eodem stare duo, quorum unum est destructivum alterius; v. g. calor et frigus, albedo et nigredo, etc. *Secunda* proprietas est, quod *suscipit specialiter magis et minus* prae caeteris accidentis categoriis, ex dictis in definitione. Tandem *tertia* est (et haec verius proprietatis natura donatur) quod secundum eam res fiunt fundamentaliter *similes et dissimiles.* Videas *Praed.* q. XXXVI. n. 23.

DIVISIO qualitatis fit in *metaphysicam, physicam* et

moralem. Prima dicitur si spectetur in sua essentia; altera, si spectetur prout invenitur in re; tertia, si prout est ordinativa morum consideretur.

ARTICULUS VIII.

De relatione.

RELATIO a *referre* originem ducens, quia unum refert ad aliud, definiri potest cum Doctore q. XXV. *Praed.* n. 3. *habitudo unius ad aliud;* quae tota fundatur in ea notione data a Philosopho cap. de « *ad aliquid:* » *ad aliquid* vero talia dicuntur quaequumque hoc ipsum quod sunt, aliorum dicuntur, vel quomodolibet ad aliud.

ENTITAS relationis *non* consistit in *fundamento,* neque in *subjecto,* neque in *termino,* sed in ea, ut ita dicam, quasi linea, qua extrema ligantur et ad invicem referuntur. Parva ideo est hujus entitas, nec facile intelligitur et saepius frequenti mutationi subjicitur, sicut patet quando una relatio alteri succedit. « Dico, scribit Doctor II. D. I. q. IV. n. 16. quod relatio habet suas distinctiones in suas species, sicut aliud genus habet distinctiones in species suas; et tamen illa non innotescit nisi per fundamenta propter modicam entitatem suam quam habet in fundamentis suis: ita etiam et in aliis accidentibus quae habent majorem entitatem et realitatem, quod aliquando distinctio fit per extrinseca et per illam cognoscitur distinctio intrinseca quae est in eis; est autem formalis intrinseca, sed non innotescit nisi per extrinseca. »

De relatione sequentia veniunt statuenda:

Prop. I. RELATIO VERE DATUR IN RERUM NATURA. Doctor loco citato et in *Quodl.* III. n. 3. et 4.

Prob. Primo ex ordine universi: hic enim repositus est in relatione partium universi ad invicem et ad omnium primum; sicut exercitus in ordine militum ad se et ad ducem. Atqui ordo universi est realis. Ergo realis quoque est relatio in eo fundata. *Secundo* probatur ex realibus compositionibus quae sine numero occurrunt, tum ex substantia et substantia, tum ex accidentibus et accidentibus, tum ex utrisque simul. Atqui hujusmodi realis compositio impossibilis est sine reali relatione componentium. Ergo, etc. *Tertio* probatur ex notione causalitatis: inter causam enim et effectum intercedit relatio, quae non est mentis opus; quia sine vero influxu et sine realitate conditionum praerequisitarum effectus non obtinetur: quemadmodum ergo verus est effectus et vera causa, sic etiam vera et realis est relatio intercedens.

Objectio. Relatio consistit in comparatione duorum vel plurium ad invicem. Atqui comparatio est opus intellectus. Ergo et relatio.

Resp. Dist. major. Cum fundamento tamen saepius in re, conc.; semper sine fundamento in re, neg., et contradistincta minori, neg. cons. Ratio objecta valet solum pro relationibus *rationis,* non vero pro *realibus,* neque pro mixtis ex parte illius termini in quo fundamentum realiter datur.

Instant. Si aliquid reale foret relatio, daretur saepius ens quod in continua successione et sui transformatione foret; v. g. sedens, vel deambulans locum mutans efformaret novam relationem realem, rediens ad pristinum locum quoque relationem renovaret: quod sane admitti nequit.

Resp. Concedimus primam partem, scilicet facile mul-

tiplicari relationes; negamus id admitti vel capi non posse: nam relatio cum sit infimum ens, potest facile destrui, sicut etiam produci: imo stantibus iisdem terminis, aliquando renovari potest, quia ad esse reducitur per eumdem influxum eorum; sicut magnes potest pluries idem corpus vel attrahere, vel repellere. Etiam actio et passio saepius facillime transeunt, praesertim operationes mentis, voluntatis et sensuum; et tamen non negatur earum realitas. Maxima ergo mutabilitas etc. non est ratio negandi realitatem; potius e contra.

Secundo, de relatione inquiritur, AN DISTINGUATUR A SUO FUNDAMENTO?

Pro hujus solutione PRAENOTA cum Doctore I. D. XIX. q. I. n. 2. *duplex fundamentum* relationis dari, proximum et remotum. *Remotum* constituitur a re illius generis, in quo fundatur relatio, seu a subjecto; puta, aequalitatis fundamentum est res de genere quantitatis; similitudinis est res de genere qualitatis, etc.; *proximum* autem fundamentum, seu ratio proxima constituitur ab eo quod intelligitur proxime causare relationem; puta, unitas est ratio proxima relationis unius quanti ad aliud.

Item hic sermonem institui *de solis relationibus mutuis,* deque his quae comprehenduntur *sub supremo genere relationis.* In logicis enim relatio est rationis, cum desit terminus realis *a quo* et *ad quem,* necessarius ad rationem formalem relationis realis: nos autem non intendimus agere de conceptibus logicis, sed de ente reali. In non mutuis aliquando relatio identificatur cum subjecto, sicut patet in relatione creaturae ad Creatorem: ideo non datur regula pro his. Item additum est *quae comprehenduntur* etc., quia exceptio datur in mysterio augustissimo SS. Trini-

tatis, in quo relationes divinae non distinguuntur realiter a natura: Deus autem est extra ambitum categoriarum. Sola igitur quaestio versatur circa reales mutuas sub praedicamento constitutas. De his tenemus cum Doctore II. D. I. q. IV. n. 5. realiter a suo fundamento distingui: quamvis enim ipse afferat rationes pro utraque sententia, tamen solum sententiae negantis argumenta solvit. Sit igitur propositio.

Prop. II. RELATIO MUTUA PRAEDICAMENTALIS REALITER DISTINGUITUR A FUNDAMENTO. Est Doctoris ibi.

Prob. Nihil est realiter idem ei quod stare potest sine illo. Atqui in relationibus realibus fundamentum potest stare sine relatione. Ergo haec realiter ab illo distinguitur. Minor patet in Petro antequam generet et idcirco ante inductam relationem: item patet quotiesquumque cessat relatio, quin fundamentum destruatur, ut supra dictum est de magnete.

Neque dicas id saltem verum non esse de fundamento proximo, sicut patet in actione, quae separari non potest a passione: nam imprimis non omne quod separari nequit physice, identificatur cum subjecto inhaesionis: secundo dicimus actionem posse haberi sine relatione; et tunc accidit quando impeditur quin in passum se transferat: et patet in igne non approximato satis combustibili materiae.

Explemus hanc materiam revocando quod docet Doctor in IV. D. VI. q. V. n. 5., nihil impedire quominus una relatio alteram relationem fundet, sicut accidit in relationibus v. g. patris et filii, si hi moribus et affectionibus conveniant.

PROPRIETATES a quibusdam relationi adscriptae non

sunt generaliter ejus prout est relatio, sed qualitatis, seu sui fundamenti: talis est susceptio *magis* et *minus* et *contrariorum*. Solae vere illius proprietates dicuntur, *relativa dici ad convertentiam et esse simul natura*. De quo videas in Logica majori C. I. art. X. et *Paris*. II. D. I. q. VII.

ARTICULUS IX.

De actione.

ACTIO ex Doctore IV. D. XIII. q. I. n. 12. multiplici significatione sumitur. *Primo* usurpatur pro operatione, prout intellectio et volitio et caeterae affectiones facultatum. *Secundo*, pro relatione et habitudine unius ad aliud: quae dupliciter dividitur: quandoque enim actio sumitur pro respectu producentis et producti, quemadmodum dicitur pater causa agens filii: quandoque autem pro respectu inducentis ad inductum et educentis ad eductum; sicut calidum dicitur agens causa caloris. *Tandem* quandoque sumitur pro respectu transmutantis ad transmutatum: sub quo respectu hic accipitur.

Ut *ratio formalis* actionis elucescat, distinguere oportet (ibid. n. 10.) in toto eorum complexu quae accidunt ordinario in actione, productum et inductum actu a capacitate transmutandi, quae est in agente et ab usu actuali ejusdem. Actionis formalis ratio non est sita in actuali producto; quia hoc est vel qualitas, vel substantia, vel quoddam aliud accidens. Item fieri potest ut activum et passivum simul sint et etiam approximata, quin tamen habeatur productum, puta quando adest impedimentum prohibens effectum actionis; v. g. potest esse ignis agens

tota sua virtute, quin tamen lignum afficiat ob substantiam prohibentem actionem illius. Verum in casu actio non potest negari adfuisse. Ratio igitur formalis illius reponenda est in intrinseco motu agentis, qui motus quantum est de se capax est transmutandi, licet actu non transmutet, nec quidquam in passo producat.

Licet talis sit natura actionis, tamen a nobis non concipitur nisi per modum relationis; non quasi ejus ratio sit relatio, sed quia est naturale fundamentum relationis: quod actioni commune est cum omnibus sex ultimis praedicamentis, ut diximus in Logica majori art. VIII. C. I.

Actionis datur MULTIPLEX DIVISIO. 1° Est *creata* vel *increata* prout residet vel in natura educta ex nihilo, vel a se existenti.

2° Generaliter actio partitur in *transeuntem* et *immanentem*. Immanens ea dicitur quae manet in subjecto a quo emittitur; v. g. intellectio: transiens ea est quae a subjecto emittente transit in aliud; v. g. percussio. Ad cujus intellectionem est sciendum quod licet actio quaelibet tendat ad passum, ideoque transiens appareat, non tamen semper habet passum a se vere distinctum: quo in casu idem subjectum diverso sub respectu dicitur et *agens* prout actionem emittit et *patiens* (minus proprie tamen, ut patet) prout eamdem recipit.

3° Actio dividitur in *materialem* et *spiritualem*, prout agens est per se transmutativum rei materialis, vel immaterialis; exemplum primae habetur in actione calefactiva ignis; alterius autem in actu intelligendi.

4° In *substantialem* et *accidentalem*. Primo modo dicitur ea cujus terminus est aliquid substantiale; v. g.

actio generativa; altero modo dicitur, si ejus terminus est accidens; v. g. intellectio.

5° Tandem actio partitur in *artificialem*, si in opere artis terminet, v. g. in citharizando; in *naturalem*, si a viribus naturae physicae tantum profluat, v. g. calefactio ignis; in *supernaturalem*, si praetergrediatur ordinem naturae; in *productivam*, sicut generatio, et *inductivam*, sicut calefactio.

Hic agitanda est quaestio DE ACTIONE TRANSEUNTE, cujus existentia denegata est a Leibnitio (*Nouveau syst. de la nat.* etc., paragr. 12.-15.). Hic philosophus putavit impossibilem esse transeuntem actionem eo quod aestimavit in ea aliquid vel substantiale vel accidentale recisum ab agente transire in passum, quin imminuat agens in primo casu et accidens sit sine subjecto in secundo. Arguit enim: in actione transeunte aliquid debet transire in passum ab agente: hoc autem est vel aliquid substantiale, vel aliquod accidens. Non primum; quia sic agens agendo amitteret aliquid sui, dum e contra vel idem manet, vel quid acquirit: non secundum, quia in transitu a subjecto ad passum accidens extaret sine subjecto. Cum ergo utrumque sit absurdum, absurda etiam est actio transiens.

Verum hae rationes nullius sunt momenti. Dari enim actionem transeuntem adeo manifestum est, ut nonnisi a sceptico in dubium vocari possit; est enim manifestum quotidiana experientia. Neque valet recursus ad causam primam, cum causis secundis activitatem competere visum sit supra Cap. VII. art. II.

De rationibus a Leibnitio allatis dicimus, in decisione alicujus substantialis, sicut accidit in generatione,

nihil repugnans inveniri; quia si substantia aliquid deperdit, rursus tamen potest acquirere, donec prorsus senescat, quando non est amplius capax recuperandi quod amisit. Si autem amittit aliquod accidens, hoc potest transire virtualiter saltem a subjecto in subjectum etiam distans, quia aliquod medium semper invenitur quod capax sit quoquo modo recipiendi accidens et transferendi. Vide de hac quaestione Cap. VII. art. V. hic.

Ad summum ergo concedi potest non posse dari naturaliter actionem in distanti sine medio; sed eam negare prorsus, est excessus sine ratione sufficienti.

ARTICULUS X.

De passione.

Passio prout est specialis categoria contra categoriam actionis, definiri potest: *Relatio extrinsecus adveniens transmutato ad agens transmutans.* Definitio est manifesta ex dictis in articulo praecedenti de natura actionis: idest, passio non est relatio, sed fundamentum; ipsa enim consistit in ea intrinseca mutatione subjecti, qua ipsum subjectum dicitur *passum*, fundans simul correlationem ad agens. Dictum est, prout est specialis categoria: nam passio late sumpta multipliciter ex Philosopho *Met.* l. v. *Text.* 27. et ex Doctore super textum ibi n. 130. sumi potest. « Dicitur *uno modo* qualitas secundum quam contingit alterari, ut album, nigrum, dulce, amarum, gravitas et levitas et quaequumque alia talia; et haec est tertia species qualitatis, quae dicitur passio et passibilis qualitas... in qua specie qualitatis est alteratio proprie dicta... *Alio modo* dicuntur passiones actiones et alterationes et motus

harum, idest, dictarum qualitatum; et hoc modo passio est unum praedicamentum distinctum, ut calefieri, dealbari, in quantum tamen dicunt illum respectum, qui est passi ut transmutati ad agens ut transmutans... *Alio modo* dicuntur passiones dictae alterationes, non quaequumque, sed maxime quae sunt tristes et nocivae; et hoc modo non dicitur pati qui sanat, sed qui infirmatur: quod non habet rationem mali, puta ad sanitatem, vel albedinem, magis dicitur perfici quam pati; nam talis forma quae per hanc alterationem acquiritur est quaedam perfectio mobilis et passi. *Quarto modo* dicuntur passiones non quaequumque alterationes nocivae, sed si habent magnitudinem nocumenti, ut magnae tristitiae et magnae calamitates. » Passio de qua hic diximus, est illa posita secundo loco.

Divisio passionis perinde datur ac actionis, si excipias passionem divinam, quae omnino repugnat in Deo. Ratio, quia quot modis dicitur unum, tot etiam dicitur alterum oppositum.

METAPHYSICA SPECIALIS

COSMOLOGIA

PROOEMIUM.

Metaphisica in generalem et particularem distinguitur prout vel de ente in genere loquitur, vel sermonem instituit de quodam ente in particulari:-quo sub respectu cosmologiam, psychologiam et theologiam complectitur: de quibus peragere incipimus, initium desumentes a cosmologia.

Cosmologia sermonem de mundo significat, quia haec pars philosophiae de mundo et de his quae in mundo continentur, pertractat.

Notandum tamen dupliciter hunc tractatum institui posse, idest, vel de mundo in genere, deque legibus generaliter mundum moderantibus, vel de eo secundum principia particularia. Agere de mundo hac ultima ratione non amplius pertinet ad cosmologiam, sed ad particulares scientias: sola ergo tractatio secundum principia generalia huic scientiae relinquitur.

Quapropter agendum erit de mundo toto visibili, deque triplici ejusdem regno, minerali, vegetativo et sensitivo secundum altissimas eorumdem causas. De homine

vero, qui omnia praedicta modo speciali in se continet et per animam rationalem superat, qua de causa MICROCOSMOS appellatur, speciali tractatu acturi sumus.

Dividimus praesentem tractatum in *quinque capita:* de mundo in genere, de constitutione corporum, de eorumdem proprietatibus, de viventibus corporibus, deque mundi legibus.

Ex dictis patet cosmologiae *dignitas, utilitas,* immo et *necessitas.*

CAPUT I.

De mundo in genere.

Tria de mundo in genere examinare oportet: primum de ejus natura et ordine: secundum de ejus distinctione a Deo: tertium de ejus origine.

ARTICULUS I.

Notitia mundi in genere.

MUNDI DEFINITIO stricta deest, quia ad hanc requiritur unum per se; quod longe est a mundo constituente unum per accidens, vel melius per aggregationem et ordinem. Potest tamen sic describi: *Universitas rerum creatarum quae coelo, terraque continentur:* scilicet complexus omnium quae non solum sunt in nostro orbe, sed quae rerum omnium visibilium universitatem constituunt; unde clarius *universum* visibile dicitur.

Cum tot ad mundi rationem concurrant, ipse com-

positus dicendus est. Quae compositio duplici ex capite oritur; tum scilicet ex multiplicitate et varietate rerum mundanarum, tum ex intrinseca natura earumdem rerum simplicitate carentium et physicis partibus constantium.

Mundus eo ipso quod est compositus, limitibus circumscribitur, ideoque est finitus: quod enim est compositum, partes limitatas possidet: repugnat autem limitatum dare infinitum: cum ergo partes mundi, idest, res mundum constituentes, sint finitae, finitus et ipse sit, necesse est.

Compositio et *finitas* recte considerantur ut primariae mundi *proprietates* generalissimae, a quibus aliae dimanant. A prima oritur *multiplicitas* et *ordo* formarum et legum: a secunda autem *origo* et *finis* mundi deducitur. Ordo enim est in multiplicitate et varietate cum unitate: finitas dependentiam infert, quae non est sine origine ab alio et sine ordinatione ad finem praestitutum.

ARTICULUS II.

De mundi ordine.

Duo ex Doctore *Metaph. Text.* l. XII. n. 83. sunt de ratione ordinis, scilicet, distinctio ordinatorum et eorum relatio et unio ad totum. Si deest primum, ordo non amplius est parium, dispariumque rerum dispositio, quia unum indistinctum non potest esse plura disponibilia per par et impar. Si alterum abest, deest ipsa ratio formalis ordinis reposita in unitate ordinatorum.

Ordo in mundo repertus duplex est, *dynamicus* et *teleologicus*. Primus oritur a vi mundum universum pervadente, per quam omnia attrahuntur et repelluntur,

simul servando dispositionem primam Omnipotentis Creatoris; et sic creata efformant quamdam pulcherrimam catenam, quin vis unius specie entis deturbet positionem alterius. Alter reponitur in ea dispositione qua inferiora ordinantur in usum superiorum; v. g. plantae in usum brutorum, plantae item et bruta in usum hominum etc.

Adesse in mundo ORDINEM IN GENERE manifestum est: de quo loquens Doctor in q. VIII. n. 27. *Rer. Princ.* scribit: Mundum esse unum cum multiplicitate, quia cunctae res universi, etsi multiplices, colligatae et connexae sunt ad instar pulcherrimae arboris. Vide ibi quam bene id exponat.

Adesse item in mundo ORDINEM DYNAMICUM, res pariter manifesta est: et optime a Doctore ibid. n. 27. monstratur. « Omnes partes mundi, scribit, habent necessario mutuam determinationem et inclinationem ad alias, ut verum sit dicere quod nihil sit de integritate universi, quod non inclinetur ad aliud aut sicut *activum* illius, aut sicut *passivum:* quae duo ad se mutuo inclinantur. Quamvis autem determinata sint agentia respectu determinatarum potentiarum et quanto creaturae sunt altiores, tanto habent aspectum ad causas altiores, hoc tamen verum est, quod talis inclinatio ad aliquid aliud *diffunditur per omnia activa et passiva* quae possunt esse partes universi. » His verbis videtur Doctor praecessisse Newtonum, innuens clarissime vim attractivam et repulsivam, inductam inde a praememorato philosopho ad explicandum mundanum systema.

Tandem etiam ORDINEM TELEOLOGICUM in mundo adesse apertissime constat: mineralia enim et alia elementa non viventia immediate plantis; hae autem brutis; tandem

haec omnia homini sunt in usu. Confer Seraphicum I. D. XV. a. II. q. I.

Duo examinare praestat pro articuli complemento: primum, *quomodo ordo* diffunditur et progreditur *in evolutione universi:* secundum, qua ratione ad perfectionem mundi *non pauca, sed multa requirantur.*

Ad primum respondet Doctor ibidem n. 28. « Certum est quod omnis ordo creaturarum naturaliter est a Deo inditus eis ac per hoc ille ordo vel modus est perfectissimus. Nunc autem in toto opere naturae et artis etiam ordinem hunc videmus, quod omnis forma, sive plurificatio semper est de imperfecto et indeterminato ad perfectum et determinatum, de uno materiali ad plura formaliter distincta: ita facit natura universalis ad omnes formas quoad suum genus mediate vel immediate et particularis omnia membra de uno semine, omnes ramos de uno germine: ergo est iste ordo selectissimus. Videtur quod Deus in constitutione mundi hunc ordinem servaverit ut de uno indeterminato, quod est materia... omnem multitudinem rerum fecerit et quod, saltem ordine naturae, procedat de imperfecto ad perfectum. Illud autem imperfectum ex quo fecerit, non est nihil, quia imperfectum aliquid participat, quod perficit: neque est forma, quia haec distinguit; ergo materia. Ostensum est autem quod illud omnino indeterminatum, scilicet, materia non potest esse in genere substantiae, nisi unum; et ita procedunt res a Deo ut numeri ab unitate, ut dicit Dionysius *De Divin. Nom.* cap. ultimo; sed intellectus intelligit unum crescere in infinitum per divisionem partium ab uno communi; sic a simili res multiplicari a Deo per distinctionem hujus primi indeterminati in multa deter-

minata. » In his verbis nihil invenies quod cum mosaica cosmogonia et sententia recentium non concordet circa evolutionem universi. Confer. et III. D. XXI. n. 4.

Ad secundum item est responsio Doctoris in I. D. XXX. q. II. n. 19. et *Paris.* I. D. XIX. q. III. n. 15. Pro quo *nota* creaturas, praecipue sensibiles, admodum limitibus circumscribi: quapropter quaelibet sola nonnisi parum conferre potest ad universum: unde si mundus nonnisi una et altera constaret, deficeret ab ea pulchritudine, qua pollet et ob quam ex graeca voce *ornamentum* appellatur. Ratio igitur multiplicitatis rerum pro ordine mundano est limitatio creaturae tum in esse, tum in perfectione. Confer et Halensem II. p. q. XVI. m. V. et VI. et q. XVII.: ubi adnotat quod etsi *corruptio* et mutatio non concurrant ad ordinem pulchrum universi, concurrunt tamen res mutabiles et corruptibiles.

Ex his patet quantopere a vero aberrent Schopenhauer et De Hartmann tuentes mundum esse pessimum, ideoque esse effectum cuiusdam agentis caeco instinctu operantis, non autem sapientia et conscientia praediti.

ARTICULUS III.

De gradu perfectionis in ordine mundano.

Etsi pulcherrimus dicendus sit mundanus ordo ex mira structura et symetria, cavendum tamen est ab errore opposito, in quem Leibnitius recentiori aetate, Abaelardus in medio aevo et Plato inter antiquos inciderunt, putantes mundum adeo perfectum, ut ultro perfici nequeat; quorum sententia *optimismus* audit.

Media via progrediuntur scholastici. Hi enim tuentur

mundum in suo genere esse perfectum, tum quia nihil eorum deest, quae ad sui rationem requiruntur; tum quia Deus, utpote sapientissimus, omnia disponit optime in numero, pondere et mensura; tum quia divina potentia expedita ab omni obstaculo in executionem demandare potest, quae altissima mente concepit et voluntate voluit. Verum ab hac perfectione ad optimismum est distantia non parva.

Prop. MUNDUS NON EST OMNIUM QUI FIERI POSSUNT, OPTIMUS. Est Doctoris I. D. XLIV.

Prob. Res mundanae conditae sunt a Deo, ut ejus bonitas extrinsecus manifestetur. Atqui nulla res creata potest sufficienter divinam bonitatem repraesentare. Ergo nulla res creata ultimo gradu possibilis perfectionis ditatur (1). Atqui mundus ex creatis constat, quia non est nisi universitas omnium quae caelo et terra continentur. Ergo mundus non est perfectus ultimo gradu suae perfectionis; ideoque optimismus labitur.

Item comprobatur ex consideratione entium in particulari. Quid enim prohibet considerare hominem corruptioni minime subjectum, aliisque innumeris infirmitatibus, quibus afficitur? Nonne bruta prohiberi possunt a sua in hominem feritate et ipsa melius disponi per remotionem eorum, quae saepius fami, siti, violentae morti ea exponunt, aliisque similibus? Facilis ex his fit gressus ad alias naturas inferiores, in quibus omnibus aliquid addendum ad altiorem gradum perfectionis iisdem tribuendum, invenitur. Atqui quidquid de partibus di-

(1) Abstractio fit ab ordine *supernaturali*, in quo occurrunt consideranda mysteria Incarnationis Maternitatis divinae et visionis beatificae, de quibus in S. Theologia.

citur, de toto etiam est dicendum. Ergo ordo mundanus non est omnium optimus (1).

Item repugnat exhauriri divinam potentiam. Atqui per optimismum vere exhauritur, cum denegetur Deo facultas perfectiorem mundum producendi.

Tandem res patet ex eo quod optimismus libertati divinae contrariatur in disponenda creatione: nam nulla alia ratio pro eo adduci posse videtur, nisi vel quia nullus alius mundus produci potuit, vel quia Deus ad optimum omnium coactus fuit. Primum falsum esse, superius patuit; secundum ergo superesset. Hoc autem item falsitate laborare certum est, ut infra patebit, cum de libertate creationis sermo erit. Ergo etc. Confer Seraphicum I. D. XLIV. a. I. q. I. II. et III.

Objectio. Nihil est sine ratione sufficienti. Atqui facere mundum non optimum, est sine sufficienti ratione. Ergo etc.

Resp. Neg. min. Nulla enim apparet ratio Deum impellens ad optimismum. Sufficit enim ut Deus cuilibet tribuat secundum naturae determinatae exigentiam, ut dictum est: dare ad ultimam perfectionem non tenetur, utpote liberrimus in disponendis mundanis rebus. Unde sciscitanti: quare Deus non optime disposuit etc. respondendum est cum Doctore *Rer. Princ.* q. IV. n. 21.: « Quia Deus hoc voluit et non oppositum. »

Instant. Eligere minus bonum, ubi potest haberi majus, est imperfectio. Atqui Deus est perfectissimus. Ergo debuit eligere optimum.

(1) Clariora haec fient in S. Theologia, ubi de statu originalis justitiae.

Resp. Dist. major; si agatur de eo, qui ad id tenetur aliqua lege superiori, conc.; secus, neg. Conceditur minor et negatur consequens. Deus non tenetur nisi sibi, quando agitur de sua perfectione intrinseca; vel si de extrinseca, quando necessario in intrinsecam resolvitur. Atqui perfectio mundana est quid Deo extrinsecum, non reducibile necessario ad perfectionem intrinsecam; tum quia mundus est omnino aliud a Deo; tum quia divina sapientia solum tenetur ad opera externa secundum suam voluntatem et, hac supposita, secundum exigentiam rerum et non ultra.

ARTICULUS IV.

De pantheismi natura et historia.

Quamvis mundus sua pulchritudine naturam divinam quodammodo imitetur, nihilominus ab hac est realiter distinctus tum natura, tum numero, cum alterius sit substantiae et rationis. Error qui nullam inter Deum et creaturas differentiam ponit, vel nonnisi accidentalem, *pantheismus* appellari solet, quod est *totum Deus.* Diversimode autem explicatur pro vario lubito fautorum hujus systematis. Ast generaliter variae opiniones ad duas facillime reducuntur, nempe ad emanatismum et ad identitatem absolutam: primus tuetur omnia processisse per emanationem a divina substantia: altera vero tradit omnia immobiliter identificari cum natura divina, cujus vel partes, vel quasi accidentia creata omnia dicenda sunt.

Plus minusve in Scholis antiquitus hic error viguit: neque his ultimis temporibus caruit suis patronis. Ratio,

quia difficillimum est rationi concipere productionem totalem ex nihilo.

Inter veteres longe celebriores sunt Indi qui in *Vedas* Brahma (nempe Deum) tamquam araneam repraesentant ex se universa mundana educentem, quae ideo nihil aliud sunt quam ipsa divina essentia et substantia. Ex quo illud eorum effatum: *solus Brahma existit; quidquid non est Brahma, est mentis figmentum.*

Inter Graecos Schola eleatica professa est pantheismum, duce Xenophane; quem Parmenides, Zenon, Melissus et alii sequuti sunt. Sententia Parmenidis huc redit: *quod cogitat et quod cogitatur unum, idemque sunt.* Primis christianae religionis temporibus neo-platonici errorem praefatum divulgarunt; ejusque fuerunt praecipui fautores Plotinus, Porphyrius, Jambicus et Proclus.

Media aetate, si Judaeos Kabalae et Arabes excipias, vix invenies qui pro pantheismo fuerit. Solummodo saeculo decurrente decimo septimo renasci visus est opera Benedicti Spinozae, primum judaicam, inde christianam religionem professi et tandem in purum, putumque indifferentismum prolapsi. Unicam igitur hic philosophus substantiam posuit, quae infinita *extensione* et *cogitatione* praedita, omnia tam spiritualia, quam materialia constituit per harum proprietatum modificationem. Ad quod inducendum ita substantiam definivit, ut nonnisi Deo applicari potuerit: idest: *id quod in se est et per se concipitur;* seu, cujus conceptus non indiget conceptu alterius ut concipiatur: cum autem id plene verum non sit nisi de divina substantia, solam hanc existere dixit et caetera tamquam hujus modificationes habenda censuit. In *Tract. theol.-polit.*, et *Ethic. ord. geom. demonst.*

Nostra tandem aetate longe famosiores sese reddiderunt Germaniae transcendentales. Varius tamen est modus expositionis inter eos; etsi consentiant in principio Parmenidis: *ideas nostras a rebus ipsis non distingui,* et *id quod cogitat et quod cogitatur, unum idemque esse.*

Fichte hoc unum posuit τo *ego,* quod in purum et in non purum distinxit. Primum dicitur, ejus sententia, prout τo *ego* caret conscientia sui; quo sub respectu infinitum et indeterminatum est: ponit autem vel creat se per quemdam actum spontaneitatis: τo *ego* dicitur *non purum* prout sui conscientiam acquirit, sic se determinans; quo sub respectu finitum et determinatum redditur: tandem τo *non ego* dicitur quatenus alia a se concipitur ponere, quia alia concipiuntur diversa a τo *ego.*

Schelling pro τo *ego puro* Fichtei, *absolutum* posuit, seu principium identitatis absolutae, seu indifferentiae, in qua res et ideae, subjectum et objectum, τo *ego* et *non ego* unum, idemque sunt, omni sublata differentia. Hoc unum tantum existere asserit; caetera non esse nisi formas quibus *absolutum* sese manifestat: quod fit per continuam et necessariam evolutionem sub forma materiae et spiritus, objecti et subjecti, realis et idealis, sola phaenomenica, seu apparenti distinctione absolutum modificantium. Summa hujus systematis igitur convenit perfecte cum sententia Fichtei; sola hac existente varietate, quod Fichte a τo *ego* incipit et evolutio illius et omnium rerum fit tantum per ideas, seu per acquisitionem *conscientiae* sui et aliorum; dum in Schelling initium desumitur ab *absoluto* et perficitur in *absoluto.*

Tandem Hegel pro τo *ego* et *absoluto, ideam* ponit,

illud statuens pronuntiatum: *quidquid est ideale, est reale et quidquid est reale, est ideale.* Hanc *ideam* esse absolutam et indeterminatam, ideoque neque esse subjectum, neque objectum; et ut sic esse Deum: evolvi autem per quasdam *leges* seu *momenta* producendo mundum; et tandem acquirendo sui conscientiam ponere τὸ *ego.*

Ratio praefatae theoriae est, quia convenientiam asserebant transcendentales reperiendam esse inter ordinem metaphysicum et physicum, non quidem per abstractiones salvandam, sed per naturalem positionem. Metaphysica autem in universali fundatur; ideoque in identitate omnium.

Ante articuli conclusionem de Cousinii sententia dicendum putamus, qui licet abhorreat a pantheismo, tamen quaedam placita asserit, quae cum eo arcte nectuntur. De Deo ipse docet esse unum simul et multiplicem, tempus et aeternitatem, finitum et infinitum, educentem res non ex nihilo, sed de seipso; ex quo facto ipsum apparere in mundo; tandem necessariam esse creationem. Quae omnia sane redolent pantheismum. *Cours de l'hist. de la phil.,* leç. v. vi. x. Paris 1828).

ARTICULUS V.

Refutatur in genere pantheismus.

Expleta breviter historia pantheismi, ad ipsius confutationem procedere oportet; quam in duas partes dividimus; in prima contra ipsum in genere dicetur; in altera addetur quidquam contra particulares modos invectos a pantheistis philosophis.

Prop. PANTHEISMUS ABSURDUS EST. Doctor. II. D. XVII. q. I. n. 2.

Prob. Absurda est ea sententia, quae nullam substantialem et formalem differentiam ponit inter Deum et creaturam: atqui talis est pantheismus: ergo absurdus est. Probatur major: Deus et creatura talibus donantur attributis, ut unus sit destructivus alterius: Deus scilicet est absolute necessarius, immutabilis, undequaque perfectus et omnino longe a corruptione etc. etc.: creatura e contra est vere contingens, mutabilis, nimis longe a perfectione absoluta et corruptioni subjecta et annihilationi etc. etc. Minor patuit in superiori articulo.

Praeterea cum divinam naturam ratione suae infinitae simplicitatis in partes discerpi repugnet, quae sunt in mundo, non possent concipi ut emanationes divinae, nisi maneant indistinctae a Deo: et quoniam quidquid est in Deo, unum, idemque cum eo est, lapis, asinus etc. tales forent de quibus praedicari liceret naturam divinam, vel saltem possent de eadem praedicari tamquam attributa. Atqui id omnino repugnat sanae rationi; sicut item patuit in ratione praecedenti. Ergo absurdus est pantheismus.

Haec absurditas patet etiam, quia ex sententia opposita proflueret nonnisi unicam omnium hominum animam dari: revera, productio naturalis indistinctorum, ad unum terminat; v. g. productio naturalis ab anima est unicus intellectus, unica voluntas, unica facultas visiva etc.: idem ergo est dicendum de emanationibus in divinis: quapropter dato quod anima humana foret per emanationem a Deo, unica omnium hominum foret. Atqui id iterum est absonum. Ergo etc. Minor patet, imprimis

quia unicitas animae praefata est contra sensum communem et persuasionem internam, seu conscientiam cujusque: quilibet enim se sentit alium ab aliis hominibus et ita sibi actiones tribuit, ut clarissime videat non posse aliis tribui. Imo etiamsi velimus et omni conatu nitamur conjungi, in quantum liceat, animis cum aliis, numquam ad eam unionem pervenire poterimus, ut essentia vel imo conscientia identificemur. Constat etiam, quia nobis apertum est aliqua existere distincta a nobis, realiter et formaliter differre, agere in nos, quae aliquando diliguntur, aliquando vero habentur odio: quae illusio perpetua et pura esset in sententia identitatis animae omnium hominum, quam revera pantheistae coguntur admittere, nisi velint omnia rationis momenta omnino conculcare.

Tandem pantheismus ordinem supernaturalem destruit et quamlibet religionem, solum inducens cultum suipsius. Primum patet; quia nihil perfectius divina natura: si ergo idem efficimur cum illa, nequimus altius elevari, quam elevamur per naturam. Secundum item constat; quia religio est a *ligare;* quod subjectionem infert erga alterum superiorem: Deus autem pantheisticus est idem nobis, non superior: ergo repugnat erga eum nos ligari religione. Tertium item manifestum est qua corollarium ex praepositis: tanto magis, quia nimis inclinamur ad nostri amorem, quamvis persuasi simus de nostra conditione et obligatione diligendi et colendi Deum, sicut decet. Item destruit moralitatem atque sexcenta alia absurda inducit pantheismus; ast a re clara declaranda supersedendum putamus. Cfr. Seraphicum I. D. XXXI. p. II. a. II. q. I.

Objectiones.

Objectio I. Deus dicitur dare esse rebus: sed id non potest concipi nisi quatenus ex se eas educat. Ergo etc.

Resp. Dist. maj. Per eductionem earum ex nihilo, conc.; per eductionem e sua substantia, neg. Neg. min. et cons.; Responsio patebit in tractatu de creatione.

Instant. Deus dicitur *esse* omnium. Ergo idem est cum omnibus.

Resp. Dist. antec. Quatenus largitur esse cunctis, conc.; secus, neg. Vide Halensem I. p. q. XIV. m. VI. a. III. § I., ubi dilucide exponit quo sensu de Deo dici queat et unitas universalis et unitas singularis.

Objectio II. Deus nulla entitate carere potest; secus hac carentia deficeret. Atqui taliter foret, sublata sententia pantheistarum. Ergo ipsa est veritati consentanea.

Resp. Dist. maj. Deus sive formaliter, sive virtualiter, sive eminenter, non potest carere ulla entitate, conc.; continere debet formaliter et per identitatem *esse* omnium, neg. maj. Neg. item min. et cons. Ad Dei perfectionem solum requiritur primum, non autem hoc alterum. Quemadmodum enim homo nulla perfectione sua caret, eo quod non habet idem numero et specie *esse* brutorum, quia hoc *esse* possidet eminentius; sic Deus etsi idem numero et specie non habeat esse creaturarum, nihilominus non recedit a sua infinita perfectione, cum illud esse eminentiori modo possideat.

ARTICULUS VI.

Animadversiones contra quosdam particulares modos pantheismi.

Animadversiones circa modos particulares pantheismi restringuntur ad Spinoza, transcendentales et Cousinium.

Contra Spinoza notamus: 1° pessime ab eo datam esse definitionem substantiae, ut visum est in Ontologia C. IX. art. I.; 2° ab eo pro libito extensionem tribui Deo, qui est in supremo gradu simplicitatis, ut palam fiet in Theologia: tanto magis quia extensio infinita (praeter hoc quod dari repugnet, ut vidimus in Ontologia C. VIII. art. III.) et infinita simplicitas se excludunt ab invicem; neque ideo ejusdem subjecti passiones haberi queunt.

Contra transcendentales Germaniae haec pauca notanda putamus: 1° eorum systema gratis asseri; 2° falso fundamento inniti de identitate universali (ideoque in indistinctione ordinis physici et metaphysici), contra quam fuit praecedens articulus. In particulari contra Fichteum animadvertimus, nullam ab eo afferri rationem sufficientem circa modum quo το *ego purum* et *non purum* se ponit et sese determinat: nam quoad primum, spontaneitas sine causa nihil praebere potest: quoad alterum haec positio vel determinatio, quae a conscientia sui etc. oritur, vel intelligitur in sensu ponendi primo se, Deum, mundum veris limitibus, vel intelligitur in ordine cognitionis, quatenus το *ego* de non cognoscente fiat cognoscens se, Deum etc. Primum autem falsum est, tum quia repugnat tam imperfectum, inconscium et indeterminatum (si fingatur) aliquid agere praecipue cum agatur de ente omnium perfectissimo constituendo: tum quia de infinito (sicut Deus

necessario est) fieri finitum, idem est ac de perfecto fieri imperfectum. Secundum autem est contra Fichteum ipsum, nam acquirere sui conscientiam, non est sibi ponere limites; imo se praesupponit, ut patet; et est contra actualissimam Dei virtutem numquam de potentia transeuntis ad actum, cum sit actus purus.

Imo facillimum foret ex principiis Fichtei arguere contra ipsam existentiam Dei et rerum omnium: nam το *ego purum* non est nisi pura et absoluta potentia sine admixtione actus, cum sine causa ulla se etiam ponere debeat: hujusmodi autem potentia non est nisi purum, putumque nihil. Quod et ipse germanus philosophus vidit, ingenue asserens το *ego purum* et *non purum* et *Deum* omni objectiva realitate destitui, ideoque esse purum figmentum; quemadmodum Schellingii absolutum ab ejus discipulo Oken *magnum nihilum* vocatum est (*Enchir. Philosoph. Naturae.* Jenae 1831). Quae doctrina ad omnia omnino extendi oporteret profluentia ab hoc fictitio *ego puro* et *absoluto.*

Quae de Fichteo diximus, applicari possunt Schelling et Hegel, quia in summa conveniunt.

De Cousinio tandem notamus: 1° Falso ab eo asseri necessitatem aeternae creationis, ut clarius fiet hic in articulo XI. 2° Falso item asseri res produci per eductionem a divina substantia; quia creatio est de nihilo, non vero de aliquo praeexistente. 3° Falso item Deo tribui unitatem simul et multiplicitatem, tempus et aeternitatem, finitatem et infinitatem; sunt enim haec attributa in eodem incompossibilia secundum idem.

ARTICULUS VII.

De creatione in genere.

Cum res mundanae realiter a Deo distinguantur, proindeque non sint a se, quaestio exurgit, quomodo originem duxerint. Cui sana philosophia respondet: per *creationem.*

« *Creatio* proprie dicta, ex Doctore IV. D. I. q. I. n. 33., est productio de nihilo, idest, non de aliquo, quod sit pars primi producti et receptivum formae inductae. » Explicatur per eumdem II. D. I. q. II. n. 3. Dicitur *productio,* quod est genus et commune cuilibet factioni etc. Additur *de nihilo,* quod est formale in creatione et per quod creatio a quolibet alio productionis genere differt (1). Tripliciter autem hoc ultimum intelligi potest: *primo*, materialiter, scilicet *de nihilo* tamquam de praejacente materia; quemadmodum vas dicitur fieri de luto, etc., quo aspectu *nihil* per modum causae materialis ad creatum concurreret. *Secundo,* effective, quasi scilicet nihilum munere fungeretur causae efficientis in opere creationis. *Tertio* tandem, ut notat ordinem; idest, ante creationem res erant in puro nihilo, seu in non esse absoluto quoad se totas; ex quo Deus eas eduxit ad esse: definitio tertio modo tantum intelligenda est. Vide adnot. ibidem n. 2. et Seraph. II. D. I. p. I. a. III. q. I. Caetera definitionis patent ex dictis.

Id autem est intelligendum de creatione rigorose

(1) *Creare* potest dici *facere*, ast improprie. Halensis II. p. q. VI. m. II. a. I.

sumpta, quia si sumatur lato sensu, creatio dicitur etiam quaequumque habitudo ad primum efficiens, licet non ut immediate producens: et hoc modo plantarum animae nunc dicuntur creari, quia Deus post productionem primarum plantarum, tribuit iisdem virtutem producendi alias sibi similes, coadjuvans etc. (III. D. XI. q. I. n. 7.).

Creatio duplicem respectum continet (II. D. I. q. IV. n. 27.); *primum*, rei productae ad Deum in ratione causae efficientis, qui idem est cum creatura, ut clarius fiet in art. ultimo huius Cap.: *alterum*, eiusdem rei ad *non esse* praecedens; quem respectum a re creata distingui in dubio videtur relinquere Doctor ibidem.

Creationis nota est divisio in activam et passivam. *Activa* dicitur ipsa divina actio educens res e nihilo: dicitur *passiva* receptio *esse* ex parte creaturarum. Vel si creatio consideretur ex parte causae efficientis, activa appellatur; si vero consideretur ex parte rerum, passiva dicitur; quia revera creaturae in creatione tamquam aliquid mere passivum haberi debent; contra, efficiens de nihilo non habens consortium aliarum causarum, dicitur vere activum.

ARTICULUS VIII.

Falsae sententiae circa originem mundi.

Non unica est opinio philosophorum circa originem mundi, quia si christianae religionis dogma quempiam lateat, facile decipitur circa hanc quaestionem.

Opinio *prima* est Epicuri et Democriti docentium mundum ortum habuisse ex fortuito atomorum concursu; idest, cum atomi aeternae et continuae mutationi

obnoxiae darentur, casu tandem factum est, ut in hunc mirum ordinem cohaeserint. Nulla igitur in hoc systemate ponitur causa creans vel dirigens, nisi vis atomorum et casus.

Secunda opinio est eorum qui tuentur mundum semper extitisse sicut nunc conspicitur: cui opinioni vel ipse Aristoteles addictus fuit.

Tertia opinio est eorum qui tuentur solam materiam fuisse aeternam, cui Deus in tempore indidit formas; quam opinionem tuitus est Plato.

Quarta sententia est pantheistarum tuentium per emanationem a divina substantia mundum fluxisse; de quibus in superioribus art. IV. V. et VI.

Tandem est sententia catholicorum philosophorum; quam tuebimur sequentibus articulis, demonstrantes mundum a Deo esse per creationem. Vide Seraphicum ibidem q. I. art. I.

In pertractanda hac materia ordo sequens servabitur: imprimis refutabimus falsas opiniones philosophorum: secundo loco non repugnantia creationis monstrabitur: tertio palam fiet mundum a Deo esse per creationem.

Pro primo sequentes statuuntur propositiones.

Prop. I. ABSURDA EST OPINIO ATOMISTARUM CIRCA MUNDI ORIGINEM.

Prob. Breviter, tum quia ejus absurditas facillime patet, tum quia cum atomi sint materiales, earum aeternitas confutatur in secunda propositione. *Imprimis* manifesta est ejus falsitas intuenti: videmus enim opera alicujus momenti nonnisi studio et solertia maxima agentis obtineri; quanto magis ordinatio hujus pulcherrimi uni-

versi tam mirabiliter dispositi et tam varia et speciosa continentis? Non igitur casu esse potuit. ***Insuper*** numquid in mundo nonnisi materia et materialia adsunt? Unde ergo origo substantiarum spiritualium? Neque haec quaestio evadi potest per vim inditam materiae ordinantem et fatum. Primo quia fatum nihil est, ut visum est in Ontologia art. XIII. C. VIII, si divinam Providentiam omnia ordinantem exceperis. Secundo, quia vis materiae non concipitur ordinativa, nisi impulsa a sapiente, cum ipsa sapientia careat: item cum sit aeterna et ab aeterno naturaliter agente sine ullo impedimento, ab aeterno etiam producere debuisset; et sic mundus foret aeternus sicut atomi, et infinita aeternitas transacta jam esset in sententia adversariorum, ipso momento quo mundus formatus est: infinitum autem repugnat pertransire. Ponere autem aliquando materiam in quiete, cum ipsa de se inertia praedita sit et nulla extranea causa ponatur impulsiva, est ponere impossibilitatem motus. Repugnat ergo atomos fuisse aeternas.

Prop. II. MATERIA NEQUIT ESSE AETERNA. Est Doctoris II. D. XII. q. II. n. 2. et *Rer. Princ.* q. V. n. 1., ex quo depromuntur haec optima argumenta.

Prob. Ratio ob quam alicui denegatur esse ab alio et tribuitur aeternaliter esse, est actualitas pura, sicut accidit in Deo: ergo ratione contrariorum potentialitas est ratio tribuendi alicui oppositum actualitatis et aeternitatis cum dependentia a superiori. Atqui de se materia est maxima potentia, quia praeter actum essendi est in potentia ad indefinitas formas et continuis mutationibus subjacet cum passivitate et inertia; ideoque maxime contrariatur actualitati. Ergo ei deneganda est aeternitas.

Praeterea cum nihil effectus habeat nisi a causa realiter ab eo distincta, necessario sequitur effectum cadere a perfectione causae in eo quod ab ea est in suo esse dependens: quod nequit dici de causa in ordine ad effectum; ob quam rationem a Deo removetur quaelibet ratio effectus, sicut quaelibet ratio imperfectionis in esse: ex quo illud effatum, omnem perfectionem tribuendam esse incausato: e contra imperfecti erit causatum esse; et magis vel minus, prout magis vel minus imperfectio in esse crescit. Sed materia est imperfectissima in ratione essendi, ut dictum est superius: ergo admodum recedit a ratione essendi et improducti et admodum accedit ad rationem effectus. Ergo repugnat eam esse aeternam. Vel sic breviter redde argumentum. Ratio effectus et ratio potentiae sunt correlativae; quia quo magis aliquid fuit productum, eo magis fuit in potentia et viceversa; v. g. homo creatus solum in anima, minus est effectus et minus fuit in potentia quam homo in anima simul et corpore creatus. Sed materia est admodum in potentia. Ergo maxime exigit esse effectus et sic creatura.

Item aeternitas perfecta, seu esse perpetuum sine dependentia a superiori infert plenitudinem essendi: esse autem et perfectum idem est; quia quo magis aliquid esse participat, participat et perfectum: igitur quod totum esse continet, continet et totam perfectionem: sed repugnat materiam habere perfectionis plenitudinem; ergo et totam perfectionem essendi: ideoque et esse aeternam etc.

Tandem sic arguere licet (*Paris.* II. D. I. q. III. n. 9.): « In composito per se uno creabili, quaelibet pars ejus est creabilis, quia compositum creabile non componitur ex

quodam causabili et quodam non causabili; quia quod est non causabile, est *necesse esse ex se.* Quod autem est *necesse esse ex se* non est componibile cum aliquo alio: ergo illud potentiale est causabile et non ex aliquo sui: ergo est causabile simpliciter post non esse ordine naturae. » Atqui materia est pars compositi, quod producitur post non esse: ergo similiter producitur materia: quae ideo nequit esse increata. Declaratur illud: *necesse esse* non est componibile etc. Ratio, quia aeternum numquam fuit in potentia ad esse vel non esse: si ergo est, necessario est: necessarium autem in esse, respuit quodlibet aliud ad complendum suum *esse*, cum sit ipsum *esse.* Vide et Seraphicum II. D. I. p. I. a. I. q. I. et D. Thom. 2. *Cont. Gent.* c. 15 et 16.

Prop. III. MUNDUS NON SEMPER FUIT SICUT NUNC EST.

Prob. Nec materia, ut vidimus in praecedenti propositione, nec forma potest esse aeterna: ergo neque mundus constans ex utrisque. Additur quod in mundi aeternitate non evitantur incommoda praememorata quoad materiam aeternam; scilicet, quod mundo tribuendus foret actus purus, immutabilitas, independentia, perfectio absoluta, absoluta necessitas, aliaque attributa quae Deo attribui debent ex plenitudine perfecta essendi.

Falsitas opinionis, quam refellimus, apparet etiam ex historia, geologia et aliis ramis scientiae naturalis. Ex historia quidem; quia nullum invenitur vestigium de hoc in traditionibus populorum; imo oppositum omnino traditur, dum nulla gens reperiatur, quae suae originis statuta tempora non designet et epocham aliquam apparitionis hominis super terram non determinet: et quamvis sit discrepantia in praecisa determinatione tem-

poris, concordia est in initio ponendo. Neque monumentum ullum habetur praefatam aeternitatem innuens.

Pro confutatione emanatismi videas hic art. v. et vi.

Quidam recentiores materialistae mundi originem explicant per evolutionem activam sic: asserunt materiam esse aeternam, idest, infectam et indestructibilem, praeditamque esse naturaliter viribus pluribus; per quas vires sese evolvere et multiplici serie motuum et transformationum constituere varias species rerum. Praecipui fautores hujus erroris sunt Haeckel, Strauss, Moleschott et alii.

Contra hos sunt quae diximus in confutandis philosophis tuentibus materiam esse aeternam, vel mundum fuisse ex fortuito atomorum concursu. Addi contra eos potest falsum esse vim non dari extra materiam, quia praecipue spiritus activitate gaudent: dari autem spiritum contra materialistas ostendetur in Psychologia. *Item* ex sola materia et vi physica, vel chimica nequeunt explicari tam multiplices et variae rerum species, cum repugnet ex sola confusa materia et vi materiae proportionata, idest, ex tam imperfecto perfectissima omnia, quae habentur in mundo, potuisse educi sine causa omnium prima. Caeterum alibi (*Psychol.* C. i. a. v. et vi.) haec eadem pertractabuntur. Satis nunc est notare mundum nunc non pati evolutiones, nec a memoria hominum passum esse; et tamen non est omnium perfectissimus, ut vidimus art. iii.

ARTICULUS IX.

De creationis possibilitate.

Si aliqua repugnantia in creatione inveniri posset, haec vel ex parte rei ex nihilo educendae, vel ex parte causae producentis derivanda foret: atqui neutra ex parte: ergo creatio in se nullam includit repugnantiam.

Res patet: et imprimis *ex parte rei:* nihilum enim non concurrit tamquam causa efficiens per verum influxum, sed negat simpliciter esse: seu negatio illata a nihilo non est absoluta seu contradictionis, cujus oppositum omnino repugnat; sed dum negat esse, infert simul possibilitatem eorum, quae ad esse vocari queunt. Inter nihilum enim et possibilitatem haec extat differentia: primum significat statum rerum *in se* ante creationem; altera significat statum rerum in exemplaribus divinis, prout hae extrinsecus sunt producibiles. Entitative igitur considerata nihilum et possibile idem sunt. Sed possibile non repugnat ad esse pertransire. Ergo neque repugnare potest creatio ex parte rerum.

Secundo, repugnantia haec non obtinet *ex parte Dei:* nam potentia prima causativa se sola effective causare potest, excludendo quamquumque aliam causam sive ejusdem, sive diversi generis: ratio, quia dependere ab alia causa est imperfectionis: Deus igitur cum sit infinitae virtutis, potest causare se solo. Additur quod quantaquumque inter ens et nihilum ponatur distantia, ad ipsam tamen potest attingere Deus non inclusus sua virtute limitibus. Nulla ex parte igitur creatio contra-

dictionem involvit. Vide I. D. V. q. II. n. 9. et *Paris.* II. D. I. q. I. et III. Confer et Seraphicum II. D. I. p. I. a. I. q. I. *Fund.* et D. Thom. p. I. q. 45. a. I.

ARTICULUS X.

Cujus est posse creare?

Hic examinandam suscipimus quaestionem: *an solius* Dei sit posse creare; an etiam id tribui possit creaturae?

Ad hujus solutionem nota *primo:* habere potentiam creandi dupliciter intelligi posse ex IV. D. I. q. I. n. 26., scilicet *principaliter* et *instrumentaliter.* Primum infert virtutem proprie agentem in productione rerum ex nihilo; et duobus modis se habere potest: « uno modo excludendo omnem causam superiorem agentem; ut sic agere principale sit agere independenter a causa superiori agente. Alio modo potest intelligi agere principaliter, idest, per formam propriam et intrinsecam agenti, licet in agendo per eam sit subordinata causae superiori agenti; » v. g. si creatura donaretur tali virtute. Creare instrumentaliter infert passivitatem quamdam, qua aliquid valet conferre ad creationem in virtute principalis agentis. Recole quae de instrumento dicta sunt in Ontologia C. VII. art. VIII.

Nota *secundo:* quaestionem praefatam dupliciter institui posse: an virtus creativa *naturaliter* rebus conveniat? vel saltem *supernaturaliter* eis addi possit?

Prop. I. NULLI CREATURAE NATURALITER CONVENIRE POTEST VIRTUS CREATIVA. Est Doctoris ibidem.

Prob. Creaturae non potest convenire virtus creandi, nisi mediante aliqua facultate. Haec autem nequit esse

ex infimis, quia creatio est nobilissima actio, requirens ideo proportionatam virtutem: sit ergo oportet facultas nobilissima. Atqui inter nobiliores facultates datur solus intellectus et voluntas. Ergo his solis creatio fieri deberet. Sed hae facultates in creaturis non producunt nisi accidens: ergo eis tribui non potest virtus creandi in genere. Neque dicas non repugnare in aliqua creatura superiorem aliquam virtutem: nam 1° non apparet quomodo haec ita notabiliter praestet intellectui et voluntati ut in nihilum valeat et ex nihilo esse attingat; 2° haec activa virtus non posset concipi, nisi quasi modus voluntatis; quemadmodum in ipso Deo omnipotentia, qua creans est, est per modalitatis rationem, seu attributum quasi modificativum voluntatis divinae. Stat igitur propositio. Angel. p. I. q. 45. art. 5.

Prop. II. CREATURA NEQUE SUPERNATURALITER POTEST ESSE CAUSA PRINCIPALIS CREATIVA. Est Doctoris ibidem.

Prob. Etsi inter ens et non ens desit distantia infinita (quia in contradictoriis distantia aestimatur ab ente, ut demonstrat Doctor ibi n. 11.), tamen nobis et cuilibet creaturae est incommensurabilis, cum agatur de eductione totali rei ex nullo praejacente: nulla igitur creatura etiam supernaturaliter valet producere ex nihilo: quod maxime roboratur ex eo quod nullus philosophus, qui caruit divina revelatione, demonstraverit vel imo suspicatus sit veram creationem mundi.

Item agere, nullo praesupposito, est nobilissimum omnium, eique competit primitas in agendo: *agere* autem et *esse* in eodem ordine continentur: quemadmodum igitur absolute repugnat creaturae ratio primitatis in *esse*, ita et in *agere*. *Amplius:* potentiae *totali* (nempe nihilo) op-

ponitur solum actus *purus:* sed repugnat ex se creaturam esse actum purum: ergo et esse creatricem, etsi agatur de supernaturalitate.

Prop. III. Creatura neque tamquam instrumentum potest concurrere ad actum creativum. Est Doctoris ibidem n. 31. contra Petrum Lombardum iv. *Sent.* D. v. § 3.

Prob. Instrumentum esse activum in creatione dupliciter intelligi potest, vel quatenus concurrit ad dispositionem praeviam, vel ad terminum ipsum. Atqui creatura nequit esse instrumentum primo modo, quia in vera creatione nihil est, quod possit praedisponi: neque altero modo, quia cum ipse terminus sit immediate absque ulla praedispositione ponendus, creatura deberet esse causa principalis: quod repugnat, ut modo vidimus.

Prop. IV. Solius ergo Dei est creare.

Propositio est corollarium ex praecedentibus: et confirmari potest ex eo, quia solius Dei est habere virtutem proportionatam ad educendum res ex nihilo, utpote infinitam undequaque: et cum sit virtus prima et suprema, potest in omnia sine consortio aliarum causarum. Cf. Halensem p. ii. q. vi. m. ii. a. iv.

ARTICULUS XI.

Mundus est a Deo per creationem.

Haec propositio est tamquam illatio legitima ex doctrinis superius positis. Si enim mundus nec est aeternus, nec per emanationem a Dei substantia, neque ex praejacente materia vel aeternis atomis, superest ut sit ex nihilo: talis autem eductio, creatio appellatur. Ergo mundus

est per creationem. Atqui creare est proprium solius Dei: est igitur a Deo per creationem.

Huic alia ratio addi potest sic. Quod est contingens, exigit causam suae existentiae; quia ita est, ut aliquando non fuerit: quod enim semper extitit, aeternum et necessarium est: sed carentia entis, dicitur nihilum: ergo contingens quondam in nihilo fuit. Atqui mundus in cunctis suis partibus, quibus conflatur, est contingens, ideoque totus: ergo quondam erat in nihilo: et cum eductio ab hoc dicatur creatio, origo mundi fuit per creationem. Minor patet: brutum enim, homo, plantae et aliae nobiliores naturae nullam necessitatem essendi continent, neque sunt *ipsum esse;* multo magis his minora. Numquid non contingens est, quod continuo mutatur, sicut praememorata? Materia ipsa nullum vestigium habet necessitatem inferens, cum formis indigeat, ut perficiatur; quae ideo magis exigit esse contingens, quam suum perfectibile. Lapides ipsi et metalla durissima attritu in minuta fragmenta reduci possunt et inde alterari ita ut transeant in aliam substantiam. De corporibus coelestibus item dicimus ea componi iisdem naturis quae in terra reperiuntur, ut doctissimi ostendunt, licet numerus et status earum sit diversus.

Objectiones.

Object. I. Notum est philosophorum effatum: ex nihilo nihil fit: creatio igitur est impossibilis.

Resp. Dist. antec. Ex nihilo tamquam a causa, conc.; ex nihilo dicente ordinem non essendi ante esse, neg. *Vel sic etiam* distingue: ex nihilo contradictionis, conc.;

ex nihilo simplici, neg. *Vel tertio* distingue sic: a potentia creata, conc.; a potentia increata et infinita Dei, neg. Pro prima distinctione scias *nihil* non esse causam sive materialem, sive formalem, sive efficientem, etc.: sub quo respectu repugnat ex eo, vel ab eo fieri quidquam: non repugnat autem si consideretur simpliciter prout dicit *non esse* ante *esse* et quasi passivum relate ad primum omnium agens. Pro secunda, distinguere opus est nihilum absolutum importatum a contradictoriis, a nihilo ordinario: nos non loquimur de primo, sed de secundo; « nihil enim creatur quod non prius habuit esse intellectum et volitum et in esse intellecto et volito fuit possibile formaliter » (II. D. I. q. II. n. 7.): nihilum autem contradictionis cum impossibili convertitur. Pro tertia distinctione res patet.

Object. II. Creatio est actio transiens: atqui haec supponit subjectum in *quod:* ergo creatio, seu eductio ex nihilo repugnat.

Resp. Dist. min. Si sit per motum, conc.; si sit instantanea, neg., et negatur cons. « In creatione.... propter perfectionem potentiae productivae ponentis primo totum in esse, vere est ratio productionis, in quantum per eam terminus productus accipit esse; sed non est ibi ratio mutationis, inquantum mutatio dicit aliquid substratum aliter nunc se habere quam prius...: in creatione autem non est aliquod substratum » (I. D. V. q. II. n. 11.).

Object. III. Idea creationis latuit cunctos veteres philosophos; quod sane non evenisset, si in se contradictionem non involveret. Ergo in se repugnat; ideoque est impossibilis creatio.

Resp. Dist. antec. Ob arduitatem notionis verae crea-

tionis et debilitatem mentis humanae, aliasve rationes externas, conc.; ob repugnantiam creationis, neg. Cf. Halensem ibid. a. VI.

ARTICULUS XII.

De contingentia creationis.

Aeque exitialis est error negare creationem et hujus necessitatem affirmare, qua ligatum Deum posuerunt, ut fertur, Robinet, Voltaire, auctor Epistolarum Persicarum, Cousin; quo et spectant rationalistae, nisi sint atheistae vel pantheistae.

Prop. DEUS LIBERE MUNDUM CREAVIT. Est Doctoris I. D. VIII. q. V. n. 13. etc.

Prob. Quod non indiget aliis ad sui intrinsecam perfectionem, non necessario erga ea se habet. Atqui Deus non indiget rebus creatis ad sui perfectionem intrinsecam, cum sit sibi ipsi sufficientissimus, quia perfectissimus in se. Ergo non necessario se habet erga eas, ideoque si creavit, libere creavit.

Item creaturae non constituunt finem ultimum relate ad Deum, neque medium sunt ei necessarium ad ultimum finem, cum repugnet infinitum habere sui finem ultimum aliunde ab se, ideoque indigere aliis tamquam medio ad eumdem finem. Nulla igitur necessitate Deus erga res creatas intrinsece afficitur.

Praeterea « ens absolutum quod est ex se necessarium quantum potest cogitari aliquid esse necessarium, non potest non esse, quoquumque alio a se non existente: Deus est summe necessarius....: ergo quoquumque alio a se non existente, non propter hoc sequitur ipsum non

esse. Sed si necessariam haberet habitudinem ad primum causatum (sive ad res in genere), illo causato non existente, non esset: ergo non habet ad illud necessariam habitudinem; » quia esse creatum nullimode influit in esse indeficiens et essentiale.

Item, contingentia in mundo eveniunt; patet facillime: ergo prima causa contingenter causat. Consequentia sic probatur. Si prima causa necessario se haberet ad causam proximam, v. g. *B*, *B* necessario moveretur: motus autem necessarius nonnisi necessarium causat, cum sit ejusdem rationis cum motu imprimentis primo; eo vel magis quia prima causa nullo obstaculo praepedita in motu necessario, efficacissime obtinet suum effectum: idem est dicendum de *B* relate ad *C* etc. etc., quia eadem est ratio: nihil ergo ex necessitate primi moventis contingenter accideret.

Praeterea omnis causa necessario agens, nullique obstaculo subjecta agit secundum ultimum potentiae suae, quia sicut non est in potentia sua agere, vel non agere, ita non est in sua potestate agere intense, vel remisse; videas in luce et in igne relate ad radios et calorem, et in anima relate ad suas facultates, in voluntate relate ad libertatem etc. Sed prima causa potest causare omne causabile et a nullo impediri potest: ergo si necessario causat, omne causat causabile. Atqui hoc est falsum, quia multa in pura possibilitate sunt et manebunt. Ergo repugnat primam causam necessario res causare: libere ergo universum condidit. Vide et Angel. 2. *Cont. Gent.* c. 23. et Halensem. II. p. q. V. m. II.

Scholion I.

Certum est Deum sibi finem praestituisse in creatione mundi, quia sapientis est fine agere et ad finem opus ordinare. Inquiritur autem quinam fuerit hic finis? Dicimus praecipuum Dei finem esse ad manifestandam extrinsecus gloriam suam; secundarium autem esse nostram utilitatem. Ratio primi, quia natura postulat ut omnia ad primum ordinentur; Deus autem est primus omnium: atqui in hoc relucet gloria Dei extrinseca, utpote qui est alpha et omega. *Item* in creatione maxime ordo et pulchritudo relucet: esse autem creaturarum est vestigium et aliquando etiam imago divini esse. Ratio secundi patet considerando naturas ab ipso Deo institutas, ut diximus in articulo de ordine mundano.

Scholion II.

Disputant recentes an in astris habitatores habeantur: et videtur quod sic; *primo* ex persuasione antiquorum de animatione mundi male intellecta. *Secundo* quia sic magis magnificentia Dei exaltatur; ad quid enim omnia restringere in tam angustis finibus? quid est terra, nisi atomus parva relate ad universum? *Tertio,* si in terra omnia plena sunt viventibus, a pari videtur idem dici posse de coelis. *Quarto,* quia astra indefinita nihil nobis prosunt, cum innumera dissita sint a nobis quam maxime; aliis igitur proderunt. *Quinto,* quia multa sunt astra, in quibus locus optimus est et dispositio pro viventibus.

Caeterum *notamus* quod non est necesse in omnibus

reperiri ordinem physicum dispositum perinde ac in terra; neque ideo viventia similia terrestribus: Deus enim Omnipotens, qui scit omnia disponere ordine et mensura, omnia secundum exigentiam mansionis accommodat, vel potius vice versa.

Objectiones.

Object. I. Deus est immutabilis. Atqui mutaretur, posita in tempore creatione, ideoque contingentia hujus. Ergo ab aeterno creavit et necessario.

Resp. Conc. maj. Neg. min. et cons. Responsio habetur in Doctore ibidem n. 23: « Ad illud quod arguunt de mutatione primi, si non necessario se habet ad proximum sibi, respondeo quod voluntate antiqua potest fieri novus effectus sine mutatione voluntatis; sicut ego volitione mea eadem continuata, qua volo aliquid jam fieri, faciam illud tunc pro quando volo illud facere. » De hoc autem clarius in Theologia, cum sermo erit de immutabilitate Dei et rerum contingentia simul sociandis. Confer et Seraphicum I. D. XXX. q. I., ubi demonstrat nil novi Deo accidere in creatione, sed solum ex parte rerum.

Inst. Causa necessario aeterna ab aeterno necessario habet effectum. Atqui Deus ab aeterno necessario est causa. Ergo ab aeterno necessario produxit effectum.

Resp. Dist. major; causa necessario causans, conc.; causa necessario aeterna, sed libere causans, neg. Contradistincta min. neg. cons. Etsi Deus ab aeterno determinavit creationem, tamen non necessaria est creatio, quia ita Deus sese ad illam determinavit, ut potuisset sese non determinare. Est igitur causa aeterna, non tamen necessaria.

ARTICULUS XIII.

De tempore creationis.

Rationes allatae in superioribus articulis coarctantur solum ad decernendam creationem rerum in genere; non autem ad decernendum tempus vel instans creationis. Unde inquirere restat *an mundus sit creatus in tempore, an ab aeterno?* Et quamvis non desint asserentes idem esse creatum et temporaneum, ut videbimus sequenti articulo, ubi de possibilitate creationis aeternae examinatur, tamen res adeo manifesta non est, ut statim appareat ac termini considerantur.

Quaestio praefata dum inquirit de tempore, non est putandum tempus extitisse ante creationem, sed incepisse; et in hoc resolvitur quaestio: an ex parte termini seu creaturarum *temporanea sit creatio, vel aeterna.* Halensis animadvertit creationem dici in *nunc* temporis solummodo quoad terminum temporalem (II. p. q. VI. m. II. a. V.) *Item nota*, dupliciter quaesito dari posse responsionem, scilicet genericam, vel exacte temporis specificativam.

Pro primo sit responsio, MUNDUM CREATUM ESSE IN TEMPORE: nihil enim in eo innuere aeternitatem videmus, ut patuit in superioribus articulis de creatione. Sola fingi posset hypothesis de aeterna creatione materiae informis, cui in tempore Deus indiderit formas: sed quemadmodum haec gratis asseritur, item gratis rejicitur: praeterea nulla videtur esse ratio hujus divinae dispositionis.

Pro secundo, catholici omnes Sacrae Scripturae auctoritate freti tuentur hominem non a multis saeculis in

terra extare. Verum pro varietate et incertitudine textuum, varia etiam designatur epocha creationis. In textu ***hebraico*** a creatione primi hominis ad Christum anni quatuor mille et quatuor (4004) assignantur: in *samaritano*, quatuor mille biscenti triginta quinque (4235): in ***graeco*** codicis *vaticani*, quinque mille quingenti et decem (5510): in graeco *alexandrino*, quinque mille tercenti triginta (5330). In tanta varietate non est mirum si quidam auctores etiam catholici asserant deveniri posse etiam ad decem millia annorum.

Dictum est *a creatione hominis*, non autem mundi in genere, quia de tempore primae creationis, quando scilicet de nihilo educta est materia chaotica et de effectione caeterarum creaturarum, disputatur inter Doctores, cum notum non sit pro quanto tempore materia chaotica permanserit in suo statu et an *dies* creationis sint *naturales*, seu spatium viginti quatuor horarum, an sint *epochae*. Deus enim ita res ordinat, ut quidquid res facere valeant, eas agere sinat, etsi longum temporis intervallum requiratur; nam mille anni ante oculos suos sunt tamquam dies hesterna, quae praeteriit. Deus igitur post primam creationem videtur permisisse ut materia ex vacua et inani, seu ex statu nebuloso fieret solida, imprimens motum cum dixit *fiat lux*. Ita, variatis variandis, est dicendum de aliis diebus.

Laplace formationem corporum coelestium explicat per transitum eorum a statu nebuloso ad solidum. Quod innuitur a configuratione orbis terrestris in polis depressi et in linea aequatoriali amplificati; quae figura causata videtur a rotatione substantiae terrestris, dum in primitivo statu reperiebatur. Idem de aliis accidisse credendum

est. Astra ergo et terra nostra antequam ad praesentem statum pervenerint, multa millia annorum pertransierunt. Quod innuitur etiam a variis telluris stratis, de quibus hodierni naturalistae; idest, a stratis primitivis, palaozoicis, a terreno laurentiano, a siluriano, carbonifero et ab aliis.

Non asseritur autem Deum non fecisse quae in *Gen.* c. I. narrantur; sed videtur Ipse non disposuisse, nisi quae a natura praeberi nequiverant.

Quidam recentes moderati evolutionistae tuentur, Deum creasse materiam, eique indidisse vim actuosam, ex cujus sola evolutione profluxerunt omnes rerum species.

His autem relictis, de quibus cura est naturalistis, nobis insistendum est in designanda epocha primae apparitionis hominis in mundo.

Prop. HOMO NON PRIUS APPARUIT IN MUNDO, QUAM TEMPORE DESIGNATO IN LIBRO GENESEOS.

Prob. Liber qui veracis historiae caracteres praesefert, vera narrare credendus est. Atqui talis est liber Geneseos. Ergo etc. Minor probatur, quia scriptus est antiquissimus omnium, vel saltem innititur certis monumentis ab antiquissimo tempore conscriptis, ut doctissimi in hac re fatentur: scriptus est, vel pro eo parata sunt documenta a doctissimo viro in omni scientia Ægyptiorum et Hebraeorum, a viro item sanctissimo, qui omnia habere potuit per facilem traditionem diligentissime servatam a populo electo, cum tunc temporis fere non aliud medium patuerit ad factorum conservationem. Pater enim Moysis vixit cum Levi septuaginta annos: Levi vero cum Isaac annos quadraginta: Isaac autem cum Sem annos quadraginta tres: Sem autem cum Mathusala annos no-

naginta et octo: Mathusala tandem cum Adamo annos biscentos quadraginta tres; sicque per sex hujusmodi generationes a Moyse pervenitur ad primum hominem.

Additur etiam auctoritas Genesi ex eo quod nihil falsi recentes rationalistae potuerunt quidquam vere fundatum in eo invenire; et in eo contenta in nullo vere discordare a modernis inventionibus cujusquumque sint naturae, ut doctissimi viri demonstrarunt. Tandem constat ex testimonio et monumentis historicis aliorum populorum, quae generaliter concordant cum epocha mosaica, si dubia in his contenta excipias. Diximus, *si dubia* excipias: quia hodie a doctis, quae narrantur in historiis Sinensium, Indorum et Aegyptiorum mosaicam chronologiam praecedentia, fabulosa et apocrypha habentur; praecipue longissimae et interminabiles genealogiae regum et principum et aetates antiquissimae. Vere certa non excedunt epocham Abrahami et Moysis: ex quo licet arguere vel falsitatem narratorum in praefatis historiis, vel ad summum dubiam epocham, non autem antiquiorem.

Quae autem hodie objiciuntur ex stratis telluricis pro majori antiquitate hominis, parvi habentur; doctique plurimi omnia intra ambitum decem vel duodecim millia annorum restringunt. Caeterum quodnam judicium certum haberi potest de his quae acciderunt in his stratis et de modo quo acciderunt? Eo vel magis quia temperies actualis terrae nostrae diversa omnino est ab antiqua, etsi agatur de epocha quaternaria, in qua apparuisse homo videtur. Fortasse cataclysmata, quae nunc aestimantur exegisse millia annorum, breviter peracta fuerint.

ARTICULUS XIV.

An mundus creari potuerit ab aeterno?

Unanimis est catholicorum consensus in assignanda creatione mundi in tempore. Verum non concordant in solutione alterius quaestionis ab iis institutae inquirentis, an ab aeterno mundus creari potuerit a Deo? S. Thomas asserit non posse demonstrari impossibilitatem creationis aeternae: cum Halensi (I. p. q. XII. m. VIII.) S. Bonaventura possibilitatem negat (I. D. XLIV. art. I. q. IV et II. D. I. p. I. a. I. q. II.). Doctor in utroque scripto (II. D. I. q. III. n. 16. et *Paris.* ibi q. IV.) anceps est pro utraque parte afferens argumenta, indeque solvens. Verum in *Oxoniensi* quaedam habet insoluta relicta quae sunt: « tenentes autem primam opinionem (thomistarum) potissime propter hoc quod non invenitur contradictio in istis terminis: *aliud a Deo* esse sempiternum: et secundo propter hoc quod rationes quae videntur probare contradictionem, sunt speciales; et ideo si de aliquo speciali probent contradictionem, non tamen probant hoc de omni alio a Deo; et tertio, quia quaedam rationes fiunt de praeterito, quae videntur similiter posse fieri de futuro, sicut de praeterito, cum tamen nulli negent possibilitatem futuri sine fine, aut possent fieri de successione sicut de permanentia. » Ex his verbis generaliter scotistae pro possibilitate aeternae creationis resolvunt, modificata tamen et coarctata ad aliquod ens permanens in genere. Quae sententia sua probabilitate nobis fulciri videtur; pro qua praeter allata apponimus sequens argumentum.

Quod manifestam de se non includit repugnantiam,

possibile est: atqui creatio aeterna de se non includit manifestam repugnantiam: ergo est possibilis. Minor probatur: et imprimis non repugnare id ex parte Dei. Deus ab aeterno est in actu; ab aeterno ergo potest creare: neque enim requiritur de se ut causa semper tempore, vel veris instantibus praecedat effectum, ut patet in necessariis; sed sufficiens est praecedentia naturae. Secundo, non repugnat ex parte rerum, quae sunt sub absoluta potentia Dei et cui praesto sunt quotiesquumque voluerit.

Neque dicatur res non posse concipi de non esse transire ad esse, nisi cointelligatur instans quo res non fuerint: nam dicimus illud esse potius imaginarium, quam reale tum ex parte Dei, tum ex parte rei creatae. Ex parte quidem Dei; quia adversarii concedant oportet in Deo decreta libera subsequi necessaria et *quasi* instans deliberativum requirere praecedens decretum liberum: neque tamen per hoc hujusmodi decreto negatur aeternitas. Ex parte etiam rerum; nam adversarii concedere pariter debent saltem dari instans, quo res condi potuerunt. De quo inquirere licet, an ante illud instans fuerit aliud et sic in infinitum; vel non. Si primum, habetur intentum; quia nos non agimus de aeternitate proprie, sed latiori ratione; idest, pro duratione, cui assignari nequit initium, seu instans primum omnium sine praecedente instanti. Si secundum; ergo illud instans relate ad aeternitatem sic haberet suum quasi correlativum, ut in aeternitate quoque primum ponendum foret.

Vel clarius: ponatur primum instans creationis *B*: inquiritur an ante *B* fuerit aeternitas, vel non; si non: ergo quemadmodum dicitur aeternum *esse* Dei, ita *esse* rerum eo instanti creatarum. Si sic: ergo hujus quasi

instantibus potuit esse suum quasi correlativum *B;* quia quemadmodum instans praesens est quasi correlativum aeternitatis, ita est dicendum de cunctis imaginabilibus instantibus creabilium. Sed ubi primum non datur, ibi est aeternitas: ergo mundi aliqua saltem creatura potuisse videtur creari ab aeterno.

ARTICULUS XV.

An relatio creaturae ad Deum sit distincta realiter a creatura?

Complemus tractatum de creatione, inquirendo: *an relatio creaturae ad Deum sit distincta realiter a creatura?* Doctor II. D. I. q. IV. n. 21. quaesito respondet: « relatio ad Deum communis omni creaturae est idem realiter fundamento, non tamen idem formaliter, nec praecise idem, sive non idem identitate adaequata; ita quod fundamentum sit tantum relatio formaliter. »

Primum, seu *non distinctio realis* sic ostenditur. Illud quod proprie inest alicui et sine quo hoc concipi non potest absque contradictione, est ei idem realiter: atqui relatio ad Deum proprie inest creaturae et sine ea est impossibile creaturam concipere: ergo non distinguuntur realiter. Declaratur argumentum: eorum, quae realiter distinguuntur, unum rationabiliter potest esse prius, vel posterius altero: atqui creatura nequit concipi rationabiliter prior, vel posterior sua relatione ad Deum: concipitur enim relatio quasi affectio intrinsece modificans totum esse rei. Huiusmodi relatio igitur repugnat ut sit aliud ab ipsa creatura. Videas ibidem n. 21. 22. 23. quatuor instantias contra praefata solutas.

Secundum, seu *distinctio formalis* sic ostenditur: quae-

quumque includunt aliam et aliam rationem cum fundamento intrinseco, formaliter distinguuntur: atqui creaturae *esse* et relatio ad Deum includunt aliam et aliam rationem, sicut fundamentum et relatio: ergo ea distinguuntur formaliter.

Object. Ex doctrina praeposita sequeretur creaturarum essentias esse quid universale relativum: quod est absurdum.

Resp. Dist. antec. Esse quid relativum denominative, conc.; essentialiter, neg. Vel sic: esse quid fundans generaliter relationem hanc, conc.; esse simpliciter relationem, neg. Idest, essentiae rerum non constituuntur per relationem; sed quoniam ipsae sunt a Deo, nequeunt separari a relatione; cum qua necessario concipiuntur et sic denominative dicuntur ad Deum; quia *creatura* Creatorem necessario infert.

CAPUT II.

De principiis corporum.

Universum sensibile ex variis constat naturis: et quoniam est philosophi causas rerum inquirere, de illarum principiis constitutivis est hic agendum. Ex variis autem systematibus prius falsa rejiciemus, ut dein scholasticorum de materia et forma seu hylemorphismum stabiliamus.

ARTICULUS I.

Varia systemata de corporum constitutione.

Systemata quae circa principia corporum habentur, ad quatuor vel quinque reducuntur; scilicet, ad atomismum, ad systema dynamicum, ad atomismum dynamicum, ad atomismum chimicum et ad systema scholasticorum.

Atomismus tuetur omnia corpora componi ex atomis, vel ex moleculis (1), quae etiam particulae primigeniae appellantur et simul ex motu atomis insito: illae quamvis sint insecabiles, nihilominus in se habent partes extra partes, quibus extensum constituunt per motum, vel attractionem copulatis simul. Adest tamen differentia inter veteres et inter recentes atomistas; quia primi, ducibus Empedocle, Democrito, Epicuro et Leucippo, tuebantur atomos fuisse improductas, aeternas, independentes, numero infinitas, diversisque figuris exornatas, ut ad invicem uniri possent: recentes vero, inter quos eminent Gassendus, Newtonus, Cartesius et Secchi, dum rejiciunt aeternitatem, improductionem et infinitatem atomorum, retinent tamen naturam intrinsecam earum cum motu. Atomismus dici solet etiam *systema mechanicum,* quia ejus fautores nonnisi motum mechanicum atomis tribuunt.

Systema dinamicum, seu etiam entium simplicium in-

(1) Differunt stricte loquendo; nam *atomus* est minima particula corporis *simplicis*, quae ultra dividi in alias particulas ejusdem speciei nequit; unde ipsa vox *atomus. Molecula* vero est minima particula corporis *compositi,* quae etc. Exemplo sint *atomus auri* et *molecula aquae.* Verum ad rem philosophice inspiciendam nil refert.

ventum ***quasi per lusum*** a Leibnitio, ut ipse in ***Epist. ad Pfaffium*** confessus est, tamquam principia corporum posuit ***monades,*** quae sunt entia simplicia, numero infinitae non solum in universo, sed etiam in quolibet corpore, dissimiles, spatium minime occupantes, perceptione quadam, obscura tamen et appetitione fruentes.

Quoniam autem in hoc systemate non pauca absurda patebant, disciputi et admiratores hujus philosophi non parum illud modificati sunt et, retentis monadibus, quidam pro apperceptione et appetitione posuerunt ***vim motricem,*** ut Wolfius; alii pro infinitate, apperceptione et appetitione, posuerunt finitatem, vim attractivam et repulsivam, ut Boschovich.

Systema atomico-dynamicum invexit atomos et activitatem ipsis essentialiter inditam tamquam corporum principia: et convenit cum atomismo in prima parte; differt autem in secunda parte, ponens pro motu activitatem essentialem, seu tamquam partem cum atomis concurrentem ad essentiam complendam corporum. Vide Henricum Martin, *Phil. spirit. de la Nat.*

Atomismus chimicus corpora in simplicia et composita distinguit. Prima vocantur quae constant tantum elementis homogeneis, seu ejusdem naturae; v. g. ferrum, hydrogenium etc. Composita vero dicuntur quae ex elementis heterogeneis conflantur, seu diversae naturae. Elementa hujusmodi divisa praebent atomos, vel moleculas: atomi, si simplex corpus constituunt, dicuntur *integrantes;* si compositum, dicuntur *constituentes.* Verum elementa haec non uniuntur nisi ex vi sibi insita, quae generaliter *attractio molecularis* appellatur: et particulariter dicitur *cohaesio,* si atomos integrantes uniat, *affinitas* chimica,

si uniat atomos constituentes (1). Inter fautores hujus systematis P. Romanus, Tongiorgi et alii enumerantur.

HYLEMORPHISMUS. Scholastici elementa a principiis corporum optime distinguentes, dicunt elementa esse principia particularia corporum mixtorum, prout sunt in rerum natura physice inspecta; v. g. hydrogenium et oxygenium relate ad aquam. Vocant autem principia ea quae corpus essentialiter constituunt. Haec ad duo pro quolibet composito reducuntur, quorum unum passibile et determinabile *materiam* appellant, alterum autem actuans et determinans appellant *formam*. Plenius autem de hoc posterius.

ARTICULUS II.

Falsa systemata refutantur.

Quoniam, si dynamismum excipias, sententiae hylemorphismo contrariae in summa conveniunt, idest in atomis et motu, vel vi, confutatio una et altera propositione peragitur.

Prop. I. DYNAMISMUS INEPTUS EST AD CORPORUM NATURAM EXPLICANDAM. Vide Doctorem II. D. II. q. IX. n. 10. et *Paris.* II. D. X. q. I. n. 4.

Prob. Principia proportionari debent composito; ita ut si huic contrarientur, repugnaret tamquam illius principia assignari. Atqui monades contrariantur corpori: corpora enim sunt aliquid extensum, materiale et crassum; contra, monades, perceptio, appetitio et ipsa vis

(1) Ab utraque distinguitur *adhaesio*, qua plura elementa nonnisi *accidentaliter* uniuntur.

sunt quid simplex, seu inextensum. Ergo repugnat has assignari tamquam principia illius: et quemadmodum simplex et simplex substantia nequit praebere compositum materiale ita neque monades et monades, quamquam infinitae concipiuntur. *Item,* corpora omnia extensione ditantur, quae a principiis rei promanat et sine quà juxta naturales nulla evolvitur vis physica. Sed monades non sunt extensae. Ergo nequeunt dare extensionem, neque idèo evolutionem virium. Si ergo uniuntur, vel ita junguntur ut nullum vacuum intersit, ut vult Leibnitius; vel vacuum ponitur, ut vult Boschovich. Atqui in primo omnes monades in unicum punctum coalescerent et sic nonnisi apparens extensio exurgeret: in altero casu praeterea deficeret unitas vera et continuatio integralis compositi.

Absurditas praecipue patet in Leibnitii sententia, tum quia infinitum actu numero dari asserit, cui addi adhuc possit, sicut additur pars et pars corpori cum crescit: tum quia perceptio et appetitio non solum tribuerentur rebus viventibus, sed etiam non viventibus: ex quo concludere liceret mineralia et plantas et bruta nonnisi gradibus differre, non autem sua intrinseca ratione.

Prop. II. Systema atomicum, chimicum et atomico-dynamicum non valent resolvere quaestionem de principiis corporum.

Prob. Scientia physica et chimica sola via experimentali procedunt ens mobile considerantes: physica quidem jam corpora constituta praesupponit, ejusque munus est considerare de motu mechanico, acustico, calorico, optico, magnetico et electrico: scientia autem chimica inquirit quidem de elementis, sed eo sub respectu, idest,

ex quibus elementis corpora oriuntur et in quae resolvantur, prout cadunt sub sensus: non ergo ex quibus *statice,* seu ex quibus actu constent (licet proprietates mechanicas indaget) sub ratione essentiae, quae rationi apparet intrinsecus requirenti sub tegumento materialium. Ergo etc.

Praeterea plus et minus non mutat speciem quando agitur de essentialibus. Atqui atomi vel moleculae, in quas resolvitur analysis physica et chimica, sunt revera corpora, licet parva; quod est accidentale. Ergo systema chimicum et atomicum non resolvunt quaestionem de principiis essentialibus corporum.

Neque id evaditur in systemate chimico: de corpore simplici patet ex supra positis: de composito item patet; quia moleculae et atomi sunt jam *corpuscola.* Praeterea non concipitur quomodo elementa praecipue heterogenea in unum, non per accidens seu mixtum, sed *per se* tale, qualia sunt multa composita, coalescunt, nisi ponatur quoddam tertium transformans elementa illa in novum corpus. Deficiente hoc, elementa manebunt mixta, non autem transformata: v. g. posito hydrogenio et oxygenio, habebitur mixtio sola. Accedente autem puta scintilla electrica, habetur aqua, novum scilicet cum suis legibus etc. Ergo novum aliquod principium etiam est ponendum, quam sint moleculae cum viribus affinitatis etc. Tanto magis, quia vires transformatae non manent in novo composito; per aliquod ergo novum et positivum: secus de se redirent ad pristinum statum.

Item. Corpora non accidentaliter, sed essentialiter differunt: non ergo solum ratione cohaesionis et affinitatis intensioris et remissioris, sed etiam proprietatibus et na-

tura: hinc aliae et aliae sunt naturae et proprietates ignis, aquae, lapidis, mercurii, etc. etc. Unde sic: Ratio differentiae substantialis non potest deduci ab accidentali. Atqui motus et vires ipsae sive cohaesionis, sive affinitatis differunt tantum in accidentali. Ergo non potest inveniri in eis ratio differentiae essentialis rerum corporearum. Minor probatur; quia vires cohaesionis sunt ejusdem rationis; nec tamen ejusdem rationis sunt corpora simplicia: vel si differentia poni queat, haec erit in majori vel minori gradu attractionis: item vires affinitatis divisim consideratae, differunt perinde ac vires cohaesionis, quia eadem est ratio: relate autem ad vires oppositas, differunt item accidentaliter solum: quia unire elementa homogenea vel heterogenea, est accidentaliter diversum, cum in utroque casu agatur de sola unione elementorum materialium. Idem patet esse dicendum de motu atomistarum.

Neque adversarii recurrant ad diversitatem essentialem inter atomos et atomos et inter vires et vires, vel motum et motum. Nam differentia haec non potest poni ex parte virium; quia nulla videtur adesse hujus ratio, cum ad uniendas atomos sufficiat vis unius rationis magis et minus remissa pro varietate rerum: non ex parte atomorum; quia atomi sunt similes et simile nequit dare differens. Si enim ab adversariis atomi dicerentur dissimiles essentialiter, quaerimus ab illis, undenam illa essentialis dissimilitudo habeatur. Haec enim intelligi non potest nisi quatenus atomi quibusdam principiis essentialiter diversis constent; quae ideo erunt principia, non autem atomi. Ratio, quia si atomi non constarent ex his principiis, essent ad invicem primo et essentialiter differentes; ideoque in nullo convenientes. Atqui atomi non sunt

primo et essentialiter diversae, quia omnia corpora his constantia, dum essentialiter in parte differunt, in altera parte essentialiter conveniunt. Recursus ideo adversariorum non suffragatur eis. Systema igitur tum atomicum, tum chymicum, tum atomico-dynamicum nequeunt legitime dare vera corporum principia.

Nota. Non desunt auctores qui tuentur systema atomico-dynamicum convenire substantialiter cum systemate scholasticorum: vires enim in eo ponuntur differentes essentialiter, dum sibi commune habent posse unire et uniri. In hoc igitur et habetur materia in atomis et forma in vi. Respondemus: Accedit quidem ad hylemorphismum, sed non solvit propositum, quia 1° *atomi* ipsae sunt ***corpora*** etsi minutissima, et 2° ***vires de se concipiuntur ut accidentale quid,*** exigens substantiam cui ut ***subjecto praesupposito*** inhaereant.

ARTICULUS III.

Hylemorphismus scholasticorum exponitur.

Scholastici in quolibet corpore duo principia recognoscunt, quorum unum est per modum determinabilis et communis, alterum vero per modum determinantis et specificantis: primum, ut dictum est, vocant ***materiam,*** alterum vero *formam.* Certum est enim omnia corpora in aliquo convenire, in alio autem differre, utrumque intrinsece: duo igitur certe principia horum assignare oportet, unum generale, specificum alterum. Inter utrumque vero non accidentalis, sed essentialis est differentia; amboque, utpote substantiae incompletae, per reciprocam

unionem tertium quoddam substantialiter unum et completum constituunt; quae unio naturaliter fit, quia secundum se tota principia haec in unionem reciprocam tendunt; si enim incompletum per se tendit ad id per quod completur, sic materia in formam et forma in materiam inclinatur.

MATERIA a Philosopho 2. *Phys.* et 5. *Met.* et a Doctore II. D. XII. q. I. n. 2. definitur: ***subjectum primum uniuscujusque ex quo fit aliquid, cum insit et non secundum accidens.*** Dicitur ***subjectum*** quia materia est receptiva formae tamquam perficientis in suo perfectibili. Dicitur ***uniuscujusque*** corporis, quia materia est principium omnibus corporibus commune. Additur ***primum*** quia determinabile et commune prius est natura determinante et non communi. ***Ex quo fit aliquid*** innuit veri principii rationem materiae convenire; verum nonnisi passivi. ***Cum insit*** significat materiam manere in composito jam constituto; contra privationem, quae, adveniente forma, recedit a subjecto: de hac dicetur in fine. Cetera innuunt materiam principium esse consubstantiale, non vero accidentale.

FORMAE definitio ex IV. D. XI. q. III. n. 43. sic praebetur: ***actus primus, formalis, substantialis unum per se cum materia constituens.*** Dicitur *actus* quia forma est quae determinat et perficit et a qua radicaliter est omnis activitas in composito. Dicitur *primus* quia primo determinat et facit ut compositum sit. *Formalis* magis ac magis designat compositum, specificans illud et constituens in determinata specie. Cetera designant ex his principiis non fieri unum per accidens, sed unum per se.

MATERIA a scholasticis distinguitur in PRIMAM et SECUNDAM. Secunda ea dicitur, quae est actu in composito

sub forma: neque enim principia in composito dispereunt, sed essentialiter manent. Si vero materia consideretur abstracte, seu in se ut praecisa a forma et quasi in se subsistens, dicitur prima.

De materia PRIMA Aristoteles 7. *Met.* c. 3. agens scribit: materia ***non est quid, nec quantum, nec quale, nec aliquid eorum quibus ens determinatur, sed horum omnium est commune subjectum.*** Ex quibus verbis S. Augustinus deduxit quod materia sit ***prope nihilum.*** Quidam non recte haec verba interpretantes, ita extenuant materiae notionem, ut eam resolvant in mere aliquid potentiale objectivum. Contra quos Doctor II. D. XII. q. I. n. 10. arguit docens materiam esse verum ens positivum, reale, in potentia, sed vere subjectiva ad hoc ut terminetur: quia enim debet aliquid efformare reale et positivum, nonnisi aliquid reale et positivum sit oportet. Caeterum, si pura potentia objectiva foret, quonam modo a Philosopho diceretur subjectum *quanti, qualis* etc.? « Sicut enim quando albedo de potentia objectiva redit ad actum, non propter hoc fit in albedine realis compositio, sic cum ex igne in potentia fit ignis in actu, nulla erit compositio: et ideo ponens materiam solum in potentia objectiva et non subjectiva, negat omnem rationem Philosophi de materia » (ibi). Vide et *Metaph.* VII. q. V.

Quomodo ergo verba Augustini sunt interpretanda? Respondemus materiam esse *prope nihil, nec quale* etc. relate ad physicum compositum: idest, ipsa de se non pertinet ad determinatam speciem, cum ad hanc per formam determinetur; nec esse principium activum et originans qualitates etc., sed esse quid mere passivum in potentia ad indefinitas formas, a quibus afficitur et mille

modis quasi plasmatur, sicut lutum in manu figuli. Ibidem q. II. n. 7.

MATERIA ET FORMA SUNT PER SE ET PRIMO DIVERSAE, ita ut in nullo conveniant, ut docet Doctor ibidem n. 16. Quod sic ostenditur: « actus et potentia quae sunt principia entis, sunt primo diversa: materia et forma sunt hujusmodi: ergo. Si enim (forma) esset ejusdem rationis cum materia, non competeret sibi dare esse; et si materia esset ejusdem rationis cum forma, non competeret sibi recipere esse. Si etiam aliquid formae includeretur in materia, forma quantum ad hoc non esset nata recipi, sed magis recipere, et sic forma non esset primum receptum, sed aliquid ejus esset non receptum, sed receptivum: eodem modo si aliquid materiae esset inclusum in forma, ipsa non esset primo receptiva, sed recepta quantum ad aliquid sui: sic igitur sunt omnino alterius rationis et primo diversa inter se. » Hinc etiam datur intelligi quomodo formae variae et differentes sint oportet; secus enim repugnaret has posse diversimode determinare materiam. Ratio autem hujus diversitatis rationabiliter reddi non potest alia, nisi haec, quia haec forma est haec forma; quemadmodum ratio diversitatis inter materiam et formam non alia est quam ista, quia haec est materia et illa est forma. Neque mirum id; cum ultimarum rationum nulla alia sit ratio, nisi natura et Dei voluntas; et principia differentiae in se differentia formaliter sint oporteat.

Notamus item cum Doctore ibidem n. 16. quod ad unionem aliquorum habendam quo magis aliqua sunt diversa, eo magis ordinantur per se ad unum per se constituendum; dummodo in se ad id habeant dispositiones.

Patet in anima relate ad corpus. Licet ergo materia et forma sint admodum ab invicem diversae, tamen quoniam potentia de se ordinatur ad actum et actus ad potentiam ut eam perficiat, suapte natura habent ordinem reciprocum. Vide et *Seraphicum* II. D. III. p. I. a. I.

Tandem pauca dicenda sunt de PRIVATIONE quae tamquam *tertium principium* a scholasticis consideratur. Si res considerentur in facto *esse,* duo tantum praememorata principia inveniuntur: si vero considerentur in *fieri,* praeterea est ponenda privatio formae, ad quam fit transitus: sic autem ostenditur: in efformatione vel transformatione rerum est transitus ab uno ad alium statum: atqui id supponit carentiam formae ad quam est potentia; et cum carentia hujusmodi dicatur privatio, privatio etiam tamquam principium habendum est. Tamen ex eodem (ibi n. 19.) est sciendum privationem esse principium per accidens; seu, ut clarius loquitur in *Rer. Princ.* q. I. n. 2., principium potius *fiendi* quam *essendi;* ideoque *negative* esse principium. « In genere generabilium et corruptibilium ponimus tria principia, materiam, formam et privationem, quae quamvis sint tria secundum rationem, sunt tamen duo secundum rem, eo quod realiter privatio educitur cum materia, ut patet circa finem l. I. *Physic. Text.* c. 59. et 66. Unde privatio est principium fiendi, non vero essendi; materia enim et forma esse rei generalis constituunt. » Confer. et Thom. praecipue *De Princip. Nat. ad f. Sylv.*

ARTICULUS IV.

Hylemorphismus demonstratur.

Praecedentibus articulis, praesertim tertio, licet satis probatum videatur scholasticorum systema, ob ingens tamen hujus momentum, operae praetium est hoc loco ex professo demonstrationem peragere. Sit itaque

Prop. MATERIA ET FORMA SUNT PRINCIPIA CONSTITUTIVA CORPORUM. Vide Doctorem *Sent.* ibid. et q. IX. *De Rer. Princ.* a n. 26.

Prob. In systemate scholasticorum ponitur et principium quoddam commune, quod materia dicitur, et alterum principium quoddam determinans et specificans, quod forma nominatur. Atqui in rerum corporearum natura revera invenitur quoddam principium commune, in quo scilicet omnia conveniunt et est determinabile, et alterum determinans et specificans. Ergo in quolibet corpore invenitur materia et forma. Minor sic declaratur: « Mundus est vere unus... hoc autem unum non est, nisi partes ejus sint ad invicem ligatae: inter sese autem sunt distinctae: ergo oportet ut in aliquo uniantur, quantum eorum natura potest pati. Cum igitur per formam non uniantur, sed distinguantur, oportet quod haec sit materia omnino prima » (Ib. *Rer. Princ.*).

Item: materiam ingredi compositum in confesso est apud omnes; secus repugnaret res corporeas dici materiales: sed et formam ingredi compositum item patet; nam res nequirent differre substantialiter, nisi praeterea aliud principium consubstantiale coassumatur, differentiam hanc afferens, quod audit forma.

Praeterea in transformationibus non fit annihilatio, sed tantum transitus ab esse ad aliud novum, manente aliquo communi: novum hoc autem non potest esse accidens, sed substantia, cum quoddam novum substantiale producatur. Ergo duo substantialia principia in quolibet corpore concurrunt, commune unum, alterum specificans, quae sunt materia et forma.

Tandem sic argue. Illud systema circa principia corporum est tenendum, quod praebet rationem adaequatam omnium quae in corpore inveniuntur. Atqui tale est systema Scholae. Ergo ipsum est tenendum. Minor probatur. In re corporea invenitur et passivitas et activitas, quantitas et qualitas, unitas et varietas substantialis. Hae autem passiones nequeunt ab eodem principio esse, quia repugnat unum principium tam diversa, imo opposita producere: duo igitur principia sunt ponenda, unum a quo est passivitas, quantitas et unitas seu communitas; et hoc est materia; alterum a quo est activitas, qualitas et substantialis varietas; et hoc est forma.

Objectiones.

Object. I. Principia constitutiva corporum prout a scholasticis traduntur, non solvunt quaestionem de mixtis. Systema ergo eorum rejiciendum est.

Resp. Neg. antec. Scholastici enim optime distinguunt simplices mixtiones a corporibus compositis per se tamen unis. In prioribus enim non est necessaria specialis forma, cum varia constitutiva eorum maneant et in composito, et in eis sola alteratio fiat, seu mutatio accidentalis. In

alteris autem cum mutatio substantialis fiat, requiritur forma substantialis transmutans elementa in quoddam tertium. Neque enim primitiva elementa, ut alibi dictum est, per simplicem approximationem praeter alterationem, aliquam patiuntur substantialem transmutationem, nisi sit quoddam potens agens illam inducens; sicut patet in hydrogenio et oxigenio simpliciter mixtis, quin per vim aliquam convertantur in aliud per inductionem formae aquae eductae de potentia materiae. Quemadmodum igitur invenitur forma corporis simplicis, sic invenitur compositorum forma, quae est ratio totius activitatis in eis. Id magis declaratur, quia in novo composito, v. g. in aqua, non manent eaedem qualitates elementorum, hydrogenii et oxigenii: et si aliquando manere videntur, erunt similes, non autem eaedem prioribus; quia quae inveniuntur in novo composito, sunt a nova forma: nisi forsan agatur de his quae sequuntur aliquid extraneum essentiae et principiis essentiam constituentibus. Vide II. D. XV. n. 8. Imo etsi concedatur in composito vires moleculares manere, tamen ipsae manent sub forma; alteratae igitur diversimode secundum quod forma est forma alicujus corporis simplicis vel compositi.

Object. II. Ex decompositione mixti habentur eadem elementa et qualitates quae ante compositionem; v. g. ex hydrogenio et oxigenio habetur aqua, et ex hujus rursus analysi habentur praememorata elementa et qualitates. Id autem bene explicatur in systemate chimico, non autem in systemate Scholae.

Resp. Neg. min. Ea enim quae dicuntur in objectione accidere, explicantur in nostra sententia optime, quia materia secunda non est immediate se habens ad omnes

formas; sed ad quasdam immediate, ad alias autem mediate. In mutationibus ergo substantialibus primo est necessaria eductio formae immediatae, inde per aliam transmutationem educitur mediata etc. etc. Vide ibidem n. 6. et IV. D. XLIII. q. III. n. 20.

Object. III. Principia corporum debent esse sensibilia et palpabilia, quia physica. Sed materia prima et forma scholasticorum non sunt hujusmodi et potiusquam physicae, sunt aliquod metaphysicum et abstractum, vel melius quid logicum.

Resp. Dist. major. Debent esse in ordine corporeo, conc.; debent esse quid palpabile sicut accidit in physicis experimentis, neg. Dist. min. Non sunt palpabiles materialiter, conc.; non sunt fundatae in physica rerum natura, neg.: negatur item materiam et formam esse quid mere logicum: et negatur consequens. Jam innuimus alibi praesentem quaestionem non posse resolvi per sola physica experimenta; agitur enim de principiis essentialibus, quae exacte nonnisi a metaphysico intrinsecus rem perscrutante, deteguntur. Verum haec perscrutatio non est arbitraria, imo naturae ipsi innixa, sicut patuit superius in exponendo et confirmando systemate Scholae.

ARTICULUS V.

An materia prima possit stare absque omni forma?

Quaesitum dupliciter potest intelligi, an id fieri possit naturaliter, an supernaturaliter? *Naturaliter* id non posse accidere, sententia est communis; et res manifesta est: quia natura de se respuit imperfectum, ideoque natura-

liter appetit id per quod perficitur: perfectio autem naturalis materiae est forma: ergo sine hac illa naturaliter stare non potest. Videas II. D. XII. q. II.

Discordantia exurgit, si in ordine *supernaturali* quaestio pertractetur. Thomistae negant, scotistae vero affirmant.

Prop. DE POTENTIA DEI ABSOLUTA MATERIA POTEST STARE ABSQUE OMNI FORMA. Est Doctoris ibidem et alibi.

Prob. Absolutum distinctum realiter et prius alio absoluto, sine contradictione potest stare absque alio absoluto. Atqui materia est ens absolutum distinctum et prius qualibet forma. Ergo absolute materia potest stare sine omni forma. Major declaratur sic: in ea ponitur *absolutum* ad excludendum relativum; quia in relativis res claudicaret: ponitur *prius* ad excludendam simultatem originis; quia in hac includitur etiam simultas correlativorum. Minor item patet: materiam esse quid absolutum constat, quia facit compositionem realem et absolutum; quod et de forma est dicendum: materiam item esse priorem forma, saltem natura et origine, manifestum est; quia est receptiva formae et ejus fundamentum: receptivum autem et fundamentum prius est recepto etc. *Item,* « quidquid Deus absolutum facit in creaturis mediante causa secunda, potest facere sine illa causa secunda, quae non est de essentia materiae causati. Sed forma est causa secunda, quae non est de essentia materiae inquantum materia est, mediante qua Deus dat esse materiae. Ergo Deus sine illa potest facere materiam. Quod autem forma non sit de essentia materiae, patet, quia aliter adveniente alia et alia forma, esset alia et alia essentia materiae » (ibi).

Objectio. Forma est actus materiae: atqui nihil stare potest sine suo actu: ergo neque materia sine forma.

Resp. Dist. maj. Forma est actus specificus materiae, conc.; est actus materiae essentialis et entitativus, quo materia est materia, neg. Dist. item min. Nihil stat sine suo actu entitativo, conc.; sine actu specifico, subdist.: naturaliter, conc.; supernaturaliter, neg. Materia, ut dictum est, ens est positivum aliud a forma; cujus esse non est a forma, sed a Deo acceptum in creatione. Forma igitur non potest dici actus materiae, nisi specificus.

ARTICULUS VI.

De eductione formarum de potentia materiae.

In corruptionibus transmutationes fiunt, per quas unum specie compositum transit in novum per inductionem novae formae. Inquiritur a scholasticis, undenam haec educatur? Respondent: de potentia materiae. De hoc in praesenti est agendum.

Pro quo *sciendum* duplicis esse generis formas: una invenitur scilicet anima humana, quae in agere et in esse est independens a corpore, tum quia in praecipuis suis operationibus non utitur organo physico, tum quia etiam post fatum corporis naturaliter est ei superstes; ideoque in sua origine a materia intrinsece dependere non potest, de cujus potentia igitur educi repugnat. Caeterae autem formae inferiores, cum et in esse et in agere a materia dependeant, extra quam naturaliter stare non possunt, de potentia materiae educuntur. De ipsis enim dicitur quod a materia dependent ut subjecto *ex quo* et *in quo, in esse, fieri et conservari.* Dicitur ut subjecto *ex*

quo, quia materia passive saltem concurrit, ut ex ipsa educantur formae. *In quo* sibi vult formam semper in materia recipi: cetera manifesta sunt.

Si ex materiae potentia formae educuntur, ergo in ipsa continentur. Verum non actu; secus cum sit in potentia ad indefinitas, actu in indefinitis compositis eadem numero materia inveniretur; eas ergo continet solum virtualiter et potentia (II. D. XVIII. n. 4. et VII. *Metaph.* q. XII. n. 3. 4.) Scilicet ex ordine naturae a Deo materiae indito, materia fit apta ad hoc, ut dum agens naturale per vim suam transmutat compositum (cujus formam destruit), ab ea educatur forma novi compositi vi ejusdem agentis.

IN EDUCTIONE IDEO TRIA OCCURRUNT, *primum,* agens quod vi et activitate sua destruit prius compositum, ut novum exurgat: *secundum,* forma educta vel educenda: *tertium,* materia; quorum primum solummodo est principium activum. Optime res explanatur per comparationem desumptam a productione artificialium; forma enim v. g. statuae educitur de materia lapidea, vel lignea, in qua potentialiter continebatur: eductio hujusmodi autem tribuitur agenti tamquam primario, materiae vero ut mere passivo. His praestitutis, sit propositio:

Prop. FORMAE MATERIALES EDUCUNTUR DE POTENTIA MATERIAE. Est Doctoris ibid.

Prob. Illud dicitur educi de potentia materiae, ut dictum est, quod et in esse et in fieri et in conservari dependet a materia: atqui hujusmodi sunt formae materiales: ergo educuntur de potentia materiae. Prob. min. de *esse* et *fieri:* quia educuntur per vim agentis creati: agens autem creatum semper indiget aliquo in quod agat: istud igitur vel materia, vel forma esse potest:

at non forma; quia forma vetus non perseverat; id autem a quo dicitur aliquid educi, intelligitur perseverare: patet in exemplo statuae; nam statua Herculis educitur de massa marmoris, non vero de figura aliqua in marmore praeexistente, quae perit: educitur ergo de potentia materiae. Quoad *conservari* res plana est.

Nota. A S. Bonaventura II. D. XVIII. art. I. q. III. materiae vis quaedam tribuitur active concurrens cum agente ad formas novas educendas, quam vocat *rationem seminalem*. Verum ab Angelico et a Subtili II. D. XVIII. n. 4. et VII. *Metaph*. q. XII. et ab Halensi I. p. q. XXI. m. V. a. II. vis haec rejicitur, cum non rectum videatur activitatem materiae tribuere. Videas ibidem D. VII. p. II. a. II. q. I. ubi Seraphicus multa de hac quaestione pertractat.

ARTICULUS VII.

De composito in se et de essentia corporis.

Materia et forma ita inter sese connectuntur, ut unum quoddam tertium, quod *compositum* appellant, constituant. Quomodo autem haec principia in unum per se coalescant, videas in art. III.

De composito hic tantum inquiritur, *an distinguatur realiter a suis partibus?* Quidam negant: verum Doctor III. D. II. q. II. n. 7. cum suis affirmat distingui.

Prop. Compositum realiter distinguitur a suis partibus. Est Doctoris ibi.

Prob. Causae realiter distinguuntur a suo causato. Atqui materia et forma sunt causae compositi: ergo ab eo realiter distinguuntur. Pro declaratione majoris videas

Metaph. Generalem C. VI. art. I.; pro declaratione minoris autem recole ibidem Cap. VII. art. XIV.

Praeterea in corruptione aliquando manet tum forma, tum materia vel quod est loco materiae; v. g. in morte hominis manet anima, quae est forma, et manet corpus, quod est loco materiae; nec tamen ullimode manet homo, ut homo est. Partes ergo non sunt realiter compositum; a quo ideo realiter distinguuntur.

Tandem compositi sunt aliae et aliae qualitates et proprietates, quam partium. Ergo compositum est aliud a partibus.

Pro solutione objectorum *nota* nos agere de partibus et toto non materialiter inspectis, sed formaliter.

DE ESSENTIA CORPORIS physici scias quod quemadmodum in metaphysicis nec genus solum, nec sola differentia essentiam metaphysicam constituunt, ita in physica rerum constitutione non sola requiritur materia, sed etiam forma; in quarum ideo unione essentia corporis reponenda est. Id facile profluit a principiis positis. Verum sicut inter recentes recessum est a Scholae doctrina circa essentialia constitutiva corporum, sic et in tradenda eorumdem essentia. Quapropter relicta *Lockii doctrina* reponentis hujusmodi essentiam *in collectione et aggregatione omnium qualitatum,* de qua videas Metaph. Generalem Cap. IX. art. II.; hic solum considerationi subjicimus *Cartesii et Malebranchii sententiam* tuentium corporis essentiam reponendam esse in trina dimensione.

Prop. ESSENTIA CORPORIS NON EST SITA IN TRINA DIMENSIONE. Est Doctoris v. *Metaph.* q. VI. n. 16.

Prob. Essentia ita est propria alicujus naturae, ut convenire nequeat enti alterius speciei. Atqui trina di-

mensio convenit non soli corpori, sed etiam corporum receptaculis, idest, spatio et loco. Ergo trina dimensio nequit constituere corporis essentiam. *Item* trina dimensio est modus quantitatis; ideoque accidens accidentis. Atqui essentia corporis est quid absolutum substantiale. Ergo etc. Amplius quae sunt realiter idem, iisdem subsunt phasibus: atqui trina dimensio aliquando alteratur, nec tamen mutatur essentia corporis; v. g. lapis ex quadrato fieri potest rotundus, nec tamen essentia lapidis mutatur. Ergo etc. *Tandem* essentia debet esse ratio omnium quae in constituto continentur. Sed trina dimensio non est talis; quia per eam v. g. non explicantur vis, qualitates, varietas, etc. etc. Essentia igitur corporis non potest reponi in trina dimensione.

Nota. Dum scholastici denegant essentiam corporis a trina dimensione constitui, asserunt tamen hanc exigi a corpore et esse ejusdem physicam proprietatem ratione materiae, quemadmodum vires, qualitates etc. sunt in composito ratione formae (IV. D. XII. q. II. n. 10.).

CAPUT III.

De proprietatibus corporum.

Naturae nomine designantur non solum principia rerum essentialia, sed etiam vis insita rebus ex similibus similia procreans, quaeque principium est motus. Postquam igitur primum expendimus, secundum examinare fas est; quod proprietates corporum complectitur.

ARTICULUS I.

De proprietatibus corporum in genere.

Dicuntur corporum *proprietates* hae affectiones, quae intelliguntur profluere ab essentia corporis. Quae triplicis generis esse possunt; quaedam enim verius a materia, quaedam autem a forma et quaedam tandem verius a toto composito derivant, quae etiam proprius passiones *totius* appellantur. A materia tamquam proprietas emanat quantitas; cui tamquam modi referuntur *impenetrabilitas et figura* et tamquam receptaculum, *locus*. A forma profluit ut proprium *vis* in genere; quae in *attractivam* et *intrinsecam* et in *repulsivam* et *extrinsecam* partitur; cuique *motus* subjicitur. A composito autem profluunt virtutes particulares, quibus corporum variae species ab Auctore naturae donatae sunt (1).

In tractatu praesenti hunc ordinem sequemur: *imprimis* sermo erit de proprietatibus materiae, seu de quantitate, deque his quae quantitatem sequuntur: *secundo*, de proprietatibus quae verius a forma profluunt: *tandem* de his proprietatibus peragemus quae verius sunt compositi.

In antecessum autem notamus Lockium proprietates corporum generales distinxisse in *primarias* et *secundarias*. Vocat hic philosophus primarias soliditatem, figuram, extensionem, motum, quietem, etc.; secundarias vero colores, sapores, odores et alia hujusmodi. De earum

(1) De anima *humana*, ejusque *specificis* proprietatibus et facultatibus agetur in Psychologia.

objectivitate disputatur inter auctores: quidam enim cum Lockio autumant solas primarias objectivitate gaudere; *secundarias* autem esse *affectiones subjecti;* quibus ideo in re nihil respondet. Alii cum Hobbes et Berkeley sine distinctione proprietates *omnes* inter *affectiones subjectivas* reponunt. Tandem multi alii cum Leibnitio post Scholae doctores *tum primarias, tum secundarias objectivas proprietates* corporum profitentur. Quam opinionem amplectimur.

Prop. PROPRIETATES TUM PRIMARIAE, TUM SECUNDARIAE VERA OBJECTIVITATE POLLENT. Vide VIII. *Metaph.* q. I. n. 8. et alibi passim.

Prob. I. pars. Ad alicujus entis objectivitatem requiritur, ut ipsum revera taliter sit in re, qualiter apparet intellectui et sensibus. Atqui ita se habent proprietates *primariae:* nam dubitare de reali soliditate, figura, extensione, motu, quiete etc. nemo sana mente utens, potest; secus potius verberibus quam verbis foret convincendus.

Prob. II. pars. Si nihil in re responderet proprietatibus *secundariis*, nulla ex parte rerum requireretur conditio ad harum perceptionem habendam. Atqui hoc est falsum. Ergo etiam in proprietatibus secundariis agnoscenda est *aliqua realitas et objectivitas.* Minor patet: quia revera nisi in liquido v. g. sint dispositiones intrinsecae afficientes palatum et linguam dulcedine, inaniter quis niteretur degustare dulcedinem; nisi simul cum radiis lucis in corpore inveniantur variae dispositiones, invanum oculus colores cum suis varietatibus inquireret: nisi in aquam calor prius immittatur, invanum niteremur calefieri aqua etc. etc. etc.

Diximus in conclusione *aliqua objectivitas;* idest, non

ejusdem rationis ac objectivitas primariarum; cum earum esse non sit, ut ita dicam, tam palpabile, sicut esse aliarum; sed reponitur in resultantia quadam et sensuum et conditionum externarum et dispositionum veram existentiam in objecto habentium. Neque dici potest dispositiones hujusmodi confundi cum substantia ipsa objecti: tum quia eaedem qualitates inveniuntur saepius in objectis substantialiter diversis, v. g. albedo; tum quia, manente eadem substantia, saepius qualitas variatur; v. g. vinum ex dulci fieri potest acescens etc.

ARTICULUS II.

De essentia quantitatis.

Quantitas dicitur ea proprietas corporum per quam corpora metiri possumus sive extensione, sive numero, vel etiam utroque modo simul.

Hujus divisio tradita est in Logica Minori, Cap. I. art. VIII. eique non addimus nisi divisionem *molis et virtutis*. Prima ea est, qua proprie corpora metimur: altera dicitur, qua virtutem aliquam extra corpora existentem metiri nitimur; et est propria substantiarum spiritualium (Seraphicus I. D. XIX. p. I. art. un. q. I.).

Tria hoc et sequentibus articulis de quantitate examinanda suscipimus; *primum* de ejus essentia; *secundum*, de ejus distinctione et ideo de separabilitate a substantia; *tertium*, de impenetrabilitate quantitatem sequente.

De primo in scholis quaestio agitatur. Quidam enim eam reponunt *in extensione partium in ordine ad locum*, ut Cartesius (*Les princ. de la phil.*, p. 2. § 9.-13.): quidam, ut non pauci thomistae, *in divisibilitate:* alii tandem *in*

extensione partium in ordine ad se, seu intrinseca, praecisione facta a loco, ut nostrates et multi thomistae.

Prop. I. ESSENTIA QUANTITATIS NON POTEST REPONI IN EXTENSIONE PARTIUM IN ORDINE AD LOCUM. Est Doctoris IV. D. X. q. I. n. 14. et 15.

Prob. In absolutis non est inquirenda ratio formalis in aliquo relativo et extrinseco: atqui quantitas est quid absolutum et rei intrinsecum, extensio autem partium in ordine ad locum est quid relativum et extrinsècum: ergo ratio formalis quantitatis nequit reponi in extensione partium in ordine ad locum. — *Item,* quod jam essentiam constitutam praesupponit, eidem essentiae extraneum censendum est. Atqui relatio ad locum essentiam jam constitutam quantitatis praesupponit; quia nihil ad locum extendi potest, nisi prius extensum sit. Ergo etc.

Prop. II. ESSENTIA QUANTITATIS NON EST SITA IN DIVISIBILITATE. Est Doctoris V. *Metaph.* q. IX. n. 5. et II. D. II. q. IX. n. 17.

Prob. « Divisibilitas est *proprium* quantitatis, sed non quod sit de essentia ejus; quia divisibilitas est respectus: respectus non est de essentia absoluti. *Item* potentia et actus sunt ejusdem generis et dividunt omne ens et ejusdem essentiae: sed dividi non est de essentia quantitatis: quia si sic, omnis quantitas esset actu divisa: ergo nec potentia ad dividi est de ejus essentia. *Item,* dividi non stat cum continuo: ergo non est de ejus essentia; quia continuum, secundum quod continuum, non est divisum; quia da quod sic, tunc non est continuum: sequitur ultra: ergo nec potentia, quia etiam de esse potentiae non est ipsum dividi, quod est terminus ejus » (ibi *Sent.*): scilicet, si esse potentiae et actus sunt ejusdem rationis, quia in

tantum aliquid ad esse reduci potest, in quantum in potentia fuit ad illud esse, pronum est concludere, quod si divisibilitas actualis non est de essentia quantitatis, nec talis est divisibilitas in potentia cujus *dividi* est terminus. *Tandem* divisibilitas non est prima ratio omnium, quae sunt in quantitate, et aliquid praesupponit, ex quo divisibilis quantitas evadat: utrumque patebit in sequenti propositione.

Prop. III. Essentia quantitatis consistit in intrinseca extensione partium, seu in ordine ad se. Est Doctoris iv. ibid. n. 14. ubi haec habet: « positio quae est differentia quantitatis, necessario inest quanto continuo permanente et istam oportet salvari in proposito, scilicet, quae dicit ordinem partium in toto. »

Prob. Quia per extensionem partium ad se ratio redditur omnium, quae in quantitate inveniuntur. Et imprimis redditur ratio *divisibilitatis;* quia ex eo aliquid dicitur divisibile, quia in se habet partes extra partes. Redditur etiam ratio *extensionis,* quae sita est in ordine partium intrinsecarum ad locum. Item *impenetrabilitatis,* quae profluit ex positione partium in loco. Tandem datur ratio *mensurae* eadem de causa. — Quantitas ergo supponit partes quae *ipsum totum* constituunt intrinsece, ex quo dein naturaliter illud constituunt in ordine ad locum: totum ideo fit *quantum* per hoc quia partes praedictae ponuntur una extra aliam.

Cohaeret id doctrinae theologorum circa praesentiam corporis Christi in Eucharistia. Christus enim est ibi praesens cum quantitate corporis sui, quin partes sese compenetrent, licet non sit ibi *circumscriptive* per quantitatem et modum quantitatis, sed per modum substantiae, totus

scilicet in tota specie et in qualibet parte speciei: quod accedit ad *definitivum.*

Objectio. Ratio formalis cunctis eo genere et specie comprehensis convenire debet. Atqui extensio intrinseca partium non convenit quantitati discretae. Ergo non potest constituere rationem formalem quantitatis in genere.

Resp. Dist. min. Non convenit eodem modo, conc.; ullo modo, neg. et neg. cons. Idest, quoniam alia et alia species est continua et discreta, alia et alia pariter est extensio et divisio partium in eis: primae convenit magis dividi et sic extendi; alteri autem minus; verum certum est quod quilibet numerus, etiam unitas, dividi patitur; divisio autem quasdam partes praerequirit: ergo cuilibet quantitati convenit extensio intrinseca partium.

Nota. Auctores disputant, an constitutiva quantitatis sint aliquid extensum, vel non. Quidam negant esse extensum, quia secus quantitatis et eam componentium foret eadem natura. Alii affirmant, quia repugnat a simplici constitui extensum. Rationi autem philosophorum primum tuentium, responderi potest, non repugnare componentia convenire cum composito. Insuper accidens ex Doctore (vide *Metaph.* c. IX. a. V.) ex pluribus non constat: quod et de proprio asserendum videtur et de passionibus rerum.

ARTICULUS III.

De reali distinctione quantitatis a substantia, deque figura.

Praenotamus (vide Metaph. C. IX. art. VI.) arduum esse rationi sibi soli relictae solvere quaesitum de reali distinctione quantitatis continuae a substantia corporea.

Quid enim haec est sine quantitate? in quo entitative differt ab incorporea, cum exigentia aliquid corporeum de se non inferat? Hinc scholastici recursum habent ad venerabile Eucharistiae Sacramentum, in quo quantitas et alia accidentia stant sine subjecto. Secundo *nota* aliud esse exigentiam quantitatis, aliud quantitatem ipsam. Prima a scholasticis designatur tamquam proprietas, altera vero tamquam accidens. Primum patet ex eo, quia si quantitas est accidens et tamen sequitur naturaliter substantiam corpoream, manifestum est saltem exigentiam quantitatis esse proprium materiae; sicut proprietas hominis est risibilitas, non vero ipse actus ridendi.

Prop. QUANTITAS, UTPOTE REALITER DISTINCTA A CORPORE, PER DIVINAM VIRTUTEM SEPARABILIS EST AB EO. Est Doctoris IV. D. XII. q. II.

Prob. Quod diversam habet essentiam, nec est vera passio intrinseca subjecti, separabile est a subjecto. Atqui quantitas habet essentiam aliam a substantia corporea, nec est vera passio intrinseca ejusdem. Ergo per virtutem divinam est separabilis ab illa. Minor patuit in praenotandis. Declaratur ulterius: « quia universaliter omnes passiones demonstratae in tota scientia mathematica, demonstrantur de accidentibus... Patet incipiendo a prima conclusione arithmeticae vel geometriae usque in finem; in tantum quod quaelibet scibilis passio aeque sciretur de eo de quo scitur, si nulla esset substantia corporea in universo: non enim minus triangulus habet tres angulos etc., etsi nulla substantia esset triangularis, nec minus possent tres lineae esse latera trianguli aequilateri, etsi nulla esset substantia subjecta eis » (ibi n. 13.): quod clarius fit quia quantitas potest et acci-

dentibus tribui, eademque reperitur in variis diversi generis substantiis.

Quantitatem sequitur FIGURA, quae sita est in terminatione ejusdem quantitatis et in respectu partium in ordine ad se invicem et ad totum. Figura vere et proprie nonnisi in crystallizatis et viventibus invenitur; in liquidis non est nisi improprie, quia licet in his terminus habeatur, tamen inconstans est et continuo fluens. Item figura diversimode se habet in viventibus et vitae expertibus: quia in his generaliter non assignatur specialis modus terminationis pro varietate formarum nisi in crystallizatis; in plantis autem et in aliis viventibus huiusmodi terminatio adest.

Hinc deducas figuram esse a forma, non autem a materia; nec esse quantitatem, sed affectionem illius. Seu rectius quoad primum, figurae fundamentum esse a materia, a qua quantitas profluit, cujus ipsa est affectio: figura autem, cum variet pro varietate rerum *praecipue viventium*, nonnisi a forma esse potest.

Nota 1°. Figurae determinatae *crystallizatorum* corporum juxta varias combinationes axium reducuntur ad quaedam summa systemata, de quibus vide physicos.

2°. *Reliqua* corpora non viventia non habent figuram determinatam.

3°. Figura vero corporum *artificialium* vel imitatur figuram naturalium, vel sequitur phantasiam artificis.

ARTICULUS IV.

De impenetrabilitate.

Impenetrabilitas dicitur ea corporis proprietas qua unum corpus ratione suae extensionis quantitativae aliud corpus impedit a loco in quo est. Pro cujus rei intellectione distinguas oportet continuitatem quantitatis a poris qui in ea inveniuntur. Impenetrabilitas non habetur nisi relate ad partes actu a corpore occupatas, non autem relate ad poros, in quibus aliud corpus his adaptum adesse potest: vel de eo corpore potest intelligi, quod ratione suae continuitatis aliud corpus ejusdem rationis pati non potest in eodem *ubi*.

Corpora omnia impenetrabilitate gaudere, si praefata attendas, est manifestum experientia. Neque exceptio datur in corporibus subtilioribus relate ad crassiora et ad se invicem; quia apparens compenetratio horum explicatur vel per mixtionem earumdem substantiarum, si de liquidis etc. sit sermo, vel per occupationem parvi spatii relicti a poris, ut dictum est.

Inquirimus autem an fieri queat ut *supernaturaliter* duo corpora sese compenetrent, ita ut idem *ubi* occupent?

Notandum quod quemadmodum a fide desumpta est occasio inquirendi de distinctione quantitatis a substantia, ita de penetrabilitate est dicendum, ex Doctore IV. D. X. q. II. n. 5., « quia philosophi secundum principia sua omnino ponerent repugnantiam inter duo quanta respectu ejusdem *ubi*, sicut albi et nigri respectu ejusdem

subjecti, sicut patet IV. ***Physic.*** cap. *de Vacuo,* quia quantum eo quod quantum expellit aliud ejusdem quantitatis. »

Argumenta desumpta a fide proferuntur a Doctore ibidem D. XLIX. q. XVI. n. 4.; sunt autem: ***primum***, Christum natum esse de Virgine, nec tamen in nascendo laesisse claustra Mariae, quae integra manserunt: ***secundum***, Christum exiisse de clauso sepulchro et item, januis clausis, ad discipulos ingressum esse; quae miracula supponunt corporum penetrabilitatem ex divina virtute.

Argumenta naturalia autem pro thesi sequentia afferuntur a Doctore ibi n. 17. ***Imprimis***, quia non est repugnantia formalis inter quantitatem et quantitatem, nec inter ***ubi*** et ***ubi***, nec inter situm et situm: nam quae sunt ejusdem rationis non necessario ad invicem excluduntur. Absolute igitur hoc quantum simul cum alio quanto stare potest et occupare simul idem ***ubi*** et situm.

Item non repugnat duo habere relationem ad idem; v. g. duo colores ad tertium. Atqui ubilocatio est relatio corporis ad ***ubi,*** ut in art. VII. patebit. Ergo non repugnat simul duo corpora habere actualem relationem ad idem ***ubi*** et sic compenetrari.

Praeterea, impossibilitas quanti et quanti ad idem ***ubi*** reducitur ad impossibilitatem ut causa sit sine suo effectu, qui est expulsio procedens a vi repulsiva quantitatis. Sed, cum causa sit prior omni suo effectu et omne prius naturaliter Deus possit conservare sine posteriori, non est impossibile unum quantum impediri quominus expellat aliud quantum; « et per consequens potest esse quantitas sive dimensio distincta sine distincto situ; sed erunt duo respectus ejusdem situs et per consequens

duo corpora simul possunt esse. » Vide et Angelicum *Quodl.* I. a. 22.

Obiect. In compenetratione duorum corporum auferretur distinctio eorum; et sic fieret ut unum individuum converteretur in aliud: quod est absurdum.

Resp. Dist. antec. Relate ad nos auferretur distinctio etc., trans.; in se, neg. et neg. cons. Distinctio individualis, ut visum est in Metaphysica C. IV. art. VI. et VII., non a quantitate, ut volunt thomistarum quidam, sed a quadam formalitate positiva est, quae differentia individualis et etiam *haecceitas* appellatur. Imo absurditas in objectione contenta neque in sententia thomistarum procederet; quia idem Deus qui facit ut duo quanta se compenetrent, facit etiam sua virtute ut ea distincta permaneant (ibi n. 7.).

Utrum facta miraculosa de Christo D. N. allata possint alio modo explicari, idest absque vera compenetratione corporum, vide ibid. n. 4.

ARTICULUS V.

De loco in genere.

Ut quae de loco dicenda sunt, bene apprehendantur, in antecessum necesse est tria haec distinguere, idest spatium, locum, *ubi*. Dicitur *spatium* receptaculum corporum in genere, in quo ipsa corpora moventur. *Locus* ea pars immobilis spatii dicitur, quae capax est recipiendi corpus. *Ubi* est ea pars loci quae actu occupatur a corpore. V. g. receptaculum contentum tota ea circumferentia, in qua Terra et planetae cum suis satellitibus vagantur, dum gyrum circa Solem complent, dicitur spa-

tium: ea pars spatii, quae continere me potest, quando discedam ab *ubi* in quo ego sum, dicitur locus: qui denominatur *ubi* quando actu corpus hoc, vel illud continet.

Locus a Philosopho et a Doctore II. D. II. q. VI. n. 7. definitur: *superficies ultima et immobilis corporis aliud corpus ambientis.* Definitio haec fundatur in doctrina communi de absentia *vacui* a creatione. Dicitur ergo imprimis locum esse eam superficiem, quae ambit locatum, vel potest ambire locabile; v. g. si sto in media platea, occupo quamdam spatii partem aere repleti vel alia substantia: unus et altera autem in me ambiendo conficiunt quamdam superficiem, et haec est, quae dicitur *locus:* unde etiam additum est *corporis ambientis.* Dicitur *ultima,* idest, quae primo ambit corpus sine interjectione alterius rei: superficies enim ultimum est corporis ambientis et primo tangens superficiem corporis locati. Additur *immobilis,* non quia corpus ambiens non moveatur, sed quia superficies corporis advenientis similiter se habet ac se habuit corporis prioris fluentis; sicut patet in lapide in aquis fluminis immerso. Licet enim locus mutetur, « tamen illa ratio loci succedens, quae est alia a ratione praecedenti secundum veritatem, est eadem praecedenti per aequivalentiam quantum ad motum localem » (n. 8. ibi). Caetera definitionis ex praefatis patent. Vide et Angel. IV. *Phys.* lect. 6.

Contra allatam definitionem videtur esse haec animadversio. In universitate rerum terminus aliquis sit oportet, quia creatio est finita: devenitur ergo ad extremum quoddam ultra quod non licet progredi: corpus igitur quod in hac extremitate invenitur, non posset dici

ex tradita definitione esse in loco, cum desit superficies alterius corporis ambientis. Atqui id est absurdum. Ergo absurda etiam est data definitio.

Respondemus breviter: cum in casu nulla sit superficies corporis ambientis, habetur spatium Universi, vel terminus totius spatii: quod dimetitur a puncto quodam hujus ultimae superficiei, usque ad alterum punctum quodquumque spatii. Idem dicas si unicum extaret corpus in mundo. Videas ibi n. 10. et Halensem II. p. q. XV. m. III.

Ad majorem elucidationem definitionis allatae, sic etiam liceat arguere. Locus nequit esse corpus, vel corporea substantia, quia sic exigeret sui receptaculum et ideo locum: ergo necessario est accidens: sed non accidens rei receptae, quia secus corpus non reciperetur, sed potius sese reciperet per suum accidens: ergo per accidens corporis recipientis, quod situm est in superficie ultima etc. ut dictum est.

Huic definitioni sunt contrarii *Gassendius, Newton, Cartesius* et *Leibnitius*. Primus in *Phys.* l. II. sect. 2. c. I. spatium esse dicit quid aeternum, improductum, independens, quod nec accidens, nec substantia est, sed quidquam incorporeum sui generis, habens simul longitudinem, latitudinem et profunditatem. Alter tuetur in *Enchirid. Metaph.* parte I. (Londini 1671), spatium esse ipsam immensitatem Dei. Et quoniam locus est quaedam spatii pars et quasi species se habet ad illud, ideo quod de spatio ab his philosophis dicitur, idem dicendum de loco. Cartesius in *Princ. de la Phil.* part. II. § 9.-12. tenet, quod quemadmodum essentia corporis suo quidem judicio consistit in trina dimensione, et haec constituit spatium et locum; ita corpora sibi ipsis esse locum. Leibnitius tandem eo

modo quo tempus esse asserit relationem rerum, quatenus una est post alteram, ita ait spatium et locum esse ordinem corporum ad invicem, prout unum est prope aliud vel longe etc.

Contra Gassendium breviter notamus in loci allata notione revera cumulum contineri oppositionum, scilicet esse incorporeum cum trina dimensione, nec accidens, nec substantiam, et tamen corpora recipiens. Item falso et temere spatio tribuitur quod proprium est solius Dei, scilicet aeternitas, improductio et independentia.

Contra Newton item animadvertimus absurdum esse immensitatem Dei constituere receptaculum corporum; quia sic extensa et corporea evaderet divina substantia hac immensitate praedita, cum ejusdem rationis debeat esse et recipiens et receptum.

De Cartesii sententia animadvertimus eam falso inniti fundamento de essentia corporis consistente in trina dimensione; contra quod actum est in Capite praecedenti, articulo VII. Secundo, sequeretur corpus recipere seipsum, seu se in suam essentiam; quod sane est absurdum; quoties enim corpus mutaret locum, in hac opinione exiret de seipso ad seipsum: et quoniam id non potest poni, ponendum foret corpora non moveri.

Benigne tamen interpretari quis potest hanc sententiam secundum doctrinam aristotelicam. Verum non facile.

Tandem *contra Leibnitium* notandum a nobis non posse comprehendi quonam modo corpora ordinata sint et prope vel longe ad invicem, nisi praeconcipiantur esse in quadam parte spatii, seu in loco. Ordo ergo corporum ad invicem non potest constituere locum, utpote huic posterior.

ARTICULUS VI.

De divisione loci et de vacuo.

Locus diversimode patitur DIVIDI; videlicet, in communem et proprium, in naturalem et violentum, in internum et externum, in realem et imaginarium, in circumscriptivum et definitivum.

Dicitur *communis* locus, qui multa corpora continet: v. g. schola relate ad plures discipulos. *Proprius* ille est, qui unicam rem ambit; v. g. locus in quo nunc sto. *Naturalis* appellatur locus in quo locatum naturaliter quiescit; si locus sit contra naturalem dispositionem locati, dicitur *violentus;* exemplum primi habetur in lapide quiescente in valle; exemplum secundi in lapide vi conjecto in aerem. *Externus* est superficies corporis ambientis; *internus* est spatium occupatum actu a corpore. *Realis* est locus, cum realis est superficies ambiens; secus *imaginarius* audit; v. g. locus qui concipitur ab intellectu extra universum. Tandem dicitur *circumscriptivus* locus, quando partes loci respondent partibus locati recepti in loco per modum loci: hic naturaliter corporibus convenit: dicitur *definitivus,* quando locus ita locatum continet, ut hoc sit totum in qualibet parte loci, ideoque in loco non continetur per modum loci; hic naturaliter convenit v. g. substantiis spiritualibus, quae non sunt ubique, sed in aliquo *ubi* necessario debent esse, modo tamen sibi proportionato.

VACUUM ex Doctore IV. D. XLIX. q. XVI. n. 11. « est locus privatus corpore, » non hoc vel illo, sed omni prorsus corpore. An vacuum actualiter in aliqua parte universi

detur, disputatur inter auctores; quidam enim affirmant: ast generaliter scholastici et naturales praecipue moderni negant. Verum doctores Scholae dum denegant vacuum dari, asserunt tamen illud non repugnare ex divina potentia. Pro utraque assertione sequentem propositionem ponimus.

Prop. VACUUM NON DATUR NATURALITER; DARI TAMEN POTEST SUPERNATURALITER. Prima pars est Doctoris ibidem q. XIII. n. 13. Secunda autem est ejusdem ibi D. XLIII. q. V. n. 6. et *Quodl.* XI. n. 7.

Prob. I. pars. Videmus experientia quod statim ac aliqua pars spatii corpore evacuatur, naturaliter et subito aliud corpus subintrat. Hinc illud effatum: natura abhorret a vacuo. Addi potest quod cum aether sit ubique diffusus et subtilissime penetrans, omnem locum occupat, nihil vacuum relinquens, ut asserunt physici. Caeterum nulla videtur esse ratio, qua Deus permiserit vacuum dari contra inclinationem naturae: melius enim est ubique assignare corpora, quam relinquere aliquid inutile.

Prob. II. pars. Ad vacuum habendum requiritur sola evacuatio corporis a loco et simul impedimentum contra corpus tentans replere *ubi* relictum a priore. Atqui primum est facile, ut patet; secundum autem omnipotentiae divinae non videtur impervium, quia virtus infinita potest contra quamlibet virtutem creaturae. Dari ergo potest vacuum quotiesquumque Deo libuerit.

Certum est ex experimentis physicis, puta ex vacuo Torricelli, vacuum *in quodam gradu* dari arte humana. Multo magis ergo id possibile erit virtuti primi agentis et amplius.

Tandem constat ex eo quia Deus quidquid contra-

dictionem non involvit, efficere potest: atqui « non apparet contradictio superficiem concavam esse sine respectu ad aliud corpus ut contentum » (*Quodl.*): ergo, etc.

ARTICULUS VII.

De bilocatione corporum.

Ex mysterio augustissimo Eucharistiae philosophi catholici hanc quaestionem dirimere rationibus naturalibus aggrediuntur, scilicet: an *idem corpus eodem temporis momento reperiri possit pluribus in locis?* Fide enim docemur, Christi corpus realiter contineri in eo venerabili Sacramento; et quoniam hoc simul pluribus in locis etiam dissitis conficitur et asservatur, palam fit Christi corpus simul esse pluribus in locis.

Supervacaneum autem fere putamus animadvertere, hic non agi de ordine naturali et de potentia Dei ordinaria; loquimur ergo de possibilitate in ordine ad divinam omnipotentiam.

Scholastici et omnes catholici affirmant. Verum non conveniunt quoad modum positionis: multi cum thomistis docent non posse duo corpora simul esse in pluribus locis circumscriptive, sed tantum in uno loco *circumscriptive,* in alio autem *definitive:* scotistae autem cum Suarez et aliis multis utrumque possibile asserunt, idest, posse esse in pluribus etiam *circumscriptive.*

Nota autem ex Doctore IV. D. X. q. II. capacitatem praesentiae corporis in loco esse relationem, non tamen intrinsecus advenientem, sed extrinsecus (cfr. Logica Min. C. I. a. VIII.). Ratio primi de relatione in genere constat;

nam praesentia de se infert et corpus et locum in reciproca relatione. Ratio secundi de non intrinsecus, etc. item patet, quia potest poni simul corpus et locus, quin relatio exurgat; v. g. potest esse statua et locus paratus pro ea, nec tamen est relatio realis, usque dum statua collocatur. Ratio tertii consequitur ex prioribus.

Item *nota* de affectionibus corporis in ordine ad *ubi*, quod docemur effato scotistico: *quae sunt priora* ubi, *non variantur ad variationem* ubi. Scilicet, quae non dependent ab ubi et a relatione ad illud, non variantur, sed manent; v. g. esse vivum, vel mortuum, esse sanum vel aegrotum, etc., quoniam absolute corpus respiciunt, manent, ubicumque corpus ponitur. Caetera vero variantur prout variatur *ubi;* v. g. si corpus est Florentiae et simul Romae, item simul erit prope diversa, prout diversa sunt in his civitatibus locum utrumque afficientia.

Ex quo *inferes:* sicut ego existens in uno loco recipere possem eamdem formam a duobus agentibus mihi approximatis, sic ipsam in pluribus locis existens ab iisdem possem recipere; v. g. ignis qui est Romae et Florentiae agere possent in me perinde ac si ambo Romae essent. Et ratione contrariorum, sicut corpus in uno *ubi* existens potest se habere ad diversa *ubi* in ratione activi, sic si diversis in locis extaret, se haberet ad diversa *ubi*, quasi haec essent approximata sibi in uno loco existenti: v. g. ego possem Romae videre Pontificem et Florentiae regem. His praenotatis, sit propositio.

Prop. Idem corpus ex virtute divina non repugnat etiam circumscriptive esse in pluribus locis. Est Doctoris ibidem.

Prob. « Patet ex intellectu terminorum. Cum enim

dico, idem corpus simul esse localiter in diversis locis, nihil dico super hoc corpus, nisi quemdam respectum extrinsecus advenientem fundatum in uno quanto ad aliud quantum circumscribens. Respectum autem talem plurificari super idem fundamentum ad diversos terminos, non apparet contra aliquod notum secundum rationem; quia respectus intrinsecus advenientes, de quibus minus videtur, possunt plurificari, fundamento eodem manente, ad diversos terminos; ut super eamdem albedinem possunt duae similitudines fundari ad duos terminos; » multo igitur magis id verum erit in respectibus seu relationibus extrinsecus advenientibus et praecipue ad *ubi:* « vix enim, animadvertit Doctor ibidem, est aliqua habitudo accidentalior suo fundamento, quam sit *ubi*..... et tamen in aliis habitudinibus non ita proterve asseritur impossibilitas plurificationis habitudinum circa idem fundamentum. »

Contra thomistas autem *notamus* cum Doctore ibidem n. 9. facilius esse idem corpus esse circumscriptive in pluribus locis, quam in uno circumscriptive, in alio autem definitive; quia ad hoc duplex miraculum requiritur: idest, et praesentia in pluribus locis (en primum) et diversitas quoad modum essendi in uno loco et in alio; ad quod requiritur virtus infinita Dei suspendens in alterutro *ubi* praesentiam circumscriptivam, ad quam de se corpus ordinatur; en miraculum alterum. Concludimus ergo quod « ubiquumque potest Deus facere substantiam naturalem non sub modo suo naturali, vel sub modo sibi opposito, potest eam facere sub modo suo naturali seu convenienti suae naturae. » Caeterum si per circumscriptionem totum corpus ita esset in loco, ut repugnaret similiter esse alibi,

quia extra totum nihil est, repugnaret utique eadem ratione simul esse alibi etiam definitive, quia etiam in definitione totum corpus invenitur in aliquo *ubi*, etsi desit commensuratio partium ad locum. Consentit Seraph. IV. D. X. p. I. q. II. III.

OJECTIONES.

Objectio I. Circumscribi et definiri a loco, est ita determinari a loco, ut extra illum non possit existere. Est ergo contradictio manifesta circumscribi et definiri et tamen posse existere extra circumscribens et definiens.

Resp. Dist. antec. Id verum esse de ordine naturae, conc.; absoluta necessitate, neg. et neg. cons. Ad quod scire oportet descriptiones rerum semper dari ex ordinario modo essendi ipsarum rerum, non autem est necesse innuere id quod ex absoluta potentia Dei eis accidere potest. Ita in casu.

Objectio II. Si idem corpus posset esse in pluribus locis, sequeretur illud esse posse v. g. in uno loco calidum, in alio autem frigidum: imo fieri posset ut idem corpus sibi ipsi occurreret: quod repugnat.

Resp. Dist. Id repugnat, si agatur de his qualitatibus quae absolutae vocantur, conc.; si agatur de relativis ad locum, neg. Quid sibi haec velint, dictum est in praenotandis. Nunc autem applicando ad casum dicimus, repugnare idem corpus simul frigidum et calidum esse posse. quia frigus et calor sunt quid corpori intrinsecum, quando sunt. Contra, non repugnaret Florentiae deambulare et Romae quiescere; quia in deambulatione mutatur relatio ad *ubi*, quae accidere potest Florentiae, quin accidat

Romae. Ex quo etiam datur intelligi quomodo idem corpus sibi occurreret; idest occurreret sibi mutando continuo relationem ad *ubi* diversa et ad invicem proximiora, donec relatio terminet ad idem *ubi*.

Objectio III. Saltem, ut contradictio manifesta removeatur, recursus habendus erit ad sententiam thomistarum, ponendo in alio loco idem corpus non posse esse nisi definitive; et id ex ratione contenta in objectione prima.

Resp. Negando; cujus ratio allata est in fine articuli et hic declaratur magis. Si id concederetur, sequeretur absoluta impotentia in entibus creatis, etiam spiritualibus, essendi simul in pluribus locis. Ratio, quia circumscribi et definiri solum differunt accidentaliter, non vero substantialiter; seu non ratione relationis ad locum, sed in modo relationis: primum enim quia physicas partes supponit cum commensuratione earum ad locum, naturaliter per praesentiam locum metitur: alterum vel quia partes physicas negat, vel si eas supponit, negat commensurationem, idcirco locum physice non metitur, ideoque neque apparet. Exemplum hujus secundi habetur in spiritualibus substantiis pro prima hypothesi de carentia partium physicarum, et in venerabili Eucharistiae Sacramento pro secunda hypothesi; inibi enim Christi corpus est praesens; verum non metitur locum, licet sit in eo *ubi,* in quo sunt species. Jamvero pro sola differentia accidentali non licet ponere possibilitatem in uno et impossibilitatem in altero. Idem ergo est dicendum de *definiri* et de *circumscribi.* Seu si impossibile est me esse praesentem Florentiae et Romae circumscriptive, impossibile foret et Angelo definitive; quia revera totus Angelus est in hoc *ubi.*

ARTICULUS VIII.

De motu in genere.

Motus sine viribus non est possibilis; ab his enim est, illisque subjicitur.

Virium multiplex divisio habetur: sed praecipua est in vires mechanicas, physicas et chimicas. Vires mechanicae sunt, quae corpus in motum impellunt ex impulsu quodam extrinseco eidem communicato. Physicae dicuntur, quae causant phoenomena physica, seu accidentales mutationes corporum. Chimicae illae appellantur, quibus corpora prope se posita tendunt ad sese vicissim alterandum et ad novas combinationes substantiales efficiendas.

Motus a Philosopho 3. *Physic. Text.* 6. et a Doctore *Quodl.* III. n. 7. definitur: ***Actus entis in potentia, secundum quod in potentia:*** quae sic declaratur ibid. Dicitur *actus*, quia motus includit actum jam positum et perseverantem adhuc in esse. Ast motus non solum actum dicit, quia tunc statim cessaret, actu habito; dicit ideo assequutionem alicujus finis, in quo quiescit et ad quem ideo motus est *in potentia.* Quod clarius exponitur in II. D. II. q. IX. n. 37. Cum dicitur « quod omne quod movetur partim est in termino *a quo* et partim in termino *ad quem*, verum est, si sit tale mobile, ex cujus ratione sit successio motus: tale enim mobile est secundum partem et partem sui in termino et in termino et non ita solum, sed secundum idem sui est partim in termino uno et partim in alio, hoc est in aliquo medio non quiescendo. Sed in quantum est aliquid utriusque, hoc est in quantum est per quod tendit

ab uno in alterum, hoc est dictu, quod est sub mutatione et sub aliquo subjacente mutationi et sic continuat partes motus. » Dicitur terminus *a quo* ubi inchoatur motus; dicitur *ad quem* ubi motus terminat.

Motus multipliciter DIVIDITUR; et *imprimis* in motum ad quantitatem et qualitatem, ad *ubi* et ad substantiam. *Motus ad quantitatem* est ille, per quem acquiritur vel amittitur pars aliqua quantitatis; v. g. motus quo puer crescit et senex decrescit: in quarum prima hypothesi appellatur *accretionis,* in altero vero *diminutionis.* Motus est *ad qualitatem* per quem quis adipiscitur vel deperdit aliquam qualitatem vel in toto vel in parte; sicut v. g. cum corpus de albo fit nigrum, vel de albo in primo gradu ascendit usque ad gradum decimum, vel viceversa: hujusmodi motus dicitur *alteratio,* quia facit subjectum *alterum.* Motus *ad ubi* ille dicitur, per quem corpus novum locum occupat; v. g. cum homo de domo exit in plateam: motus hic vocatur *localis.* Tandem dicitur motus *ad substantiam* per quem nova substantia producitur; qui dicitur generatio et corruptio; de quibus postea in particulari.

Secundo, motus dividitur in naturalem, violentum, et medium seu neutrum; in simplicem et compositum, in directum et reflexum, in velocem et tardum, in regularem et irregularem, in instantaneum et successivum, etc. Dicitur *naturalis* motus qui proficiscitur a principio intrinseco mobilis et est secundum dispositionem suae naturae: v. g. motus lapidis descendentis deorsum. Dicitur *violentus,* qui est a principio extrinseco et contra naturalem mobilis conditionem; v. g. motus lapidis ascendentis sursum per vim impulsivam hominis. *Neuter* dicitur, qui

in parte est contra et in parte juxta inclinationem naturae; v. g. descensus lapidis quando dejicitur ab homine (vide II. D. XVIII. n. 5.). *Simplex* est motus, qui ab unica virtute movente procedit; v. g. motus lapidis descendentis ex sui simplici inclinatione: dicitur autem *compositus*, si a duplici virtute procedat; v. g. lapis deorsum conjectus. Motus est *directus* si a puncto ad punctum directe dirigatur; est *reflexus* si a puncto in quem prius dirigitur, retro inde grediatur; v. g. radius solis directus in speculum et a speculo inde in intuentium oculos conversus. *Regularis* est si similiter perseverat in actu; e contra, *irregularis* evadit. Tandem dicitur *successivus*, si finem assequatur paullatim; dicitur *instantaneus*, qui eumdem finem in instanti assequitur; v. g. in morte, in vita, in creatione, etc. Motus vere instantaneus nonnisi improprie audit motus. Quid sibi velit *velox* et *tardus* patet.

ARTICULUS IX.

De motu in genere quaestiones.

Primum quod inquiritur de motu, distinctionem ejus a movente, mobili et termino ad quem, respicit: videtur enim ille cum his idem esse: verum cum Doctore in II. D. I. q. V. statuitur:

Prop. MOTUS REALITER DISTINGUITUR A MOVENTE, MOBILI ET TERMINO AD QUEM.

Prob. I. pars, scilicet de *movente.* Causa realiter ab effectu distinguitur. Atqui movens est causa motus. Ergo realiter ab eo distinguitur.

Prob. II. pars, idest, de *mobili:* quod esse potest sine

alterius existentia, est aliud ab eo. Sed mobile, seu subjectum potest extare sine motu, quia non semper movetur, saltem non necessario. Ergo etc.

Prob. III. pars, seu de *termino*. Motus formaliter obtinet, antequam terminus *ad quem* obtineatur; hic enim consistit in assequutione finis motus; qua assequutione obtenta, motus ipse ipso facto cessat. Atqui in his continentur omnia signa realis distinctionis. Ergo etc.

Secundo quaeritur, undenam differentia specifica et numerica motus sit desumenda? Antequam responsum praebeamus, revocandum est, quatuor esse species motus, idest, ad substantiam, ad quantitatem, ad qualitatem et ad *ubi*, de quibus superius: ceteras divisiones allatas non species, sed motus modificationes esse, facile ad unam, vel ad alteram ex quatuor memoratis resolubiles.

Prop. I. DISTINCTIO SPECIFICA MOTUS DESUMITUR A TERMINO *ad quem*. Est Doctoris I. D. XIII. n. 2. et III. D. XIV. q. I. n. 6.

Prob. Distinctio specifica ab eo desumitur, a quo habetur diversitas speciei. Atqui haec in motu habetur a termino *ad quem*. Ergo ab eo desumitur etc. Minor patet discurrendo per quatuor motus species; nam ex eo dicitur generatio esse alius motus ac alteratio, quia in generatione terminus ad quem est substantia, in alteratione autem qualitas: idem in motu ad *ubi* et ad quantitatem accidit. Imo accidere potest ut duo numero motus terminum unum habeant; e contra, unus duplicem terminum: et tamen in primo casu nullus invenit duplicem speciem, sed unam tantum; in altero autem quilibet duas species admittat oportet. Exemplum primi in generatione invenies, in qua duplex motus, maris scilicet et foeminae, ad

unum generatum terminat, quin inter utrumque differentia formalis habeatur. Alterius exemplum videas in calore, cujus terminus aliquando potest esse et calefactio, quae est motus ad qualitatem, et simul rarefactio, quae est motus ad quantitatem vel ad *ubi*. Vel etiam pro hoc secundo insisti potest in ipsa generatione, in qua per eumdem motum generativum praeter generatum, habetur etiam alteratio, ideoque novus specie motus.

Prop. II. Differentia numerica motus habetur ab unitate mobilis, termini et temporis simul. Est Doctoris in v. *Physic. Text.* 34.

Nota. Diximus *simul;* ita ut si unum vel alterum etiam solum multiplicetur, eo ipso et differentia numerica motus multiplicatur. Item nota tempus hic sumi etiam pro instanti, si agitur de motu instantaneo.

Prob. Ab his unitas numerica est, sine quibus ea non obtinet. Atqui sine unitate mobilis, termini et temporis simul, praefata unitas non obtinet. Ergo etc. Minor exemplis apparet. V. g. unus est motus lapidis conjecti deorsum, quia unum est mobile, scilicet lapis, unus est terminus *a quo* et *ad quem*, et unum, quia continuum, tempus. E contra, motus arboris ad suam quantitatem, non unus est numero, quia in hieme tempus interrumpitur, etsi idem sit mobile, idem terminus *ad quem*, qui est debita quantitas.

Tertia quaestio est, an sit verum in sua universalitate illud effatum a Philosopho 7. *Phys. Text.* I. et 8. *Phys. Text.* 29. sic expressum: *quidquid movetur ab alio movetur?*

Ad hujus solutionem *nota* praeter motum physicum, v. g. rerum ad suas formas, dari etiam motum *intentionalem*, v. g. potentiarum in sua objecta et etiam *emana-*

tivum, v. g. passionum ab essentia. In quaesito includitur intentionalis et emanativus, et praecipue physicus motus.

Item *nota,* a nobis *moveri* non usurpari solum modo passivo, quia ut sic res patet, sed in genere pro omni eo quod est in motu.

Tertio tandem *nota* non inquiri hic de prima omnium causa, a qua omnia mundana sunt, idéoque, ut sic, et motus; neque de necessitate concursus divini, sed de effato in ordine ad causas secundas.

Asserimus *non esse* universaliter verum quod *quidquid movetur ab alio movetur:* I. quia multa in se habent principium proprii motus, v. g. viventia; II. quia forma de se et ab intrinseco activa est; III. quia facilius est posse movere se, quam aliud: et tamen multa movent aliud a se. Antecedens patet, quia nihil potest aliud movere, nisi prius concipiatur esse in motu intrinseco.

Coronidis instar adduntur motus *proprietates,* quae sunt: unitas, contrarietas, inceptio, desitio, continuitas, successio, tarditas, vel velocitas etc. Quid autem hae sibi velint, patet. De *contrarietate* solum notamus eam repetendam esse a termino; v. g. terminus calefactionis est contrarius termino frigefactionis etc.

Object. contra III. Philosophi ex principio aristotelico ab existentia motus deducunt existentiam primi moventis immobilis, nempe Dei. Hoc autem irrationabiliter deduceretur, laeso eo principio, sicut in opposita opinione efficitur. Ergo illud universaliter intactum manere oportet.

Resp. Dist. major. Ex motu sub ratione causalitatis deducunt philosophi etc., conc.; ex motu sub tali ratione, neg. Si motus formaliter consideretur, ex facto quod quaedam ab alio moventur, nihil aliud concludere

licebit, nisi quod adest movens non motum: hoc autem esse Deum, non concluditur proprie ex motu, sed ratione causalitatis, quatenus scilicet res considerantur ut effectus, in quo includitur quidam motus ratione productionis.

ARTICULUS X.

De motu in particulari. De motu ad substantiam.

Motus ad substantiam est *generatio* et *corruptio*.

Generatio tripliciter sumitur; primo, *late*, pro quaquumque productione, non excluso accidente; quo sensu idea dicitur generari ab intellectu: secundo, *proprie* et *stricte* pro productione viventis a vivente: tertio, modo quodam medio *minus proprie* pro productione substantiae in genere, sive haec sit animata, sive non. De generatione primo modo accepta non curamus, quia non est rigorose loquendo generatio; de generatione secundo modo postea acturi sumus, ubi de viventibus; solum ergo de generatione tertio modo accepta est hic considerandum.

Haec a Philosopho 1. *De Gener.* et a Doctore IV. D. XI. q. I. n. 2. definitur: *mutatio totius in totum, nullo sensibili remanente subjecto eodem.* Cum dicitur *totius* intelligitur de composito; quia materia, quatenus talis, non mutatur; et tamen in generatione aliud compositum exurgit. Caetera verba significant quod cum in generatione nova substantia adsit, ideo statim ac novum subjectum est, prius perit. « Generatio, scribit Doctor, est transmutatio totius in totum, quia illud totum ex partibus, quod fuit vere totum, scilicet per se unum, non

manet, sed aliud totum succedit; non tamen quaelibet pars succedit, quia materia manet communis » (ibi).

In generatione duplex extat terminus, scilicet *quo* et *qui*. Terminus *quo* est forma physica; et taliter denominatur, quia ea mediante, novum compositum constituitur. Terminus *qui* est ipsum substantiale compositum ex materia et forma constans: ratio hujus denominationis manifesta est; quia patet compositum esse id *quod* producitur (I. D. III. q. VI. n. 34.).

Duo de generatione a Doctore docentur: *primum*, ibidem D. I. q. II. n. 11. eam esse et mutationem simul et productionem: « ut est mutatio, est forma subjecti mutati; ut est productio, est termini producti ut via. » Ratio desumitur ex genere ejus, quod est motus, et ex differentia adjecta, qua ad speciem determinatur. Declaratio a Doctore data expositione non indiget.

Secundum, ex II. D. II. q. IX. n. 31: generationem esse mutationem instantaneam. Idem habetur in I. D. XXVII. q. III. n. 8. et ibi D. V. q. II. n. 2. et 11. Sic autem demonstratur: in successivis forma inducenda paulatim ingreditur subjectum, ita ut quodam in instanti utraque forma in parte sit in composito; v. g. in aquae calefactione, cum vix calor ingredi aquam incipit. Atqui repugnat duas formas substantiales esse simul in composito non viventi, quae non sunt partes cujusdam totius integralis. Ergo repugnat generationem esse motum successivum: ratione igitur contrariorum, ipsa erit in instanti. Ratio minoris est, quia secus compositum idem simul ad duas species pertineret in generatione aequivoca, vel foret simul duo individua in generatione univoca; cum omnia in eo habeantur requisita ad differen-

tiam specificam et numericam, idest duae formae, ideoque duo composita.

Quae adjecta sunt in minori, *quae non sunt* etc. declarant naturam illorum compositorum, quae pluribus formis constant, ut sunt corpora animalium constantia ex carne et ossibus: volunt enim scotistarum quidam in casu praeter formam totius corporis, ut corpus, esse etiam formas memoratarum partium, alterius tamen rationis et *formae totius* subordinatas.

Etsi solum compositum vere generetur, tamen et materia et forma generari dicuntur: verum, materia ex VII. *Metaph.* q. X. n. 3. et 4. tantum *denominative,* ratione subjecti cui inest; forma autem *terminative,* quia ea mediante terminatur subjectum, ut dictum est.

Generatio alia est *creata,* alia *increata:* haec solius Dei est propria; illa solius creaturae. Creata subdividitur in generationem *viventium* et *non viventium,* prout agitur vel de generatione vitae expertium, vel de generatione vitam habentium. Item dividitur in partialem et totalem et in univocam et aequivocam. *Partialis* ea est, in qua sola pars compositi generatur; v. g. solum corpus sine anima, ut accidit in hominibus: *totalis* ea est, qua totum producitur. *Univoca* dicitur, in qua productum est ejusdem rationis et naturae cum generante; v. g. ignis et ignis, homo et homo; si sunt rationis et naturae diversae, generatio dicitur *aequivoca;* v. g. generatio fumi ab igne.

Generationi CORRUPTIO opponitur, quae definitur: *mutatio qua aliquid transit ab esse totius substantialis in non esse ejusdem rationis, manente subjecto seu parte materiali ipsius.* Quemadmodum enim in generatione totum producitur, quod compositum audit, ita in corruptione

totum quoddam destruitur, manente tamen eadem materia (VIII. *Metaph.* q. I. n. 4.). Recole etiam II. D. XIX. n. 3. 4. et XV. n. 9.

De corruptione solum exponimus effatum notissimum in schola: ***corruptio unius est generatio alterius.*** Pro quo nota naturaliter non posse dari materiam sine forma: materiam item non corrumpi, sed alterari ratione mutationis in forma. Posito ergo recessu unius formae a subjecto, necessario subingreditur forma nova, novum compositum cum materia constituens. Verum corruptio, ut patet, non est causa formalis et per se generationis, cum repugnet defectum positive ad effectum positivum concurrere: est igitur tantum causa concomitans et per accidens; dum causa per se et vera est agens seu generans (II. D. I. q. III. n. 21.).

ARTICULUS XI.

De aliis speciebus motus.

De motu ad quantitatem. Motus ad quantitatem nihil aliud est, quam *augmentatio* et *diminutio:* quae tripliciter sumitur; *latissime, late* et *proprie.* Primo modo sumitur, cum extenditur etiam ad spiritum: quo in casu obtinet motus ad quantitatem virtutis: secundo modo, cum extenditur etiam ad non viventia: tertio modo, cum ea coarctatur ad entia vita praedita. Sumpta lato modo augmentatio definitur: *transitus a minori quantitate ad majorem:* sumpta vero proprie: *motus vitalis a virtute vegetante ortus, per quem vivens ad debitam quantitatem pervenit.*

Diminutio opposita e contra definitur: amissio partium quantitatis.

Dari in rerum natura motum ad quantitatem, omnino certum est; praecipue autem in viventibus. Imo in ipsa accretione et decretione quantitatis viventia continuo mutant antiquam substantiam, novam inde acquirendo: ita ut post tempus aliquod totum corpus renovetur. Hinc quaeritur, an idem semper perseveret individuum? Si agatur de substantia in individuo existente, certum est eam partim et ita paulatim ex toto mutari: ast si agatur de individuo, ipsum idem manet; quia nova pars incorporatur vel identificatur cum partibus manentibus. Id autem in sententia thomistarum circa principium individuationis: quia in sententia nostrae Scholae res planior est, cum principium praefatum in alio statuatur a substantia et quantitate. Recole Metaphysicam Generalem Cap. IV. art. V. VI. VII. Vide etiam Doctorem IV. D. XLIV. q. I.

De motu ad qualitatem. Motus ad qualitatem idem est cum *alteratione;* quae definitur: ***motus per quem res accidentaliter fit altera.*** Proprie et stricte haec solum de corporalibus dicitur, quia solum corporalia qualitates acquirunt per motum: quoniam autem qualitates etiam a substantiis spiritualibus acquiruntur, per similitudinem inter utrumque modum acquisitionis, motus etiam ad illas transfertur.

Alteratio in perfectivam et corruptivam dividitur. *Perfectiva* ea est, per quam subjectum perficitur; dicitur *corruptiva,* per quam res a qualitate sibi conveniente transit ad non convenientem.

Alteratio secus ac generatio fit per motum successivum, ut innuit Doctor VI. *Physic.* q. VI. Ratio, quia in

alterationibus resistentia invenitur, quae non vincitur in instanti.

Proprietates alterationis sunt *intensio* et *remissio* ex VIII. *Metaph.* q. VIII., quae fit per additionem gradus ad gradum, vel per eorum subtractionem (I. D. XVII. q. V.).

DE MOTU LOCALI. Motus localis est *transitus a loco ad locum.* De origine hujus dicimus, hunc procedere vel a vi extrinseca impellente, sicut accidit in lapide vi projecto; vel ab aliqua virtute intrinseca, sicut praecipue manifestatur in viventibus.

ARTICULUS XII.

De tempore.

TEMPUS sequitur motum, cujus est mensura; et a scholasticis post Aristotelem definitur: *numerus, seu mensura motus secundum prius et posterius* (V. *Metaph.* q. VIII. n. 2.). Cum enim in motu sit quaedam successio, idest initium, progressus et terminus, habetur etiam quoddam *prius* et *posterius,* ideoque etiam commensuratio, in qua repósita est ratio formalis temporis.

Tempus est aliquid *reale,* quia realis est motus, cujus est mensura. In hoc nulla datur disceptatio auctorum.

Verum quaestio inter eos agitatur *de distinctione inter tempus et motum:* quidam sunt pro distinctione *reali;* Doctor autem in IV. D. XLVIII. q. II. n. 12. est pro distinctione *formali.* Haec probatur: quod nullimode re est separabile ab alio, ab eo realiter nequit distingui: atqui tempus nullimode potest re separari a motu, cum prius

34

et posterius sint affectiones intrinsecae motus: ergo tempus a motu realiter non distinguitur.

Sed neque distingui possunt sola ratione; nam definitio temporis et definitio motus differunt. Hinc ibidem Doctor scribit: « Tempus ultra motum, ut motus includit propriam successionem, non addit nisi rationem mensurae formaliter et fundamentaliter rationes illas quae requiruntur ad mensurandum. »

Circa realitatem temporis hoc est animadvertendum, cum tempus consistat in continua successione, ejus partem quamdam jam praeteriisse, quamdam futuràm esse, aliam vero esse in actu; quae unitae continuum quoddam efficiunt. Pars autem uniens est *instans* praesens, quod continuo fluit et cui instans immediate futurum succedit. *Vere reale* igitur in tempore nonnisi *instans praesens* habetur. Quod si dicatur ab Aristotele *idem nunc* manere « dico quod non intelligit *nunc* manere idem secundum substantiam, quia oppositum sequitur ex dictis ejus: sed quodquumque unum *nunc* consideratum secundum se est idem et hoc dicitur esse idem secundum substantiam: consideratum autem in ordine ad tempus praeteritum et futurum, cum sit terminus praeteriti et principium futuri, dicitur distinctum secundum esse » (II. D. II. q. II. n. 6.).

Tempus in *commune* et *particulare* dividitur: dicitur commune, quod constituitur ex motu totius systematis Universi: dicitur particulare, quod constituitur ex motu alicujus particularis systemàtis, v. g. solaris. Hoc ultimum subdividitur in *naturale* et *artificiale*, prout vel a natura oritur, v. g. annus, dies, etc., vel arte inducitur, v. g. divisio temporis in epochas, scilicet medii aevi et aevi moderni etc.

Contra praedicta de tempore sunt *Gassendus* et

Newton: primus (*Philos.* sect. I. l. II. c. 3.) docuit tempus esse quid incorporeum, existens etiam ante mundi creationem et extiturum etiamsi in nihilum mundus redigeretur: alter autem (*Ench. Metaph.* p. I., Londini 1671) tuitus est tempus esse ipsam aeternitatem divinam.

Gassendus errat, quia vel nihil esse asserit tempus, vel ipsam aeternitatem Dei: nam ante creationem vel post mundi annihilationem nonnisi Deus ex parte essendi superesset, vel nihilum ex parte non essendi. Ast repugnat tempus esse nihilum, quia quid reale est motus et mensura illius. Ergo restat ut sit aeternitas ipsa divina in sententia Gassendi. Hoc autem esse absurdum, patebit contra Newton. Falsum item est tempus esse incorporeum; quia est mensura corporei, scilicet motus.

Contra Newton notamus in eo differre tempus et aeternitatem, quod illud successionem importat, haec autem omnino respuit; sunt ideo rationis oppositae. Ergo tempus non est, nec esse potest aeternitas.

ARTICULUS XIII.

De aeternitate et aevo.

Duratio, quae est permanentia rei in esse, quasi genus est ad tempus, ad aevum et ad aeternitatem: dividitur enim in durationem Dei et creaturae: et quoniam hae in substantias incorruptibiles et corruptibiles discerpuntur, duplex item ab eis praestatur duratio: quapropter et est duratio propria Dei, quae dicitur *aeternitas,* et duratio incorporalium substantiarum, quae dicitur *aevum,* et duratio corporalium, quae dicitur *tempus.*

Aeternitas proprie dicta definitur a Boetio lib. I. *De Cons.* pr. 6.: *interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio.* Dictum est *proprie dicta* ut excludatur figura, per quam aeternitas dicitur etiam de longa duratione vel cum fine, v. g. longus sermo, vel sine fine, v. g. duratio animae humanae. Dicitur *interminabilis* per quod excluditur terminus tum a parte *ante,* tum a parte *post. Vitae* innuit actualitatem essendi perfectissimo modo, quia vivere perfectissimum est esse. *Tota simul* excludit successionem. *Perfecta possessio* insinuat omnimodam independentiam ab alio in esse aeterno. Haec, ut patet, solius Dei est.

Aevum rigorose sumptum definitur: *duratio rei permanentis et incorruptibilis ab intrinseco, quae tamen ab extrinseco desinere potest. Duratio* est genus. *Rei permanentis* et *incorruptibilis* est differentia et innuitur aevum mensurari per substantiam, quae licet annihilari possit per virtutem Dei et patiatur successionem in qualitatibus, non tamen in suis principiis essentialibus, quae de se perire non possunt et corrumpi. *Ab intrinseco* excludit immortalitatem ex privilegio quae concedi a Deo posset corruptibili creaturae, sicut concessum fuerat homini innocenti. Caetera innuunt nihil esse in mundo quod a Deo absolute nequeat annihilari, ut dictum est.

Colliges ex dictis: *primum,* in aeternitate totum *esse* simul haberi, tum essentiale, tum attributale, cum exclusione accidentium; quia Deus, cujus solius est esse aeternum, utpote purus et simplex actus, totum habet actum cum exclusione cujusquumque accidentis. *Secundum,* in substantiis spiritualibus creatis simul in actu totum esse substantiae haberi, tamen cum dependentia a Deo

et minori perfectione et simul cum successione accidentium, v. g. cogitationum etc. *Tandem* in substantiis materialibus, quoniam omni instanti de se destrui possunt, et motui continuo subjiciuntur, modo crescendo, modo decrescendo, non habetur esse nisi in instanti praesenti, quod insuper semper fluit.

CAPUT IV.

De viventibus seu Biologia.

Corpus hic consideratur sub eo respectu quo ad vitam vegetativam et sensitivam elevatur per animam eidem infusam; unde tractatus praesens praecipua tanget, quae plantas et bruta respiciunt. De vita enim rationali dicemus in Psychologia.

ARTICULUS I.

De anima vegetativa plantarum.

Plantae dicuntur ea corpora quae mediante principio intrinseco, quod anima audit, et mediantibus organis, sese movent motu accretivo, nutritivo et reproductivo in similitudinem naturae. Circa quod principium triplex extat sententia relate ad plantas; prima quorumdam tuentium illud principium esse animam sensitivam, sicut in brutis: secunda huic prorsus opponitur et est eorum qui defendunt principium illud esse quid physicum, sicut in mineralibus: tertia est scholasticorum, qui media via progredientes, plantis nonnisi infimam animam tribuunt,

cujus scilicet vires solum ad augendum, nutriendum et reproducendum ordinantur, quin sese extendant ad sensationem. Vocatur autem *vegetativa* haec anima ratione operationis, quia operatio sequitur esse. Primae sententiae fautor inter veteres ex Clemente Alexandrino l. 8. c. 4. *Strom.* fuit Plato, et inter recentes Robinetus (*De la Nat.*, part. VII. c. 5.) et Bichatus (*Recher. phil.*, p. I. art. I.): secundae sententiae favent epicurei et stoici ex antiquis et Cartesius et alii ex recentibus.

De constitutione viventium corporalium in genere docent biologi, substantiam eorum esse *organicam*, constantem scilicet ex partibus dissimilibus ad determinatas functiones idoneis. Praecipuas autem partes plantarum esse radicem, truncum, ramos, folia, flores, easque ordinari ad nutritionem, elementorum conversionem, augmentationem et reproductionem. Animalia vero praeterea ditari systemate nerveo et organis pro sensatione, cognitione sensitiva et locomotione.

De *structura* organicorum haec habent: Organica *cellulis* constituuntur: cellulae constant membrana ad modum vesiculae et plenae sunt quadam substantia solido-liquida, varia et contrectabili, quam vocant *parenchymum*; conjunctionem vero harum substantiarum *protoplasma* in plantis, *sarcodem* in animalibus. In protoplasmate fere semper reperitur *nucleus* constans ex materia protoplastica condensata et in nucleo nucleoli. Vita cellulae ad tres functiones sese porrigit, idest, ad nutritionem, augmentationem et reproductionem novarum cellularum, sive in eodem, sive ad novum individuum producendum. Varietas magna inter cellulas et cellulas reperitur.

Ex conjunctione cellularum *texturae cellulares* exur-

gunt et evolvuntur prout necesse est ad varios fines obtinendos: ex texturis autem post varias evolutiones integer *organicismus* constituitur, qui usque ad determinatum terminum magnitudinis et figurae protenditur.

Systema nerveum. Hoc in duo distinguitur, in systema *cerebro-spinale* pro vita sensitiva, et *ganglionare* pro vita vegetativa. In quolibet invenitur pars centralis complectens varia centra nervosa; quae pro animalibus est *cerebrum*, pro plantis autem sunt *gangliones* positi in variis partibus. Duplex autem nervorum genus datur, quia aliqui ad sensationes, aliqui vero ad motum ordinantur; amboque generaliter ex medulla spinali egrediuntur per duas *radices* separatas, quarum una *anterior* pro motione, altera vero *posterior* pro sensatione. Medulla spinalis igitur est quasi ligamen intermedium inter cerebrum et nervos, et extenditur ab illo usque ad os sacrum; nervi vero diffunduntur toto corpore.

Cerebrum vel *encephalum* est organum centrale facultatis sensitivae cognitivae et admodum complicatum; in eoque habetur principatus supra reliqua organa; ab ipso enim omnia et ad ipsum omnia profluunt et reducuntur.

Tres sunt virtutis vegetativae operationes, ut dictum est; nutritio scilicet, augmentatio et reproductio. Primae duae continuum fluxum materiae alimentaris peragunt, manente eodem composito, et abeuntibus et simul succedentibus sibi partibus et partibus; non quidem per solam juxtapositionem externam sicut in mineralibus accidit, sed per internam quoque juxta quod necessarium est pro perfectione totius. Materia convertenda sumitur radicibus in plantis, ore autem in animalibus perfectis; convertitur autem per virtutem digestivam vario modo;

per circulationem vero inde diffunditur toto corpore certis et determinatis legibus; opus autem totum completur per respirationem foliis perficiendam in plantis, pulmonibus vero, in animalibus.

Generatio vera est productio novi viventis, quae fit vel per *monogenesim* vel *digenesim*, secundum quod vel non requiritur diversitas sexus, vel requiritur: quaedam enim per simplicem abscissionem vel decisionem ejusdem rei praebere possunt novum individuum; quaedam vero duas cellulas diversi sexus exigunt et quidem sitas in distinctis individuis, si de vita perfecta agatur, vel in eodem individuo, si de imperfecta vita sit sermo.

Organum quo peragitur sensatio, *sensorium* dicitur et dividitur in *internum* et *externum*: utrumque est multiplex, ut loco suo videbimus; priora resident in cerebro, externa vero in superficie corporis. Textura cerebri complicatissima est, in eaque vires quam plurimae aggregantur in usum vitae: hucusque nondum distincte noscuntur varia organa in eo, quae variis facultatibus sensitivis internis, vel saltem functionibus inserviunt. Nervi a cerebro profluunt et cum externis organis facultatis sensitivae colligantur. Hi excitantur in extremis suis partibus per irritationem partam contactu vel pressione, motu alicujus corporis, obscillatione et vibratione aëris vel aetheris: quae excitatio externa suscitat internam quam nervi respectivi perferunt ad cerebrum.

Motus, qui a brutis fiunt, dicuntur spontanei, non liberi, et exercentur mediantibus organis motoriis.

Omnes omnino conveniunt leges physicas et chymicas ingredi functiones sensitivae et vegetativae virtutis, quae ideo etiam illis reguntur. Imo auctor naturae ita con-

struxit organa, ut haec per praefatas leges maxime expedita evadant ad actiones proprias. Verum licetne asserere has operationes posse obtineri solis physicis viribus, sicut accidit in anorganicis? Diximus quosdam ita asserere; contra quos statuimus sequentem propositionem.

Prop. I. In plantis non est sola vis physica, sed verum principium vitale. Est Doctoris passim.

Prob. Organa sunt pro anima, quia vires physicae de se organa non exigunt. Atqui in plantis adsunt organa, sine quibus operationes suas exercere non valent. Ergo in eis non adsunt solae vires physicae, sed praeterea principium vitale.

Item vires physicae perdurant in corpore usque dum hoc in suo esse physico perdurat. Atqui operationes plantarum non perdurant in planta demortua, licet perduret corpus physicum cum suis physicis legibus. Ergo operationes vitales nequeunt repeti a solis viribus physicis.

Praeterea plantae in vegetando suo modo brutis et hominibus assimilantur: sed in his non possunt poni solae vires physicae, ut clarius posteà fiet, quae sint causa motus accretivi etc.: ergo neque in illis.

Item plantae essentialiter differunt ab inferioribus naturis; in his enim non adest tanta unitas sicut in illis; plantae sese quasi aedificant usque ad determinatum gradum evolutionis, formae et figurae; per generationem quamdam reproducuntur etc. etc. Adest igitur in his principium specificans distinctum formaliter ab inferioribus.

Tandem in hac sententia scala universi gradatim ascendit ab infimis usque ad supremum.

In excessum oppositum labuntur *Hylozoistae,* qui non solum plantis, sed cuilibet rei naturali vitam tribuunt, ut

Plato, stoici et neoplatonici inter veteres; et inter recentes Oken, Wundt, Günther. Contra quos valent plura discrimina, facili negotio ex superius dictis eruenda, inter plantas et mineralia.

Prop. II. Anima plantarum non est sensitiva. Passim in Doctore.

Prob. Ubi nulla invenitur dispositio ad sentiendum, neque anima sensitiva invenitur. Atqui in plantis non inveniuntur ullae dispositiones ad sentiendum. Ergo non est in eis anima sensitiva. Patet item experientia, quia si plantae incidantur, nullum signum praebent sensationis: neque pariter habent medium sibi ipsis prospiciendi, cum periculum imminet, etc. etc.

Objectio. Quaedam plantae habentur, quae ad contactum cum alio corpore statim restringuntur, sicut dicitur de herba quae *casta* appellatur. In eo autem manifestatur maxime sensibilitas. Ergo etc.

Resp. Dist. maj. Quae contractio explicatur etiam per animam simpliciter vegetativam, conc.; secus, neg. Ratio enim restrictionis in *casta* non est sensibilitas, sed delicatissima ejus structura; qui effectus ceteroquin videri possunt etiam in non viventibus, sicut patet in plumis avium etiam ab illis avulsis et in tenuissimis auri ducti foliis. Notamus tandem in dispositione universi Deum quamdam creaturam constituisse, quae maxime accederet ad infimam superioris speciei: non est mirum igitur quod in specie viventium, quemadmodum est infimus gradus ad negationem vitae, est etiam gradus perfectus accedens ad sensum.

Corollarium. Ex dictis pronum est deducere animam plantarum esse tantum vegetativam.

Prop. III. Anima plantarum est materialis. Conformior Doctori asserenti hoc de animabus brutorum.

Prob. Anima vegetativa est principium prorsus immersum in materia, ita ut ne infimo quidem modo elevetur supra materiales et crassiores conditiones. Atqui ab operationibus recte arguitur natura operantis. Ergo etc. *Praeterea* anima hujusmodi est quaedam substantia divisibilis fere perinde ac ceterae formae materiales; v. g. si ramus praescindatur et inde in terram defigatur, statim vegetat et fit arbor nova vita et anima propria vivens. Atqui divisibile nequit esse simplex. Ergo anima vegetativa videtur simplex esse non posse.

ARTICULUS II.

De lege continuitatis Leibnitii.

Leibnitius (*N. E.* l. 3. c. 6.), quem Bonnetus (*Princ. Philos.*) sequutus est, animadvertens in qualibet specie rerum sensibilium adesse multa quae proxime accedunt alia ad superiora, alia vero ad inferiora sibi, tuitus est dari quasdam naturas medias utraque ratione formali constantes, quas *species aequivocas* appellat, suumque systema *legem continuitatis* nominat. Huic sententiae contrariantur scholastici, quorum doctrinam tuemur sequenti propositione.

Prop. Lex continuitatis a Leibnitio invecta admitti non potest. Vide I. D. XVII. q. V. n. 7.

Prob. Lex continuitatis fundatur in existentia specierum aequivocarum, seu neutrius speciei. Atqui hae repugnant: nam statim ac in aliqua natura invenitur princi-

pium speciei superioris, etiam in infimo gradu, ad speciem illam pertinet; v. g. statim ac in corpore ponitur anima vegetans infima, vixque innuens vegetabilitatem, statim species vegetans habetur. Ergo etc.

Item essentiae rerum consistunt in indivisibili, ita ut vel totae sunt, vel nullimode. Huic autem principio contrariatur lex continuitatis. Ergo haec admitti non potest.

Praeterea contradictoria simul de eodem dici repugnat. Atqui esse simul vivens et non vivens, sentiens et non sentiens, rationale et non rationale, sunt contradictoria de eodem. Ergo de eodem simul dici repugnat. Ast id asseritur in sententia leibnitiana. Ergo etc.

Tandem res patet si considerentur hae naturae, quae ab adversariis neutrae appellantur: nam polypus verum est animal, quia sensibilitate praeditus, licet sit imperfectissimus et in sui structura simplicissimus. *Casta* in sui structura nihil praesefert sensibile distinctum ab aliis herbis. Imbecilles homines veri sunt homines, etsi perturbata sit phantasia per malam organismi dispositionem.

Objectio. Scholastici non abhorrent ab aequivocis naturis, ut patet in speciebus intermediis in ordinatione praedicamentorum.

Resp. Neg. Scholastici enim in divisione praedicamentorum procedunt more logico, non vero naturali, sicut necesse est procedere quando agitur de distinctione specifica rerum. Differunt ergo naturae seu species neutrae Leibnitii a speciebus mediis scholasticorum.

ARTICULUS III.

De anima sensitiva animalium.

In universali rerum creatarum ordinatione post mineralia et plantas immediatum tenent locum bruta; quae praeter virtutes inferiorum naturarum, superiorem possident, unde et animam specifice altiorem habent.

Anima, qua bruta ditantur, dicitur *sensitiva,* quia per suas facultates et organa objecta externa valet percipere et cognoscere, cognitione tamen infima *sensitiva* appellata, ut ab intellectiva distinguatur. Verum Cartesius arbitratus est animam brutis tribui non posse; et quemadmodum per vires physicas totum opus operationis vegetativae in plantis nisus est explicare, ita et per vires physicas et optimam dispositionem organorum nisus est explicare totum opus operationum in brutis, concludens bruta esse *automata* seu machinas affabre constructas, ideoque perfectius operantia, quam naturae inferiores. Contra e diametro stat Condillachus (*Trait. des anim.,* c. 1. 2.) et alii animam rationalem ipsis tribuentes, etsi ipsam in infimo gradu fateantur contineri. Media via et in hoc scholastici gradiuntur, cum doceant animam brutorum esse tantum sensitivam, cujus vis numquam assurgere potest ad rationes immateriales rerum cognoscendas.

Prop. I. BRUTA NON SUNT AUTOMATA, SED VERA ANIMA GAUDENT. Est Doctoris IV. D. XLIX. q. XIV. n. 2.

Prob. Quae sunt ejusdem rationis, iisdem legibus reguntur. Atqui bruta non reguntur iisdem legibus cum

machinis. Ergo non sunt ejusdem rationis. Minor probatur. Machinae statim quam ponuntur in motu, similiter in eo perseverant, nisi sit aliqua causa impediens, motusque, quo diriguntur, non est ab intrinseco, sed ab extrinseco profluens; bruta autem a motu cessant absque regula, sicut pariter sine lege perseverant in eo profluente ab interno principio. Ad rem Doctor: « animalia in... motu (progressivo) cujus anima est principium, possunt se sistere per intrinsecum; brutum enim, quamvis non moveatur libere, potest tamen cum alio occurrente apprehenso se sistere; sed in alio motu (mechanico) non potest se sistere, sicut nec elementum praedominans in ipso potest se sistere in motu suo. »

Prop. II. Anima brutorum non est rationalis. Ibidem et I. *Metaph.* q. III.

Prob. Ratio agendi diversa, est signum diversitatis in natura; quia operatio sequitur esse. Atqui bruta diversimode agunt ab homine, in quo reperitur anima rationalis. Ergo diversam habent animam, non rationalem. Minor probatur sic: hominis praecipua operatio est ratiocinium, quod deest omnino in brutis: homo ratione ducitur; brutum instinctu: homines continuo sunt in progressu; bruta in eodem statu permanent: homo scientias acquirit et perficit tum experimentales, tum abstractas, tum speculativas, tum practicas; bruta nihil scientiae praeseferens similitudinem habent: homo libertate fruitur, quae praecipuum est signum et effectus rationis; bruta necessitate aguntur: homo ad pure immaterialia assurgit: bruta totaliter immersa in materia sunt et apparent.

Prop. III. Anima brutorum est sensitiva. Est Doctoris ibidem.

Prob. Propositio est consectarium ex praecedentibus. *Item* manifesta evadit ex eo, quia in brutis nonnisi sensitivae operationes reperiuntur: tandem constat ex universali persuasione hominum, tum sapientium, tum indoctorum qui bruta in gradu nobis specifice inferiori collocant, plantis vero superiori.

Objectiones.

Objectio contra I.^{am} prop. Quemadmodum non omnia quae praebent signum aliquod rationis, in specie rationalium continentur, sic est dicendum de praebentibus signum sensibilitatis.

Resp. Dist. Si signa sensibilitatis non sint vera, sed tantum apparentia, conc.; secus, neg. Atqui in brutis non ita accidit; imo in eis tot sunt signa vera sensibilitatis, ut nil clarius. Bruta enim saltem perfecta perinde ac nos omnibus sensibus et sensationibus gaudent: ubi autem eadem est operatio, idem sit principium oportet saltem genericum.

Instatur. Deus absolute potest operari quidquid sensibile videtur in brutis. Ergo saltem constare non potest an bruta sint vere sentientia, vel automata.

Resp. Dist. antec.: effective, conc.: elicitive, neg. — Neg. consequentia et consequens. Supponit enim objectio nos a natura et naturae Auctore decipi posse, idque lege generali. Vide Metaph. C. VII. art. II.

Object. contra II.^{am} prop. Multa agunt bruta, quae exigunt prudentiam et rationem: neque deest judicium, imo neque ratiocinium; mira enim de brutis narrantur et conspiciuntur.

Resp. Multa agunt bruta quae praeseferunt speciem rationis, conc.; quae exigunt rationem, neg. Ex eo quod bruta ditantur anima sensitiva, ditantur etiam sensitiva cognitione. In cognitione autem in genere non sola notio reperitur, sed etiam judicium et ratiocinatio: et licet hae formaliter sint in solis rationabilibus, tamen eorum similitudo quaedam reperiri potest etiam in brutorum cognitione. Quid igitur mirum, si in brutis quaedam inveniuntur speciem judicii et ratiocinii praeseferentia? Verum si haec bene considerentur, videbimus numquam excedere conditionem materialitatis et optime explicari per sensus et per instinctum. Unde recte I. *Metaph.* q. III. scribit Doctor « quod prudentia est in brutis metaphorice. » Et explicat: « quaedam (bruta) tantum praesentia cognoscunt et nullum instinctum habent ad faciendum illa, quae utilia sunt in futurum: quaedam cum cognitione praesentium, instinctum habent ad operandum, quasi futura praeviderent; tamen necessario agunt non ex praecognitione, nec libere; unde tantum similitudinarie prudentia sunt » (n. 4). Per haec criteria facile erit facta particularia resolvere.

ARTICULUS IV.

An anima brutorum sit simplex?

Superius inquisitum est de specie animae brutorum propriae; hic est quaerendum de *natura intrinseca* hujus animae. De quo duplex extat sententia; *prima* plurimorum tuentium eam esse simplicem; *altera* scotistarum eam compositam esse defendentium. Primi duplex divisibile

ponunt, unum per se, alterum per accidens: vocant autem *per se divisibile,* quod per se habet partes et positive divisionem patitur; vocant autem *divisibile per accidens* quod directe non potest incidi; tamen ratione alterius, cui unitur, potest dividi. Id ab eis inductum est ut solverent difficultates oppositas ab adversariis circa divisibilitatem animae imperfectorum brutorum.

Huic sententiae adhaeret Seraphicus I. D. VIII. p. II. a. un. q. III. ad 1. et 2. Scotistae distinctionem divisibilitatis respuentes opposita progrediuntur via: et licet Doctor in q. XII. art. IV. *De Rer. Princ.* asserat hanc (suam) opinionem esse tantum probabiliorem, tamen in IV. D. I. q. V. tuetur absolute solam animam intellectivam esse totam in toto corpore et totam in qualibet parte corporis, id deducens ex *simplicitate:* et ibid. D. XLIV. q. I. tenet solam animam rationalem novas partes corporis informare quin ipsa novas partes acquirat; contra igitur accidit de anima sensitiva, quae sic absolute asseritur a Doctore esse forma composita, seu in ordine formarum compositarum contineri.

Nota autem non dici animam brutorum componi materia, quia cum sit *forma* corporis organici, respuit ex se elementum, seu principium sibi oppositum concurrens cum ea ad compositum: formae autem opponitur materia: ergo etc. Legitime ideo dictum est animam etc. *esse formam compositam* perinde ac formae plantarum, mineralium etc., quamvis specifice differat ab eis.

Item *nota* non unicum esse gradum in compositis: ex his animae plantarum penultimum locum, brutorum, ultimum occupant; hae namque proxime accedunt ad simplicitatem, quantum hujusmodi formis concedi potest

et ex consequenti praecellunt cunctis inferioribus virtute. Quibus praenotatis, sequens propositio statuitur.

Prop. Anima brutorum est forma extensa et divisibilis. Est Doctoris ibi supra.

Prob. Forma quae in esse et in agere omnino a materia dependet, nequit esse simplex. Atqui anima brutorum in esse et in agere omnino dependet a materia. Ergo nequit esse simplex. Minor patet, quia bruta semper prosequuntur sensibilia, neque unquam altius sese extollunt. Maior constat, quia proportio sit oportet inter modum essendi et agendi atque naturam; quia operatio sequitur esse; esse autem sequitur naturam, cum qua idem est. *Item* anima tum perfectorum, tum imperfectorum est ejusdem speciei, sola accidentali differentia adjecta: atqui imperfectorum anima manifeste est divisibilis: ergo et perfectorum. Consequentia patet, quia in eadem specie soli gradus inveniuntur, non autem formalis differentia. Minor probatur experientia praecipue in annulosis, quae si dividantur, tot efformantur animalia perfecta in ea specie, quot sunt partes divisae. Neque id tribuatur spiritibus vitalibus, sed verae animae: si enim tangantur vel levissime, moventur sicut vita praedita. Quod si quaedam post aliquantulum temporis moriuntur, id est quia carent partibus necessariis ad sui conservationem. Hinc Doctor ibi in *Rer. Princ.* scribit: « ad divisionem animalis annulosi (respondetur) quod vere sunt ibi duae animae, quae factae sunt duae non a generatione, nec a creatione, nec ab animae multiplicatione, sed per divisionem et a solvente prohibens, sicut dividens continuum et solvens unitatem est causa multiplicationis. Quod autem aliqua animalia dividantur, aliqua non dividantur,... non esse

causam quod in aliquibus dividatur anima, in aliquibus non dividatur; sed quia diversae sensitivae diversas habent dispositiones, quibus salvantur in materia. Animalia igitur perfecta, ut equus et similia, indigent aliquibus dispositionibus, quae non sunt in qualibet parte; ideo anima etsi sit divisa, statim perit in illis partibus, quae dispositionem illam non habent: animalia autem annulosa sunt valde imperfecta; quod ostendit uniformitas et defectus organorum; et in partibus divisis anima aliquo tempore remanet et sensum retinet. Sed quia illae dispositiones (aliquando) imperfectae non sunt sicut erant in toto, nec partes habent illa imperfecta organa, quae habebat totum, ideo non diu vivunt, quia illae dispositiones corrumpi incipiunt in partibus divisis. » Affert inde auctoritatem Augustini ex lib. *De Quantitate animae*, c. 32.

Tandem propositio patet ex eo inconvenienti, quia secus non desinerent animae brutorum ab esse, nisi per annihilationem ex parte Dei. Atqui Deus nihil eorum quae creavit, annihilat. Ergo repugnat animas brutorum esse simplices. Major probatur: simplex partibus caret, in quas resolvi valeat: per se igitur corrumpi non potest: ideoque vel perseverat semper in esse, quod falsum est, vel cessat per annihilationem: et quoniam *essendi* auctor et supremus dominus est Deus, nonnisi a Deo annihilarentur. Recursus autem ad corruptionem per accidens nihil est; quia vel revera dissolvitur anima illa, vel non: si non, perseverat sicut prius; si sic, ergo veras habet partes, ideoque est divisibilis.

Object. Operationes brutorum, praecipue internae, sunt simplices. Ergo et anima.

Resp. Dist. antec. Quatenus non percipiunt materia-

liter objectum, conc.; quatenus percipiunt illud absolute immaterialiter, neg. Idest bruta per sensum non percipiunt objectum, nisi repraesentative: repraesentatio vero sensitiva non est absolute simplex, sed extensa, etsi non talis in sua entitate; quia in phantasia animalis repraesentatio objecti, v. g. hominis, est solum in figura externa: et in hoc assimilari ea facultas potest speculo, cum sola differentia quod illa vita praedita est, speculum autem non vivit, neque ideo sensibiliter recipit et retinet speciem, sicut phantasia. Sicut ergo in speculo non requiritur simplicitas ad speciem rei sensilem percipiendam, ita nec in anima brutorum.

His non obstantibus, admodum commendabilis apparet opposita sententia, cum videatur repugnare a materia et ab his quae in ordine materialium sunt, provenire vita. Videtur enim vita esse aliquid totaliter diversum a materia, utpote praeditum notis oppositis proprietatibus et rationibus materiae.

ARTICULUS V.

De ortu et interitu animae brutorum.

Etiam in hac materia Schola nostra et angelica discrepant. Thomistae defendunt animas brutorum oriri per generationem et interire per accidens; scotistae autem e contra. De *ortu* in II. D. XVIII. utriusque scripti et *Rer. Princ.* q. x. Doctor docet animas non posse esse per generationem et recurrendum esse ad virtutem divinam non solum pro hoc, sed etiam pro organizatione corporis. De *interitu* patet ex doctrina superius posita; si enim anima

sensitiva est forma extensa, *per se* corrumpitur et perit. Cum thomistis stat Seraphicus II. D. XV. art. I. q. I. et Halensis II. p. q. LXXXVII. m. II. a. I. § II., etsi modeste sese determinet.

Ratio pro primo sic afferri potest: virtus inferior non potest in superius se. Atqui anima brutalis est superior virtute generante. Ergo ab hac non potest produci. Minor declaratur, quia productio, seu generatio non est a parte sensitiva, sed a vegetativa.

De productione organismi dicimus illum, licet non superet capacitatem materiae, tamen nimis in brutis esse complicatum; nec est verisimile sine speciali influxu Dei, ex semine inordinato et informi tam affabre constructam machinam corporis brutalis provenire.

De natura influxus virtutis divinae in productione animae et corporis brutorum non constat ex Doctore: de anima quidam scotistae tenent eam esse per creationem; alii tuentur eam esse per eductionem de potentia materiae sola virtute divina peragibilem.

De interitu nihil superest dicendum, quia res patet ex dictis in articulo praecedenti.

Contra evolutionem, vel transformismum de Lamarck, Spencer et Darwin dicetur in Psychologia, C. I. a. VI.

ARTICULUS VI.

De facultatibus et operationibus animae sensitivae.

Praeter facultatem vegetandi, quam cum plantis bruta habent communem, etiam *facultate sensitiva* pollent; quae in sensus *externos* et *internos* primo dividitur. Internae

rursus dividuntur in *cognitivas,* si ad cognitionem ordinantur, et in *appetitivas,* si ordinantur ad appetendum bonum sibi conveniens. Tandem bruta ornantur facultate *locomotiva,* qua de loco in locum se movent.

Non tamen omnia bruta iisdem numero facultatibus praedita videntur; sed pluribus vel paucioribus pro diversitate naturarum. Regula autem generalis esse putatur, bruta, quae perfectiora videntur, cunctis facultatibus sensitivis ditari; reliqua modo uno, modo altero sensu privari. Quaestio autem in particulari resolvitur potius a naturalibus, quam a philosophis.

Facultates, seu sensus externi quinque enumerantur, scilicet *auditus, visus, gustus, odoratus* et *tactus.* De internis disputatur et quatuor assignari possunt, idest *sensus communis, phantasia, memoria* et *aestimativa.*

Dari in brutis perfectioribus quinarium numerum sensuum externorum, manifestum est.

Dari in eis internos item constat: et imprimis datur sensus communis, cujus est distinguere operationes sensuum externorum: nam bruta et percipiunt existentiam sensationum et differentiam.

Secundo, datur in eis phantasia, cujus est repraesentare imagines rerum ope sensuum externorum habitas; nam species sensiles rerum conservant et reproducunt tum in vigilia, tum etiam in somnio.

Tertio, datur aestimativa, quia optime secernunt utilia a noxiis; quod est proprium hujus facultatis.

Quarto, datur memoria; cujus facultatis tot signa habentur, ut nihil clarius; imo memoria tenacissima generaliter bruta gaudent et etiam post longum temporis intervallum revocant species jam habitas.

Denique, datur in eis facultas appetitiva, seu concupiscibilis et irascibilis, cum et ipsa appetant bonum et fugiant a malo et ira exardescant quoties arduum aliquid occurrat.

De locomotiva facultate nil addendum putamus.

Caetera de his exponentur in Psychologia, ut dictum est de virtute vegetativa.

CAPUT V.

De mundi legibus.

Vocavimus (C. III. art. I.) proprietates compositi illas leges quibus corporum variae species ab Auctore naturae donatae sunt. De his igitur restat agendum.

ARTICULUS I.

De notione naturae et legis.

Natura a Philosopho 2. *Phys.* et a Doctore II. D. II. q. X. n. 9. et *Phys.* II. q. III. definitur: ***principium et causa movendi et quiescendi ejus in quo est per se primo et non secundum accidens.*** Antequam hujus declaratio afferatur, notandum est hic naturam non accipi metaphysice pro rei essentia, sed physice prout complectitur omnia quae rem physicam respiciunt, praecipue vero activitatem. Dicitur ergo in definitione ***principium*** et ***causa;*** « qui termini convertuntur et ideo ponuntur in definitione naturae, ut unum exponat reliquum...; et tunc est sensus: natura est principium et causa, quia unus illorum ter-

minorum potest esse magis notus uni et alius magis notus alteri » (ibi *Phys.* n. 3.). Additur ***movendi*** et ***quiescendi*** seu natura causat motum et quietem sive late, sive stricte sumpta. Ea verba *ejus in quo est* significant naturam tunc dici, quando motus et quies est ab interno principio secundum naturalem rei dispositionem: sic a natura dicitur motus localis hominis deambulantis et lapidis descendentis deorsum; non vero ascensus hujus sursum. Tandem ea verba *per se primo et non secundum accidens* interpretanda sunt « ita ut sensus sit quod natura est primum principium et causa movendi; et accipitur *primum,* idest principale, ad differentiam accidentium et dispositionum, mediantibus quibus fit motus vel quies: nam forma substantialis est principale activum respectu operationis: sed accidens vel dispositio mediante qua agit, est activum secundarium et instrumentale, ut calor est instrumentum, mediante quo anima est principium nutritionis et augmentationis » (ibi n. 4.); breviter innuitur per ea verba, quod natura per se, seu ex sua forma substantiali fit causa motus et quietis.

Colliges ex definitione allata *esse naturam* tum materiae (n. D. xv.), tum formae (ibi D. xviii), tum composito (ibi D. xii.) convenire. Convenit quidem *materiae* directe ratione quietis seu inactivitatis ei insitae et indirecte ratione transformationum, quibus subjicitur, et compositi ad quod concurrit. Convenit *formae,* quia haec est principium principale activitatis tum in genere, tum specificae. Tandem convenit *composito,* in quo praeter activitates praefatas, est activitas talis totius. Vide et *Phys.* ibi q. v.

Lex in genere considerari potest vel in ordine ad

mores, vel prout est moderatio naturae physice inspectae. Nos non primo, sed solum altero modo hic sumimus: et definitur: *Norma qua constanter et uniformiter explicantur vires in substantiis corporeis in similibus rerum adjunctis.* Dicitur *norma,* non principium, quia non est id ex quo actio, sed secundum quod actio elicitur. Dicitur *constanter* et *uniformiter,* quia res naturales electione destituuntur. Ultima verba innuunt impedimentum, quod quandoque res prohibet a sua operatione. Impedimentum autem quandoque influit in solam *actionem,* manente adhuc virtute activa in re; sicut accidit per miraculum in igne fornacis babilonicae comburente ministros, non comburente tres pueros hebraeos. Aliquando autem potest alterari et suspendi ipsa *virtus,* et tunc accidit quando haec non est immediate, ideoque necessario profluens a forma rei; v. g. rosarium potest producere rosas, quin producat spinas, vel producere folia vario modo picta coloribus contra ordinarium naturae cursum.

A lege naturae tum *status* legis, tum *ordo* naturae est distinguendus. Primus est « stabilis permanentia legibus divinae sapientiae firmata » (I. D. III. q. III. n. 24.). Alter autem definitur: dispositio causarum creatarum in ordine ad suos effectus producendos vel finem assequendum. Seu lex est ratio agendi; perseverantia hujus in esse est status legis; si autem varia ratio agendi creaturarum consideretur in reciproca relatione, in permanentia et simul in assequutione finis a Deo praestituti, ordo naturae obtinet. Hic dupliciter dividitur, in particularem et universalem, in metaphysicum et physicum. Dicitur *particularis* qui intercedit solum inter aliquas naturas; si vero intercedat inter creaturas universas, di-

citur *universalis*. *Metaphysicus* dicitur ordo consideratus abstracte seu in suo conceptu abstracto, prout inferiora ad superiora destinantur usque ad omnium primum: dicitur *physicus* ordo prout in rerum natura actu invenitur hic et nunc.

ARTICULUS II.

De stabilitate legum et ordinis mundani.

NATURALIS STABILITAS legum et ordinis mundani manifesta est: experientia enim quotidiana, communis consensus hominum quoad modum sese gerendi in suis negotiis prospiciendo futuris etc., natura ipsa rerum, quae electione destituuntur semper in idem tendentes et assequutio generalis et constans finis universis creaturis praestituti, satis ac satis stabilitatem hanc confirmant: ex qua etiam firmitatem suam desumunt scientiae naturales. Potius ergo quam de ipsa stabilitate, de hujus natura agemus.

Sunt quidam, ut pantheistae, fatalistae, deistae et materialistae, qui asserunt ita mundi ordinem esse stabilem, ut nullimode derogationem patiatur; et id, vel quia confundunt ordinem physicum cum metaphysico; vel quia putant mundi creationem necessariam esse et omnia necessitate absoluta accidere; vel, ut materialistae, ex vi irresistibili corporum, quam suum Deum conficiunt. Philosophi scholastici et generaliter catholici media via gradientes, dum stabilitatem legum et ordinis tuentur ex parte rerum, denegant necessitatem absolutam relate ad Deum; qui quemadmodum libere praesentem ordinem

physicum constituit, ita libere servat, cum potestate derogationis quoties ei libuerit. Ad hujus rei veritatem patefaciendam statuitur sequens propositio.

Prop. ORDO MUNDANUS NON EST ABSOLUTE NECESSARIUS. Est Doctoris I. D. XLIV.

Prob. Ordo mundanus est apta dispositio rerum creatarum ad assequutionem finis; qui si consideratur non in abstracto, sed physice prout est in natura, sequitur rationem componentium seu rerum creatarum, quas afficit. Atqui res mundanae sunt contingentes, ut patuit Cap. I. art. XI. hujus. Ergo etiam ordo earum cum legibus, quibus ipse regitur, contingens sit oportet.

Praeterea ordo mundanus, ut patuit ibidem art. III., non est omnium optimus. Ergo potuit etiam diversimode disponi: quod fieri nequiret in hypothesi de absoluta illius necessitate.

Item non repugnat concipere partes mundanas diversimode se habere quam nunc se habent: ergo etc. Antecedens patet; nam leges quibus creaturae regi possunt, sunt innumerae: v. g. forsitan sol et caetera astra non poterant moveri cursu opposito ab eo quo nunc moventur? nonne sine repugnantia poterat deesse haec et alia species brutorum, plantarum, mineralium etc.? quid inconvenientiae reperitur in concipienda diversa dispositione corporis humani etc. etc.? De rectitudine illationis, patet similiter; quia totum subit vices partium.

Objectio. Leges sunt proprietates corporum: proprietas autem est necessaria: ergo et ordo fundatus in ea.

Resp. Dist. maj. Sunt proprietates physicae, conc.; metaphysicae, neg. Dist. item min. Proprietates metaphysicae sunt necessariae, conc.; physicae, subdistinguo, omnes,

neg., aliquae adhuc dist.: hypothetice necessariae, conc.: absolute, neg. Ratio distinctionis in maiori est, quia non omne quod dicitur de re physice inspecta, dici potest de ea metaphysice considerata: patet in rerum essentiis, quae primo modo mutationi et destructioni subjiciuntur, non autem modo altero consideratae. Ratio distinctionis in minori est, quia quaedam sunt proprietates, quae in re a rei principiis immediate promanant; et harum solum usus impediri potest, manentibus principiis; impediri etiam intrinsece possunt, sed in casu principia ipsa auferenda forent; et sic hae sunt solum hypothetice necessariae, si manent, idest, principia. Aliae autem sunt proprietates (vide art. I.), quae non sunt primo a forma vel essentia rei: et tunc impediri possunt et in exercitio et in se, non ablatis, sed simpliciter alteratis principiis. Taliter v. g. se habet virtus madefactiva et satiativa sitis in aqua. Quoquumque autem modo consideratae hae proprietates nequeunt absolutam necessitatem habere: et sic ex objectis nil sequitur contra propositionem.

ARTICULUS III.

De ordine supernaturali.

Quid sit ordo et quomodo dividatur, visum est in *Ontologia*, Cap. V. art. VI.; recole, si cupis, ibi posita. Applicando autem ea ad propositum, dicimus ORDINEM SUPERNATURALEM in eo esse repositum quod creatura elevatur ad eam conditionem, quae nullimode exigatur a natura; ita ut ea elevatio superet totaliter vires et exigentiam naturae. V. g. homo ex conditione suae naturae

exigit tantummodo esse servus Dei et cognoscere et frui Deo modo naturali longe ab immediata et beatifica visione: hinc si fiat filius Dei adoptivus et elevetur ad capacitatem immediatae et beatificae visionis et fruitionis, in novo ordine collocatur; qui totaliter superaret suas naturales vires. *Duo* igitur ad supernaturalem ordinem requiruntur et *potentia sufficiens* ex parte elevantis et capacitas seu *non repugnantia* ex parte elevandi. Primum est necessarium, quia secus daretur effectus sine causa proportionata: secundum, quia alias elevatio evaderet intrinsece impossibilis.

Neque laeditur per virtutem superadditam natura, sed perficitur; quia nihil ipsa amittit, sed solum acquirit. Hinc ordo praefatus non dictus est contra naturam, sed supra naturam. Videas *Prol.* q. I. n. 20. 22.

Hic inquiri potest an ea, quae sunt in ordine naturali, elevari possint ad ordinem supernaturalem, seu an supernaturalis ordo dari queat? Increduli negant; christiani universi affirmant; quia in hac possibilitate fundamentum habet tota nostra religio sanctissima. Sit igitur propositio.

Prop. QUOD EST ORDINIS NATURALIS, ELEVARI POTEST AD ORDINEM SUPERNATURALEM. Vide ib. n. 25. 26.

Prob. Duo, ut diximus, ad hanc elevationem requiruntur et potentia elevantis et capacitas elevandi. Atqui neutra deest. Ergo dari potest elevatio ad ordinem supernaturalem. Minor probatur imprimis *ex parte elevantis:* quia Deus omnia libere disponens numero, pondere et mensura, est infinite sapiens, sciens ideo modum addendi virtutem sine laesione naturae, et infinite potens, valens sua inexhauribili virtute ad nova semper sine fine: et si

id potest ab Eo obtineri per creationem, multo magis obtineri poterit per simplicem additionem perfectionis; cum facilius concipiatur hoc quam illud.

Probatur minor *ex parte rerum;* quia finitum non sic exigit determinari, ut ultro extendi repugnet; tanto magis quia hic non agitur de alteranda natura, sed de elevanda; nec de imperfectione impertienda, sed de perfectione addenda: nihil autem est contrarium perfectioni suae, esto quod praetergrediatur vires naturae. Res explanatur per exemplum hominis superius allatum. Etsi homo naturaliter nequeat intueri Deum, quia inter Deum et creaturam non est proportio, tamen dato quod Deus elevare velit nos ad visionem sui immediatam, nulla repugnantia invenitur. Deus enim est ipsa veritas et includitur in objecto adhaequato nostri intellectus, quod est ens in genere: cum autem sit infinite sapiens et potens, scit et potest cuilibet intellectui se communicare. Intellectus noster etiam de se ad nullum veritatis genus coarctatur, sed quantum est de se, in omne verum fertur. Supposito igitur speciali Dei dono elevante, homo repugnantiam non invenit in sui elevatione ad visionem beatificam.

Objectio. Natura vel naturaliter habet dispositionem ad supernaturalem ordinem, vel non. Si primum, ordo supernaturalis non est nisi ordo naturalis: si secundum, supernaturalis evadit impossibilis. Ergo quoquumque modo supernaturalis ordo repugnat.

Resp. Dist. Natura non habet naturalem dispositionem ad producendum quod est supernaturalis ordinis, conc.: non habet naturaliter potentiam obedientialem ad recipiendum donum elevans ad effectum supernaturalem, neg.

Si primum, seu virtus producendi effectum supernaturalem, tribueretur naturaliter naturae, certe uterque ordo in unum conflueret. Verum a nobis solum ei tribuitur per potentiam obedientialem capacitas recipiendi auxilium speciale supernaturaliter elevans. Cum autem in hoc nulla includatur repugnantia, difficultas evanescit.

Instant. Ex doctrina exposita facile proflueret plantas posse elevari ad visionem rationalem, quia vegetativum et rationale non repugnat, sicut patet in homine utrumque habente. Atqui id est impossibile. Ergo etiam impossibilis est ordo supra naturam.

Resp. Neg. maj. Ratio allata dist.: non repugnat in natura quadam reperiri principium rationale et vegetativum, conc.; non repugnat vegetativum elevari ad ordinem intellectivum, neg. Ratio autem hujus repugnantiae, ideoque carentiae obedientialis in plantis (idem dicas et de brutis) ad cognitionem rationalem, est omnimoda dependentia animarum, si humanam excipias, a materia, quae intrinsece contrariatur cognitioni intellectivae.

ARTICULUS IV.

De derogatione legum seu de miraculis.

Quae superius dicta sunt, quasi praeambulum ad articulum hunc et sequentes fuere disposita: arcto enim nexu miracula cum ordine supernaturali ligantur et cum non absoluta necessitate mundani ordinis.

Miraculum late et rigorose sumi potest. Primo modo dicitur ex Doctore *Prol.* q. II. n. 11 verba Augustini referente, « quidquid arduum aut insolitum supra spem

et facultatem mirantis apparet; » seu quilibet effectus mirus, cujus causa ignoratur. Proprie autem miraculum definiri solet: *effectus supernaturalis, insolitus et sensibilis.* Dicitur *supernaturalis* excedens scilicet vires totius naturae. *Insolitus* dicitur quia est contra consuetum cursum naturae et effectus miraculosus nonnisi raro ex lege generali accidere solet. Hinc recte Doctor in III. D. XXIV. n. 12. animadvertit abesse miraculum quotiesquumque Deus agit ut auctor et causa generalis relate ad quosdam effectus; et sic quia creatio animae, concursus etc. sunt a Deo ut causa ordinario agente ad consuetum ordinem naturae servandum, non sunt miracula, utpote effectus non insoliti. Tandem dicitur *sensibilis,* seu extrinsecus et sensu perceptibilis; ut distinguatur ab his miris, quae non visibiliter a Deo operantur, v. g. in animae sanctificatione.

Difficultas autem est ex voce *supernaturalis.* Ratio quia multi effectus habentur, qui vere miracula sunt et tamen absolute fieri possent a causa naturali; v. g. excitatio tempestatis, suspensio in aere corporis cadentis et alia hujusmodi quae etiam ab angelo et a daemone effici possunt. Dicimus ergo supernaturalem dici effectum quotiesquumque deest de facto causa naturalis; ideoque soli naturae Auctori effectus in casu est tribuendus. Hinc rectius ab aliis definitur miraculum: id quod divinitus fit praeter, vel contra, vel supra ordinem servatum in rebus. Vide Halensem I. p. q. XXI. m. V. a. II.

Theologi et philosophi christiani TRIPLICITER DIVIDERE solent miraculum, idest, *quoad substantiam, quoad subjectum et quoad modum.* Primi generis dicitur miraculum, cujus effectus ita excedit vires naturae, ut nullimode a

natura produci valeat: talis est ex Doctore *Prol.* ibi n. 12. compenetratio duorum corporum, praevisio futurorum contingentium et liberorum et visio divinae essentiae. Alterius generis seu quoad subjectum est miraculum quod excedit vires naturae non essentia sua, ut in praecedenti; sed solum relate ad subjectum; v. g. resuscitatio mortui; quia etsi in corpore non sit repugnantia ad animam recipiendam, quae jam morte ab eo separata est, tamen post fatum nonnisi divina virtute anima ad corpus rursus informandum impelli potest. Tandem quoad modum dicitur miraculum, quod vires naturae excedit ratione modi quo effectus producitur; v. g. instantanea sanatio infirmi miraculum est quoad modum; quia quoad rem natura absolute potest sanare. Ad hoc genus facile reducuntur ea miracula, quorum sola deest causa naturalis, a qua tamen absolute loquendo produci possent, si adesset: taliter dictum est supra de suspensione corporis cadentis, excitatione improvisa tempestatis; quae miracula sunt, si nulla causa naturalis interveniat: miracula non sunt, si haec causa intersit.

Huic affinis est altera miraculorum divisio in miracula *contra, supra,* et *praeter* naturam. Dicitur *contra* si in rebus inveniantur dispositiones contrariae effectui miraculoso, sicut in compenetratione duorum corporum. Dicitur *supra,* si hae dispositiones desint, sed nihilominus vires naturae nullimode valent in effectum, ut videre est in resuscitatione mortui. Dicitur tandem *praeter,* si effectus a natura haberi possit, sed non eo modo (Halensis, ibi).

Ex data divisione facile item patet divisio miraculi in miraculum *primi, secundi* et *tertii* ordinis; quo magis

enim difficultas crescit, eo magis opus Dei in ipsis resplendet et ipsa miracula ad nobiliorem ordinem pertinent.

ARTICULUS V.

De possibilitate miraculorum.

De sola hic miraculorum possibilitate, non vero de facto in se agitur, quia secundum non ad philosophos, sed ad historicos spectat. Doctrinae, cui firmitas hic conciliatur, adversantur rationalistae rigidiores, pantheistae, fatalistae, deistae et materialistae omnes; favent autem catholici et generaliter saniores philosophi. Contra omnes osores catholicae doctrinae, sit propositio.

Prop. Miracula sunt possibilia. Vide Doctorem *Prol.* q. II. n. 10. etc.

Prob. Tum ex parte Dei, tum ex parte rerum. Et imprimis *ex parte Dei.* Potentia Dei est infinita et non solum non exhauritur per creationem mundi, sed neque vel minime debilitata est, neque debilitari potest etiam per creationem omnium possibilium, cum indeficiens sit virtus Ejus; quare non repugnat ex parte Dei addi posse creaturae virtutem, ita ut creatura producere valeat effectum, ad quem naturaliter non inerat ei vis; vel suspendere leges, quas rebus indidit, cum a mente et potentia sua invectae et ordinatae hae fuerint. Atqui id infert miraculorum possibilitas. Ergo etc.

Item majus est de non esse facere esse, quam modificare esse actuale; qui enim potest magis, potest et minus. Atqui Deus de nihilo creavit res et eis esse tribuit.

Ergo multo magis potest hoc *esse* modificare. Atqui miraculum est aliqua particularis modificatio legum, ideoque naturae, illiusque entitatis. Ergo miracula ex parte Dei sunt possibilia.

Item quidquid non implicat manifestam contradictionem, a Deo effici potest. Atqui suspensio legum et additio virtuti rerum propriae, nullam includit repugnantiam, neque ideo absolutum impossibile continet. Ergo possibiles sunt.

Praeterea virtus infinita nonnisi ab infinito potest impediri: sed virtus creaturarum non est infinita: ergo nequit impedire Dei virtutem infinitam. Quare quotiesquumque Deus voluerit, sine resistentia de rebus agere potest quidquid voluerit: quod sane includit possibilitatem miraculorum.

Tandem probatur propositio ex eo, quia etiam homines et aliae res impedire saepius possunt leges naturae in producendis effectibus; imo per varias combinationes etiam quodammodo earum vim augere. Multo magis igitur ista nobiliori modo etiam supernaturaliter a Deo praestari poterunt: ideoque ex parte Dei nulla in miraculorum possibilitate includitur difficultas.

Probatur secundo *ex parte creaturarum*. Finitum de se augmentum patitur et subjicitur impedimentis: idcirco de se pariter non repugnat perfici, vel impediri; imo de se est sub omnimoda dependentia a Deo, magis quam opus artis sub dependentia artificis. Ergo de se potest ita perfici, vel impediri et in genere modificari, sicut suo Auctori placitum fuerit. Non repugnat ergo etiam ex parte rerum miraculorum possibilitas. Quod patet quoque ex hominum generali persuasione tum veterum, tum recen-

tium: nullam enim historiam invenies, in qua non mentio fiat miraculorum tamquam de re Divinitatis propria.

Objectiones.

Obiectio I. Natura et proprietates ejus nequeunt mutari. Atqui in miraculo mutarentur. Ergo hoc fieri non potest.

Resp. Dist. maj. Si agatur de essentia et de proprietatibus rigorose sumptis, conc.; si de proprietatibus latius sumptis, neg. Contradistincta minori, neg. cons. Etsi Deus in miraculi patratione privet causas secundas actionibus suis, vel eis aliquid addat ad causandos effectus supra naturam etc., non tamen eas privat suis essentiis. Relate ad proprietates, distinguas eas in rigorose sumptas et late sumptas, seu quae a principiis rei intrinsecis non promanant. Primae non mutantur, sed suspendi earum actio potest, ut diximus prius art. 1.; aliae autem mutari possunt, quin ullum inconveniens importent.

Objectio II. Quod est contra ordinem, impossibile est. Atqui miracula sunt contra ordinem. Ergo impossibilia sunt.

Resp. Dist. maj. Quod est contra ordinem metaphysicum, conc.; physicum, subdist.; contra ordinem universalem, transeat; contra particularem, neg. et neg. cons. Quid sit ordo universalis et particularis, metaphysicus et physicus, videas in Ontologia Cap. v. art. vi.; applicando nunc ea ad propositum, dicimus per miraculum nullimode derogari ordini metaphysico, qui manet in suis speciebus, generibus etc. constanter, etiam posita derogatione in aliquo casu particulari. Non destruitur vel laeditur ordo in genere, quia miracula etiam *ordinantur* ad aliquem finem.

Non laeditur ordo physicus in universum; quia derogatio est exceptio: exceptio autem non infirmat regulam generalem. Quod igitur laeditur, est ordo particularis et insuper generaliter in aliquo facto particulari. Sicque dum ignis babilonicae fornacis tribus pueris pepercit, non auferebatur potestas comburendi omnibus ignibus, sed ei tantum et insuper solum relate ad tres pueros et eo tempore quo hi in fornace erant positi. Nihilominus asserimus de ordine physico etiam in universum, a Deo fieri *posse* derogationem per mutationem universalem, cum ille sit contingens.

Instantia. Ordo physicus fundamentum sui habet in metaphysico: ergo perinde ac iste, immutabilis est.

Resp. Negatur consequentia ex hac consideratione. Omnia entia etiam singularia suum fundamentum habent in exemplaribus divinis; nec tamen pari immutabilitate donantur; imo multa entia creata destruuntur, quin immutabilitas divinorum exemplarium vel minime laedatur. Ergo ex immutabilitate ordinis metaphysici non licet arguere ad immutabilitatem ordinis physici in illo fundati. Declaratur adhuc res. Ordo metaphysicus non est nisi ordo in mente divina existens, nobisque suo modo manifestus, quo omnia disponuntur per sua principia essentialia. Ordo autem physicus est ordo rerum constans ex essentiis physicis et legibus item physicis prout reperiuntur in natura. Quapropter distinguuntur et unus non potest exigere quod est alterius, etsi physicus fundamentum habeat in metaphysico. Non esse autem absolute necessarium ordinem physicum, visum est supra art. II. Essentias physicas item esse destructibiles, visum est in Ontologia Cap. II. a. VI.

Objectio III. Decreta Dei sunt immutabilia. Sed dispositio universi fuit per decretum Dei. Ergo haec est immutabilis; et sic actum est de miraculis.

Resp. Dist. major. In se, seu prout sunt in Deo, conc.: termini decretorum, seu res sunt immutabiles, neg. Ratio distinctionis patuit in responsione ad praecedentem instantiam. Caeterum notamus decretis generalibus per decretum particulare fieri posse derogationem etiam a Deo, quatenus ipse ab aeterno decrevit se in tempore facturum aliquid extra id quod lege generali sancitum est. Quomodo autem Dei libera decreta sint immutabilia, in Theologia dicetur.

ARTICULUS VI.

De cognoscibilitate miraculorum.

Miraculum diximus excedere vires totius naturae. Verum quidam effectus miraculosi haberi queunt etiam ope spirituum; cum enim ipsi praestantioris sint naturae, mira quaedam peragere valent, ad quae sufficientia humana extendi non potest. Sic angeli et daemonia queunt excitare tempestatem, suspensum tenere labens corpus etiam medio in aere, transferre corpus de loco in locum, afferre serpentes de longe, nullo praestito signo exteriori, et alia innumera.

Inquiritur igitur hic quaenam sint SIGNA DISTINGUENTIA MIRA A MIRACULIS? *Respondemus;* vel agitur de miraculis primi et secundi ordinis, vel agitur de miraculis tertii ordinis. In primo et altero casu statim apparet influxus divinus, quia ibi agitur de superando quod est *contra* et

de attingendo quod est *supra* naturam: nulla autem creatura potest quidquam in hujusmodi, sed solus auctor naturae. Patet in compenetratione duorum corporum et in resuscitatione alicujus jam vita functi. Difficultas igitur restringitur ad quaedam miracula tertii modi. Dictum est *quaedam,* idest praememorata hic et in art. IV., quia aliquando modus de se superat vires totius naturae, v. g. in instantanea et completa sanatione infirmi graviter decumbentis vel vulnerati. In casu enim spiritus adjuvare possunt naturam, non autem totaliter ei dominari: natura autem non procedit instantanee, sed paulatim.

Pro his hanc regulam servare oportet: Deum non patrare miraculum nisi legitima ex causa, v. g. ad sui gloriam manifestandam et utilitati nostrae prospiciendum quando vires nobis non sufficiunt: non igitur ad curiositati satisfaciendum, ad lusum, ad lucrum temporale, ad vanam gloriam, ad superstitionem, ad pigritiam, sicut accidit quando bene per studium et laborem nos ipsi necessitatibus subvenire possumus. Quotiesquumque ideo in miris vitia haec continentur laedentia praeallatam regulam, non a Deo patrari, sed a malignis spiritibus pro certo habendum est.

Si mira haec ad preces vel imperium alicujus hominis operentur, spectetur rectitudo et sanctitas vitae, simplicitas, vera religiositas sine superstitione et bona fama. Ratio quia Deus talibus in circumstantiis deceptionem permittere non posset. « Si quis, scribit Doctor *Prol.* q. II. n. 11., invocatus in testem signum consuetum testificationis permittat adduci et praesens non contradicat, talis taciturnitas non stat cum veritate perfecta. Miraculum autem est tale signum Dei ut testis: igitur si

permittat miracula fieri a daemoniis non contradicens, nuncians scilicet illa non esse testimonia sua, non videtur esse perfecte verax; quod est impossibile. Et per hoc dicitur ad illud de antichristo, quod praedixit illa miracula facienda non esse testimonia veritatis, sicut patet *Matth.* 24. et 2. *ad Thessal.* 2. Item contra idem est differentia miraculorum quae fiunt a Deo et quae fiunt a diabulo. De qua differentia tractat Augustinus de utilitate credendi prope finem: miraculum, inquit, voco quidquid arduum aut insolitum supra spem vel facultatem mirantis apparet; quaedam solum faciunt admirationem, quaedam magnam gratiam, benevolentiamque conciliant; qualia fuerunt Christi miracula, ut pertractat ibi diffuse. »

Quod si aliquando Deus daemonum praestigia, adeoque hominum deceptionem permittat, sicut legitur permisisse in variis gentilium historiis, hoc ipsis hominibus est imputandum, quatenus hi noluerint ratione et divina revelatione uti, sibi magis complacentes fabellis vulgi, quam verbo a Deo tradito: vel forsan quia tanta se vilitate repleverint, ne legem quidem naturalem servantes, ut sese pene ad brutorum mores dejecerint. De hac materia vide etiam Seraphicum, II. D. VII. p. II. a. II. q. II. ad 6.

Ne deceptioni subjiciamur in judicio ferendo de miraculis, praecipua regula nobis sit auctoritas Ecclesiae: quae ita caute in hac materia procedit, ut post judicium emissum de miraculo patrato a Deo, solus scepticus vel caecus et corruptus dubitare possit.

ARTICULUS VII.

De magnetismo, hypnotismo et spiritismo.

De his hic agimus quia a recentibus incredulis habentur quasi argumentum palmare contra realitatem miraculorum.

Magnetismus in genere definitur *ars mirabilia patrandi ope magneticae virtutis.*

Etsi Paracelsus decimo quinto saeculo magnetismi initia invexerit, nihilominus verus hujus auctor salutatur Mesmer (ex quo magnetismus etiam mesmerimus audit) qui saeculo proxime elapso hac vita decessit. Duplex ejus sententia ponendum esset *fluidum*, nempe *minerale* et *animale,* prout vel a lapide magnetico, vel a corpore animalis asserebatur profluere; quod per contactum digitorum magnetizatoris ad corpus magnetizati, per insufflationes, per fixum oculorum obtutum unius in alterum, vel etiam per solum imperium magnetizatoris de uno ad alterum transferri dicebatur; ex quo *somnus magneticus* sequebatur ordinatus ad morborum curationem. *Phaenomena* in eo habebantur, quae hodie conspiciuntur in hypnotismo, de quo postea: hic enim legitime consideratur quasi *perfectio magnetismi.* Hodie generaliter *fluidum magneticum* a Mesmer invectum *respuitur.*

Hypnotismus definiri potest: status somni artificialiter inducti, in quo hypnotizatus privatur usu rationis et libertatis et ita subest hypnotizantis (cui se submisit) suggestionibus, ut ab eodem pendeat quoad actiones externas, quoad perceptiones sensuum et motus animi.

Hujus phaenomena ad tres classes revocantur, videlicet ad lethargiam, ad catalepsim et ad somnambulismum. In *lethargia* accidit torpor et stupor sensuum et patiens quasi cadaver se habet carens omni motu spontaneo et nullum praebens aditum externis impressionibus; magna ei inest excitabilitas nervorum et musculorum, ejusque in membris potest facile fieri spasmus, seu rigor et violenta distentio, ita ut ad modum ligni inflexibilis evadat totus ipse patiens.

In *catalepsi* item immobilitas membrorum obtinet et patiens in data positione etiam violenta quasi mortuus sistit; insensibilis est quoad dolores ita ut generaliter ejus sensibilitas sopita maneat; oculos apertos habet et membra rigida et stupefacta.

In *somnambulismo* hi effectus habentur, ampliatio oculorum apertorum, dilatatio pupillae, excitatio arteriarum et pulmonum, retardatio respirationis, sudor, effusio lacrimarum et pallor vultus, imo et affluxus sanguinis ad nutum hypnotizantis; pariterque accidunt illusiones et hallucinationes perinde ac in catalepsi et augetur vis visiva, auditiva etc.

Modi producendi somnum hypnoticum varii sunt; sed omnes reduci possunt ad quasdam impressiones aptas ad physiologicam cerebri alterationem et saepius satis est solum imperium hypnotizantis. Ad primum modum reducuntur contactus longior et levis et uniformis, inertia intellectualis, sonus monotonus, oculorum firma fixio in quoddam objectum perlucidum etc.

Hypnotizatus quoad perceptiones sensuum, quoad motus animi et quoad actiones externas, ut dictum est, *dependet* a suggestionibus, seu jussione et exhortatione

hypnotizantis, sub cujus potestate se subjecit, haecque persuasione, suppositis manipulationibus supra indicatis, incidit in somnum: hinc vix ac aliquid ei ingeritur, statim in exequutionem demandare nititur. Imo suggestio aliquando non solum extenditur ad actiones in statu somni emittendas, sed etiam in statu vigiliae; ita ut adveniente tempore determinato in somno, hypnotizatus motu irresistibili, vel quasi irresistibili exequatur quod in somno imperatum est: hae suggestiones vocantur *post-hypnoticae.* Item accidere potest ut qui saepe hypnotizari permittat, etiam seipsum hypnotizare queat: in quo casu *auto-suggestiones* habentur.

Spiritismus *est ars conversandi cum spiritibus.* Ad id autem requiritur persona quaedam media inter spiritus et adstantes, quae ob id munus appellatur *medium.* Effectus spiritismi sunt: tabulae rotantes et sedilia et alia hujusmodi sese vario modo moventia, quin sit qui visibiliter in praefatos motus et in effectus alios sequentes influat, augmentatio, vel diminutio ponderis corporum, sonus vocales, pulsatio instrumentorum, strepitus, phaenomena luminosa, transformatio *medii* quoad staturam et elevatio ejusdem, blanditiae, vel vexationes erga adstantes, scripta, responsiones, apparitio sensibilis spirituum, sermones de rebus ignotis etiam in linguis ignotis, necnon revelationes occultorum et distantium et alia hujusmodi.

Sequens judicium putamus ferri posse de memoratis effectibus. *Effectus hypnotici* videntur posse profluere a causa naturali ratione status cujusdam morbosi in quem incidunt hypnotizati; cum iidem fere effectus conspiciantur etiam in somno, somnio et somnambulismo naturali, vel in ebrietate, vel in sopore habito mediante quodam ap-

paratu medico etc., item in insania naturali et in hysterismo et in aliqua improvisa et vehementi passione.

Certum est enim in nobis phantasiam vehementer alterari posse et subjici affectionibus extra sensum nos rapientibus, ideoque conscientiae amissionem causantibus et ad mira nihilominus impellentibus, ut videre est in hystericis. Quid mirum igitur quod cum hypnotizatus incidat in somnum hac persuasione affectus, se esse sub potestate hypnotizantis, phantasia somno alterata moveatur ad agendum secundum imperium illius cum quo communicat? Additur, quia generaliter facile hypnotizantur qui hysterismo laborant, itemque in hysterismum facile incidunt qui facile hypnotizantur.

Verum in praxi magni abusus interesse possunt, cum hypnotici capaces evadant cujuslibet criminis, nec non salute sui corporis periclitentur.

Cohaeret hoc cum responsione data a S. R. Inquis. die 30 Julii 1856. « Remoto omni errore, sortilegio, explicita aut implicita daemonis invocatione, usus magnetismi, nempe merus actus adhibendi media physica aliunde licita, non est moraliter vetitus, dummodo non tendat ad finem illicitum aut quomodolibet pravum. »

De *effectibus spiritisticis* dicimus eorum plurimos naturaliter explicari non posse, praecipue qui spiritualitatem et rationalitatem supponunt vel involvunt, quin recursus habeatur ad malos spiritus. Nam horum causa nequit esse Deus, nec aliquis spiritus bonus, quia indignum est hos sese commiscere in hujusmodi; tanto magis quia saepe in spiritismo dantur responsiones falsae et contrariae fidei et moribus. Nequit esse *medium,* quia saepe deest proportio ad effectum. Superest ideo ut sit parens

mendacii et deceptionis, nempe spiritus malus. Quod ostenditur etiam per hoc quia ab eadem Sacra Congregatione die 4 aprilis ejusdem anni declarabatur praxis spiritismi *illicita, haereticalis et scandalum contra honestatem morum.*

Si quis pleniorem tractationem desiderat, videat Lapponi, *Ipnotismo e Spiritismo,* et P. Franco, *L'Ipnotismo tornato di moda.*

APPROBATIO.

Revisimus opus cui titulus: ***Cursus Philosophicus ad mentem Doctoris Subtilis***, studio et labore P. F. Cherubini ab Abbatia S. Salvatoris, dignumque illud judicamus quod praelo detur « pro manuscripto. »

F. Dorotheus Cornelisse O. F. M.
F. Franciscus Maria Cruz O. F. M.

Nihil obstat.

F. DIONYSIUS SCHULER
Minister Generalis.

ERRATA-CORRIGE

Pag.	*Linea*	*Errata*		*Corrige*
12	24	phycologia		psychologia
21	9	di		de
44	5	categoria		categorica
48	6	sensiens		sentiens
55	5	aliquis		omnis
57	28	*(post)* sine	*(addatur)*	explicatione
63	7	de		+
67	11	Latios		Latius
72	19	atque		atqui
131	15	hahet		habet
142	5	quedam		quaedam
149	5	praecognisci		praecognosci
176	25	antropologiae		anthropologiae
177	29	theoreticeae		theoreticae
201	4	defectus		defectuum
248	29	videtur		videatur
261	6	cocnoscendi		cognoscendi
434	1	Metaphisica		Metaphysica
440	29	snpernaturali		supernaturali
443	15	Iambicus		Iamblichus
476	22	Dinamicum		Dynamicum
489	7. 14. 25.	oxigenio etc.		oxygenio etc.
»	26	hahentur		habentur

INDEX

